BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
36 H
16

[B]ibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40 40
C C
3 34

40.5.3.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM

MAGNÆ
DEIPARÆ
VITA
Encomiaſticè, & Hiſtoricè deſcripta

Adiectis ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Scholaſticis Doctoribus ijs, quæ eam maximè illuſtrant, & celebrant.

AVCTORE
HORTENSIO PALLAVICINO
SOCIETATIS IESV.

PARS PRIMA.
Ab æterna in Dei Matrem electione vſque ad Diuinum Partum.

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

MEDIOLANI,
Ex Typographia Philippi Ghiſulphij,
Superiorum permiſſu.

OPus hoc, cuius titulus eſt, Magnæ Deiparæ Vita, ab Admodum R.P. Hortenſio Pallauicino ex Societate Ieſu eruditiſſimè encomiaſticè, ac hiſtoricè deſcripta, theologica doctrina, ac SS. Patrum dictis non mediocriter illuſtrata, atq; probatiſſimis Sacræ Scripturæ auctoritatibus confirmata Ego P. Cæſar Zocchus de mandato Reuerendiſſimi Inquiſitoris vtſupra ſumma cum voluptate perlegi, ipſumq; typis maxime dignum iudicaui. In quorum fidem.

Ita eſt P. Cæſar Zocchus, qui de mandato vtſupra.

Imprimatur

Fr. Petrus Hyacinthus Donnellius, Magiſter, & Inquiſitor Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. D. Archiepiſcopo.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Ieſu in Prouincia Mediolanenſi.

EGO Alexander Fliſcus Soc. Ieſu Præpoſitus Prouincialis in Prouincia Mediolanenſi poteſtate ad hoc mihi facta à R. Admodum P. Goſvvino Nickel Præpoſito noſtro Generali facultatem concedo, vt liber, qui inſcribitur *Magna Deipara Vita hiſtoricè, & encomiaſticè deſcripta per P. Hortenſium Pallauicinum noſtræ Societatis*, quatuor eiuſdem Societatis Patrum iudicio approbatus typis mandetur. Mediolani 4. Nouembris 1657.

Alexander Fliſcus.

IESV

IESV CHRISTO
SANCTORVM REGI,
Totique Cælitûm Hominum, & Angelorum Reipublicæ.

QVid amabilius vnigenito Dei Filio exhiberi poteſt, quam Diuina Mater, quæ ſola communi cum æterno Patre honore, verè dicere potuit *Filius meus es Tu*; imò quæ, quantum ad Deum humana accedere fas eſt, Filium forma; & moribus exhibuit? Quid repræſentari Cælitibus vniuerſis venerabilius MARIA, quæ non ſolum Sancta Sanctorum, ſed Regina Angelorum, Hominumque beatos beat, geminatque Paradiſum, ſpirans ipſa omnium deliciarum Paradiſus? Hæc qualiacunque mea Magnæ Deiparæ elogia tuo Rex Sanctorum patrocinio carere non poſſunt, cum nunquam Matrem deſerueris, ſiue Tu ad illam, homo in terris factus, & ſeruum induens deſcenderis, ſine illa ad Te Regina rerum aſcenderit cælo illata. Inconditæ hæ laudes, & abſonæ veſtris tamen auribus ſapiunt beatæ Reipublicæ Ciues immortales,

cum nihil vobis inſuaue ſit, quod MA-
RIAM ſonat. Ipſum MARIAE, vti
IESV nomen in ore omnium mel eſt, in
aure melos. Imparem me eſſe fateor
eius laudibus, quæ ſupra omnes laudes
eſt, imò indignum, qui laudem ſum-
mè laudabilem. Omnem eloquentiam,
quam meretur in vno DEIPARAE ti-
tulo MARIA exhauſit, & licet VER-
BI parens, omnes prorſus reddit elin-
gues. Infantes eſſent grandæui etiam
oratores, ne dum puſiones. Adoratio-
nem Dei Mater, vti Dei Filius, & diuina
omnia, magis poſcit, quam orationem.
Illuſtriſſimæ omnium virtutum formæ,
vt ſuis ſplendoribus plenius irradiaret,
nihil præter vmbras appingere cala-
mus meus debuit. In faſtigio gloriæ
apud vos regnat expreſſa coloribus ſuis.
Excipe igitur Matrem Fili ſeculorum
Pater, non qualem in æternis ideis pri-
mogenitam rerum, ac terræ, cælique
apicem concepiſti, nec qualem concep-
tus omnium cæleſtium donorum cumu-
lo conſecraſti, ſed qualem in his cim-
merijs tenebris fas mihi fuit intueri. Ex-
cipite Reginam Serui, coronati trium-
phatricis Hieroſolymæ ſimul Ciues, &
Reges, non qualem adoratis tanquam
ſupremam ordinum veſtrorum Hierar-

chiam,

chiam, ſolo Deo minorem, ſed qualem in altiſſima humilitatis meæ abyſſo iacenti, licuit venerari. Alienum ab officio pietatis duxiſſem, vti Tibi Dei Fili Matrem non ſiſtere, & IESVM a MARIA ſeiungere, ita vobis Cælites eam, qua nihil in terris, cæloque magnificentius eſt, veſtris laudibus felicius ęternùm celebrandam non exhibere. Tu verò vtriuſque Mundi Regina *dignare me laudare te Virgo Sacrata.*

Cum dignè loqui nequeam;

Cantus eſt melliflui tui Oratoris Bernardi Filium tuum IESVM Dominum noſtrum alloquentis.

De te tamen ne ſileam
Amor facit, vt audeam,
Cum de te ſolum gaudeam.

PIO LECTORI.
Auctoris mens.

APerio tibi pie Lector omnem propoſiti meirationem. Euulgata iam erat elegantiſſima Aloysij Iuglaris de Chriſti Domini vita elogiorum Hecatombe. Alia præclariſſima de Sanctis Patribus Chriſti Domini Progenitoribus ab Adamo Protoparente per totam Seruatoris mundi gentilitatem deſcendens ediderat Emmanuel Theſaurus. Prodierant quoque Io. Baptiſtæ Maſculi faſti Sanctorum omnium continenti totius anni curſu nobiliſſimis encomijs illuſtrati. Aliquibus viſa eſt deſiderari Magnæ Deiparæ vita elogijs, continuata geſtorum, & myſteriorum ſerie, deſcripta. Adieci itaque animum, vt illa exararem, cum Rhetor politiores litteras docebam in Collegio Braydenſi, & vtcunque e calamo exciderunt. At opella tenuis, & informis mihi diu indigna luce publica viſa eſt; vnde iure ſuo in tenuitate, ac tenebris, in quibus nata fuerat, iacuit, ac delituit. Acceſsit etiam quod grauioribus tradendæ theologiæ, tum moralis, tum ſcholaſticæ exercitationibus intentus Palladi, ac Muſis, alyſque vocalibus amænio-

ris litteraturæ ſtudijs vale dixeram, ac ſilentium impoſueram. Sed tandem alijs damnantibus tenebras, alijs etiam ſuadentibus lucem leuioribus hiſce ingenij exercitamentis, illa publici iuris eſſe volui; adiectis tamen ex ſacris litteris, Sanctis Patribus, Hiſtoricis Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis ijs, quæ MAGNAE DEIPARAE vitam maximè illuſtrant, & celebrant, tum vt omnia mea ſtudia humana, & diuina MARIAE cui tanquam Auguſtiſſimæ, & Beneficentiſſimæ Dominæ, ac Patronæ meæ me totum deuoueram, conſecrarem, tum vt, ſi minus mea illa elogiola ſaltem ſacrarum litterarum oracula, hyſtoriarum eccleſiaſticarum monumenta, effata Sanctorum Patrum, & ſcholaſticæ theologiæ ſcita placerent, ac ſaperent. Quanquam quid pio Lectori non placeat, quod MARIAE nomine inſcriptum eſt? Quid non ſapiat, quod MARIAM ſonat? Quid non magnum, auguſtum, cæleſte, ac diuinum ſonet, quod Mariam? Scio MAGNAM DEIPARAM apicem rerum eſſe, ſupra omnem eloquentiam omnibus laudibus eminentiorem, ac titulis grandiorem. Hoc turmatim confertiſſimo agmine clamant Sancti Patres, alijque Scriptores vniuerſi, quibus MARIA ignota non eſt. At ideò ne illaudabilis eſt? Imò nunquam

non

non laudabilis, quia nunquam ſatis laudari poteſt. Nullum ſeculum ab orbe nato in eius vnquam laudibus otiatum eſt, vt hoc etiam nomine, negotium omnium ſeculorum iure dici poſſit. Et meritò, nam nulla totius anni dies, vt in doctiſſimo ſuo Kalendario eruditè demonſtrat Antonius de Balinghen ſine multis lineis Marianorum beneficiorum, & miraculorum eſt.

Si fieri poſſet, quod arenæ puluis, & vndæ,
Vndarum guttæ, roſa gemmæ, lilia flammæ,
Ethera, cœlecolę, nix, grando, ſexus vterque,
Ventorum pennæ, & pecudum genus omne,
Syluarũ rami, frondes, auiũ quoque pennæ,
Gramina, ros, ſtellę, piſces, angues, & ariſtę,
Et lapides, montes, cõualles terrę dracones,
Linguæ cuncta forent, minimum depromere poſſent.
Quę ſit vel quanta Virgo Regina MARIA.
Quę tua ſit pietas nec littera, nec dabit ętas.

Ita canit rectiori pietatis cultu, quam metri Petrus Comeſtor apud Vincentium in ſpeculo hiſtor. l. 30. c. 1. Huic concinit Sanctus Caſimirus Polonus in ea rythmica oratione ad Beatam Virginem, quæ anno 1609. ſuper eius pectus ante centum viginti annos humatum, reperta eſt. Inter alia hæc habentur.

Nullus certè tam diſertæ
extat eloquentiæ,

ſtatim ephimeri flaceſcerent, ac putrerent. Audeo dicere, quod in æternos flores ſtellaſcent, ſi ijs MARIA coronari poſsit, cuius frontem coronariæ Stellæ ambiunt. E Paradiſo terreſtri germinarunt; vbi è Mariana vita. Nihil illis ſublimius, cum auguſtiſsimo capiti, quod ſupra omnia eſt, corollam compegerint. Inuido oculo legi: maligno vngue carpi vix ſine piaculo poſſunt. Reiculus tibi omnino eſſe non debet pie Lector, ac probroſus liber, qui MARIAM habet Angelorum, Hominumque Reginam, humanæ dignitatis, & diuinæ largitatis non plus vltra, *ſupremum cæli, terræque incrementum, rerum omnium ſummam, vno Verbo, Dei Matrem maiorem omnibus, & ſolo Deo minorem.*



INDEX
SANCTORVM PATRVM,
aliorumque, quorum ſiue verbis, ſiue ſententijs, in hoc libro MAGNA DEIPARA celebratur.

A

Abdias Babylonicus.
Adam de Perſe.
Adam de S. Victore.
Adamnanus Abbas.
Adamus Gontzen.
S. ADO Epiſ. Vienn.
Aelredus.
Aegidius KoninK.
Aegidius Luſitanus.
Albertus Magnus.
B. ALCHVINVS.
Alexander de Hales.
Alexander Monachus
Aloyſius Lippomanus.
Aloyſius Nouarinus.
Alphonſus Mendozza.
Alphonſus Paleottus.
Alphonſus Salmeron.
Alphonſus Toſtatus
S. AMBROSIVS.
Ambroſius Anſbertus.
Amedeus Lauſanenſis.
Ammonius Alexand.
S. ANASTASIVS Antiochenus.
Anaſtaſius Papa in 2. Conc.
S. ANASTASIVS Sinaita.
S. ANDREAS Cretenſis.
Andreas Duualius.

Andreas Fuluius.
ANDREAS Hieroſol.
B. ANDREAS Mon. Ciſt.
Angelus Cæleſtinus.
Angelus de Pas.
S. ANSELMVS.
Anſelmus Ord. Min.
Antiochus Abbas.
S. ANTONINVS.
Antonius Agellius.
Antonius de Aranda.
Antonius de Balinghen.
Antonius Giraldus.
S ANTONIVS Patauinus.
Antonius Mauritius.
Apollinaris Laodicenus.
Apponius.
Arrias Montanus.
Arnoldus Abbas.
S. ATHANASIVS.
S. AVGVSTINVS.
Auguſtinus de Ancona.
Auguſtinus de Quiros.
Auguſtinus Torniellus.
Aurelius Caſſiodorus.
Aurelius Prudentius

B

BAlduinus Iunius.
Baltaſſar Corderius.
Baltaſſar Porregus.
Baptiſta Mantuanus.
Baptiſta Platina.
Bartholomæus Medina.
Bartholomæus Piſanus.
S. BASILIVS Magnus.
S. BASILIVS Seleucienſis.
BEDA Venerabilis.
Benedictus Fernandius.
Benedictus Iuſtinianus.
Benedictus Pererius

Bernardinus de Buſto.
S. BERNARDINVS *Senenſis.*
S. BERNARDVS *Abb.*
Bernardus de Alderete.
S. BIRGITTA *in ſuis reu.*
Blaſius Viegas.
S. BONAVENTVRA.
Burchardus de Monte Sion.

C

Cæleſtinus Papa.
Cæſar Card. Baronius.
Caius Cælius Sedulius.
S. CASIMIRVS *Polonus.*
Chriſtianus Adrichomius.
Chriſtianus Druthmarus.
Chriſtophorus Auendagnus.
Chriſtophorus Caſtro.
Chryſippus Præsb. Hieroſ.
Chryſoſtomus Iauellus.
Chryſoſtomus Luſitanus.
Claudius Eſpencæus.
CLEMENS *Alexand.*
S. CLEMENS *Romanus.*
Cornelius Ianſenius.
B. COSMAS *Veſtitor.*
S. CYPRIANVS *Martyr.*
S. CYRILLVS *Alexand.*
S. CYRILLVS *Hieroſol.*

D

Daniel Mallonius.
Demochares.
Didacus de Alarcon.
Didacus de Celada.
Didacus Murillius.

Dominicus Sotus.
S. DOROTHEVS Martyr.
Durandus à S. Portiano.
S. DYONISIVS Alexandrinus.
S. DYONISIVS Areopagita.
DyoniſiusCarthuſianus.

E

EBerardus Archidiaconus.
Echebertus Abbas.
EgeſippusHiſtoricus.
Elias Cretenſis.
S ELIGIVS.
Emmanuel Theſaurus.
S. EPHREM *Syrus.*
S. EPIPHANIVS.
Epiphanius Conſtantinop.
Euagrius Scholaſticus.
S. EVCHERIVS.
S. EVGENIVS.
EVODIVS.
Euſebius Cæſarienſis
Euſebius Emiſſenus.
Euſebius Nierembergius.
S. EVSTHATIVS.
EutymiusZigabonus.

F

FErdinandus de Salazar.
Ferreolus Locrius.
Flauius Blondus.
Flauius Dexter.
Franciſcus Albertinus.
Franciſcus Arrias.
Franciſcus Collius.
Franciſcus Ferrarienſis.
Franciſcus Feuardentius.
Franciſcus Lucas.
FranciſcusLycbettus.
Franciſcus de Mayronibus.
Franciſcus Mendozza.
Franciſcus Pitigianus.
Franciſcus Quareſmus.

mus.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Syluius.
Franciſcus Titelmannus.
Franciſcus Card. Toletus.
Franciſcus Turrianus.
Franciſcus Venetus.
Franciſcus Ximenez.
Franco Abbas.
S. FVLBERTVS Carnot.
S. FVLGENTIVS.

G

Gabriel Biel.
Gabriel Bucelinus.
Gabriel Vaſquez.
S. GAVDENTIVS.
Georgius Cedrenus.
S. GERMANVS Patri. Conſ.
S. GERARDVS Ep. & M.
Ghiſelbertus Monachus.
Gillibertus Abb.
Goffridus Vindocinenſis.
Gregorius Gallicanus.
S. GREGORIVS Magnus.
S. GREGORIVS Nazianz.
Gregorius Neocæſarienſis.
Gregorius Nicomed.
S. GREGORIVS Nyſſenus.
S. GREGORIVS Papa VII.
S. GREGORIVS Thaumaturgus.
S. GREGORIVS Turonenſis.
Gregorius de Valentia.
Guarricus Abbas.
Gullielmus Card. Alanus.
Gullielmus Durandus.
Gullielmus Pariſienſis.
Gullielmus Paruus.

Gullielmus Pepinus.
Gullielmus Tyrius.

H

HAymo Albertad.
Henricus Caniſius.
Henricus Enriquez.
Henricus de Gandauo
Henricus de Haſſia.
Hermannus Contractus.
Heſychius Presbiter.
S. HILARIVS.
S. HILDEPHONSVS.
Hilduinus Abbas.
S. HIERONIMVS.
Hieronymus Angelita.
Hieronymus Bardius
Hieronymus Gratianus.
Hieronymus Lauretus.
Hieronymus Pradus.
Hieronymus à Rua.
Hippolitus Maracius
S. HIPPOLITVS Martyr.
Hippolitus Thebanus.
Honorius Auguſtodunenſis.
Horatius Turſellinus.
Hugo Cardinalis.
Hugo Pharſitus.
Hugo de S. Victore.

I

IAcobus Almainus.
Iacobus Chriſtopolitanus.
Iacobus Grætſerius.
Iacobus Granadus.
Iacobus Salianus.
Iacobus Card. de Vitriaco.
Iacobus de Voragine.
IDIOTA.
S. IGNATIVS Martyr.
Illuminatus Doctor.
Incognitus in Pſalmos.
Innocentius Papa III.
Io. Ant. Velaſquez.
Io. Bapt. Coccius.
Io. Bapt. Guarinus.

Io. Bapt. Lignius.
Io. Bapt. Maſculus.
Io. Bapt. Nouatus.
Io. Bapt. Villalpandus.
Io. Belethus.
Io. Boniſacius.
Io. Capreolus.
Io. Carthagena.
Io. Caſſianus.
S. IO. CHRYSOSTOMVS.
Io. Dadræus.
S. IO. DAMASCENVS.
Io. Card. de Lugo.
Io. Driedo.
Io. Dun Scotus.
Io. Echius.
Io. Ferarldus.
Io. Gagneus.
Io. Geometra.
Io. Gerſon.
Io. Halgrinus Ab.
S. IO. HIEROS. Carm.
Io. Iacobus Chiffletius.
Io. Iunius.
Io. Lanſpergius.
Io. Lorinus.
Io. Lucidius.
Io. Maior.
Io. Maldonatus.
Io. Maria Zamorrus.
Io. Martinez de Ripalda.
Io. Molanus.
Io. Naculerus.
Io. Oſorius.
Io. Perlinus.
Io. Raguſa.
Io. Rebellius.
Io. Ribera.
IO. CARD. Roffeſis.
Io. Trithemius.
Io. de Turrecremata Card.
Io. Viguerius.
Iodoccus Clictoneus.
Iodoccus Coccius.
Ioſephus Raguſa.
S. IRENAEVS Martyr.
S. ISIDORVS Hiſpalenſis.
Iſidorus de Iſolanis.
Iulius Aphricanus.

Iulius

Iulius Nigronus.
Iulius Sirenius.
S. IVSTINVS Martyr.
IVVENALIS. Ep. Hieroſ.

L

Landulphus de Saxonia.
B. LAVRENTIVS Iuſtinianus.
Laurentius Maſcellus.
Laurentius Surius.
S. LEANDER.
Leander Albertus.
S. LEO Magnus.
Leo Caſtrius.
Leo Imp. Cog. Sapiẽs
Leonardus Marcus.
Leonardus Matthæus Vtinus.
Lucas Tudenſis.
Ludouicus Bloſius.
Ludouicus Molina.
Ludouicus de Ponte.

M

Marcellinus de Piſe.
Marcus Ant. Coc. Sabell.
Marcus Card. Viguerius.
Marianus Scotus.
Marianus Victorius.
Marineus Siculus.
Marinus Sannutus.
Martinus Delrius.
Martinus Nauarrus.
Matthæus Galenus.
Matthias Naueus.
Mauritius Bona.
Maximilianus Sandeus.
MAXIMVS Abbas
S. MAXIMVS Taurinenſis.
Melchior Canus.
Melchior Inchoffer.
S. MELITO Ep. Sard.
S. METHILDIS in renel.
S. METHODIVS.
Michael Ghislerus.
Michael Glycas.
Michael Syngellus.
Mutius Iuſtinopolitanus.

Nice-

N

NIcephorus Caliſtus.
Nicetas Dauid.
Nicolaus Chriſtoph. Radziuil.
Nicolaus Card. de Cuſa.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Monachus.
Nicolaus Sanderus.
Nicolaus Serarius.

O

S. ODILO Abbas.
Odoricus Rinaldus.
Oecumenius.
Onuphrius Mareſcalcus.
S. OPTATVS Milleuitanus.
Origenes Adamantius.

P

PAlladius.
Pantaleon Diaconus.
S. PASCHASIVS.
S. PAVLINVS Nolanus.
Paulus Barry.
Paulus Belli.
Paulus Burgenſis.
Paulus Palatius.
Paulus Sherloghus.
Pelagius Aluarus.
Pelbartus de Temiſuuar.
Petrus Abelardus.
S. PETRVS Alexand.
Pet. Ant. Spinellus.
Petrus Arrubal.
Petrus Card. Aureolus.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Bonifacius.
Petrus Caniſius.
Petrus Cellenſis.
Petrus Cluniac. cog. Vener.
S. PETRVS Chryſologus.
Petrus Comeſtor Mag. Hiſt.
B. PETRVS Damiani Card.
Petrus Galatinus.

Petrus

Petrus Halloix.
Petrus Lintrenſis.
Petrus Lombardus Mag. Sent.
Petrus Loyeccius.
Petrus de Mēdozza.
Petrus Morales.
Petrus Nannius.
Petrus de Natalibus.
Petrus Paludanus.
Petrus Peramatus.
Petrus Ribadeneyra.
Petrus Sotus.
Petrus Tyreus.
Philibertus Pingonius.
Philippus Abbas.
Philippus Barlamontius.
Philippus Moncęus.
PHILO Carpathius.
S. POLICHRONIVS Ep.
Procopius Gazæus.
PROCLVS Cōſtantinop.

R

Rabbanus Mogunt.
Raphael Volaterranus.
Raymundus Iordanes.
Richardus à S. Laurentio.
Richardus de media Villa.
Richardus de S. Vict.
Robertus Card. Bellarminus.
Rodericus Sancius.
Rodulphus Agricola.
Rupertus Abbas.
Rutilius Benzonius.

S

Sanctius Pagninus.
Sergius Hieropolita.
Sebaſtianus Barradius.
Seuerinus Boetius.
Sidonius Apollinaris.
Simeon Metaphraſtes.
Simon de Caſſia.
Sixtus Senenſis.
Socrates Hiſtoricus.
S. SOPHRONIVS.
Sozomenus.

Stephanus Binettus.
Stephanus Mendez.
Strabus Fuldenſis.
Suidas.
S.SVLPICIVS Seuerus.
Sylueſter Prieratus.

T

THEODORETVS.
S.THEODORVS Studita.
Theodotus Epiſc.
Theophilactus.
Theophanes Epiſc.
Theophilus Hiſtoriographus.
Theophilus Raynaudus.
Tertullianus.
S.THOMAS de Aquino.
Thomas Beoux.
Thomas Bozius.
Thomas Card. Caietanus.
Thomas Cantipratenſis.
S.THOMAS Cantuarienſis.
Thomas Sanchez.
Thomas Stapletonus
S.THOMAS à Villa noua.
Timotheus Conſtant.
Timotheus Hieroſol.
TITVS Boſtrenus.

V

VAlentinus Gerardus.
Valentinus Herice.
Vbertinus Caſalius.
Victor. Antiochenus
S.VVILLIBALDVS Epiſcopus.
Vincētius Belluacēſis
Vincentius Carraſa.
S.VINCENTIVS Ferrerius.
Vincentius Regius.
Vſuardus Monachus.
Vuillelmus de Baldenſel.

Z

ZAcharias Chryſopolitanus.
S. ZENO Veronenſis.

AVctor in Salue Reg. cred. S. Bernardus.
Auctor l. ortus B.V. cred. S. Hieronymus.
Auctor ſerm. de Nat. Dom. apud Petrũ Damiani.
Auctor ſerm. de Nat. Dom. apud S. Cyprianum.
Auctor ep. de modo bene viuendi inter opera S. Bernardi.
Auctor vitæ S. Ioſephi apud Iſolanum.
Auctor 99 ad Antiocum inter opera S. Athanaſij.
Auctor tract. in MAGNIFICAT in tom. 9. op. S. Auguſtini.
Auctor Florilegij Græci apud Buteonem.
Auctor cantici Græci apud Billium inſerti op. S. Io. Damaſceni.
Auctor Anonymus relatus a Richardo a S. Laurentio.
Auctor Comm. in Apocalypſim, qui tribuitur S. Ambroſio.
Auctor Pomerij.
Auctor operis de Aſſumptione inter opera S. Auguſtini.
Auctor Marialis Anonymus Ord. Prædicat.
Auctor Imperfecti in Matthæum.
Auctor ſermonis de Deipara ap. S. Athanaſium.
Auctor Scholiorum in S. Dyoniſ. Areopagitam.
Auctor dialogi inter Papiſcum, & Iaſonem apud S. Cyprianum.
B Bertramus in ſuis Reuel. apud Petrum Caniſiũ.
Concilia, Epheſinum, Calcedonenſe, Conſtantinopolitanum, Lateranenſe, Florentinum, Baſileenſe, Conſtantienſe, Tridentinum, Claramontanum Toletanum, Gangrenſe, Trullanum.
S. Eliſabetha Hungarica in ſuis Reuel. apud S. Bonauenturam.
Vniuerſitates Pariſienſis, Colonienſis, Moguntina, Valentina, Salmanticenſis, Oſmenſis, Saguntina, Neapolitana.

FINIS.

AD MAGNÆ DEIPARÆ VITAM.

ELOGIA

PROLOGOMENA.

Sacratiſſimum B. V. Roſarium, quo diſtributis decuriatim iuxta myſteriorum numerum Angelicis Salutationibus, Angelorum Hominumque Regina piè ab hominibus colitur & coronatur.

ELOGIA.

I.

Abſcondite Superi aſtra,
immortales veſtras roſas,
quando à noſtratibus moribundis,
& inter verba ſpirantibus,
geminata ne dicam nocte, an accenſa die
Eccly pſim patiuntur!
Illæ mundum coronant æterno diademate:
iſtæ MARIAM,
quæ vbi Deū cepit, quem totus nō capit orbis;
cepit eſſe mundo maior.
Admirabiles magis ſunt
cum ex HORTO CONCLVSO prodeuntes.
Aprilem ſemper florentis veris
vbique aperiunt.

II.

Non eſt quod cælo terra inuideat
vbi has germinarit ROSAS.
Ab amæno MARIANI Pelli ROSARIO
omnes

omnes cæleſtē rorē delibare poſſunt mortales.
Sed ingenioſæ preſertim Apes Virgines
elaborant ſuauius mellificium ſanctitatis.
Fabula eſt, ſi hanc excipias,
omnis, quæ condit diuinas epulas, Ambroſia.
Saltem non ex alio ſucco expreſſa
in diuinis menſis beatis conuiuis magis ſapit.

III.

Bene eſt: infames roſas impurę Veneris cruore,
Dea candoris
ſibi Mater Virgo conſecrauit!
Etiam nunc candidæ regnarent
abiecta purpura;
niſi primorum nataliū fabulam erubeſcerent.
Ah pudeat homines adorare venęreas roſas:
contemnere venerabiles!
Nemo benè Cæli, terræque Reginam colit,
qui eius CORONAM deſpicit.

IV.

Quid iactas Teſſalia florida tua Tempe?
Quid cælo confinem Olympum
Regem montium coronas?
Admirabiliora Tempe in Templis habemus,
vbi ROSEIS corollis cælum,
verus Olympus, redimitur.
Humilitatis tamen prodigium eſt,
quod MARIA
Sole paludata, Luna calceata, Stellis coronata,
noſtras non reijciat ROSAS.
Sed hæ ROSÆ, Stellæ verius terrarum ſunt,
quam Stellæ dicantur Cæli roſæ.

V.

Prima Eua nocens Spinas inuexit,
quibus mundus fuit miſerè laceratus.
Secunda Eua innocens felicius magno vulneri,
medicas adhibet ROSAS.

O vtinam

O vtinam innoxiæ iſtæ ſine ſpinis ROSÆ
vbique vernent!
Inter hæc ROSARIA
primi horti reflorebit amænitas.
Imò refloreſcente cum aureis diebus,
innocentiæ ſeculo,
totus mundus ex eremo Spinarum
amabili metamorphoſi
in Paradiſum deliciarum reuireſcet.

VI.

Vtcunque coronariæ lauri immortalem gloriã
frontibus laureatis Triumphantiũ germinarint.
Vbi rerum omnium MARIA Triumphatrix
capiti ſuo ROSAS admiſit,
omnes poſthac Chriſtiani triumphi
abiecta laurea, celebrentur in ROSEA.

VII.

Quis in Pontificijs noſtrorum altarium menſis
lautitias reſpuat?
In candida fruge Diuinitate dapſili lacteſcens
ipſe Deus in epulum cedit,
& ne quid deſiderari poſſit
innocentium deliciarum
CORONATI ROSIS conuiuæ
menſis accumbunt.

VIII.

Nec Solũ nobilibus ROSIS quæras, nec Solem!
Pro Solo Cælum: pro Sole Deus
non ephimeras voluit eſſe, ſed immortales,
nec odoratas tantum, ſed adoratas.
Non eſt ergo mirum
adhuc edacis temporis ieiunum dentem eſſe,
nec has ROSAS
ab Helluone rerum omnium fuiſſe roſas.
Mirum eſt vnam Hiericontidem ROSAM
in tantam Roſarum Syluam ſoboleuiſſe,
vt

vt iam horti Heſperij,
& Inſulæ fortunatæ citra Gades
vbique vernent.

IX.

Quid latras in cælum voluptatis amator
quaſi cæli callis anguſtus ſit, & ſeptus ſpinis?
Falleris! amæniſſima eſt ad cælum via:
inter gemina ſemper roſaria itur.
Sed alterum calcandum eſt pedibus:
alterum capiti inſerendum.
Vbi flaueſcentes Veneris roſas protriueris:
vbi æternas MARIÆ ROSAS
capiti impoſueris:
tutò ad cælum ibis;
etiam antequam ad cælum peruenias
CORONATVS.
Aberrabis a cælo, ſi viam quæris
adulteræ Iunonis impuro lacte liliacam.
Vbi quam ſuo pudore ſibi magna Virgo fecit
ROSEAM inueneris,
Epigraphen hanc aureis caracteribus inſcribe
Hàc ò Heroes itur ad Superos.

X.

E cælo deijcite Aſtrologi ſtellantem
Ariadnæ coronam,
& ROSEAM MARIÆ nobiliorem inſerite.
Feliciori ſorte iſta cælum donat,
quam illa fuerit cælo donata.
Nemo verò ROSAS cæleſtes eſſe neget,
quæ in cælo gratiarum
STELLAM MARIS coronant?
Certè non illuſtriores Eridanus celeſtis irrigat,
quam mare MARIÆ aureas ROSAS.
ROSÆ ſunt, dum illas loqueris:
impoſitæ cæleſtis Virginis capiti
ſtatim ſtellaſcunt.

Magnā

Magna felicitas eſt
pulchriores ROSAS ore proferre;
quam præferat orienti Poſphorus,
Heſperus occidenti.

XI.

MARIA & IOSEPHVS
Sanctorum flores
totam ſibi veris amænitatem diuiſerunt.
In IOSEPHI manibus lilia germinarunt:
In capite MARIAÆ florent ROSÆ.
Illa niuibus ſuis candorem
Virginis Sponſi probarunt:
iſtæ magnæ Matris amores monſtrant.
Si illa lilia iſtis ROSIS innectas
nullam pretioſiorem CORONAM
in regno cæleſti inuenies.
Beati, qui omnes cæli Reges ſunt,
pro hac florea, aüream ſuam darent.

XII.

Reginarum flori MARIÆ,
iure Regina florum ROSA dicatur.
ROSA iſta tamen non e Cypri collibus;
ſed e Caluarij ſenticeto progerminat.
Ipſe Rex dolorum dibapham purpurā dedit,
cum etiam ſuo ſanguine ſaturauit.
Inter cruciarias Spinas nata,
inimica eſt voluptatis.
Ita potuit inter ſpinas iuxta crucem
tota etiam Regina dolorum
in ROSAS purpuraſcere,
& monſtroſa inſitione
LILIVM INTER SPINAS
ſoboleſcere in ROSAS.

XIII.

Non faſcibus ſpinarũ ſtipatur Virgo Auguſta,
ſed ROSARVM faſciculis,

impe-

imperium ſuum non in pœnas,
ſed in delicias expediens.
Non debuit ſuis ROSIS carere,
quas ROSEIS digitis
Cælo, terriſque explicaret
Sereniſſima Æterni Solis Aurora.

XIV.

Inſerta rubo Ieſſeæ radicis Nazarena ROSA
tota in ROSAS floreſcens germinauit.
Hinc ille fulminator, ac Tonans Deus,
qui rigebat in rubo,
poſtquam humanitatem induit,
vernat in ROSIS.
ROSÆ tamen iſtæ ſpinarum filiæ
caput, quod coronant
poſcunt aduerſus mundi delicias
vndequaque ſpinis galeatum.

XV.

Filio teſte cæleſtis Agricola Deus Pater,
ROSEA ſepe vineam ſuam circumdedit,
quæ ROSIS fragrantibus amicos alliceret,
ſpinis aculeatis hoſtes arceret.
At ne quis tam nobiles ROSAS violaret
ex eiuſdem familia Domini-cani cuſtodes
prudentiæ non minus maturitate,
quam innocentiæ candore adhibentur.
Niſi velis fidos Domini canes eſſe,
non terreſtres, ſed cæleſtes,
qui dum aduerſus fidei hoſtes latrant,
ſuis ſplendoribus orbem illuſtrant.
Certè ore ſemper ſtellanti Caniculę charitatis
amoris diuini æſtatem ſecum ferunt.
Quis vos inter homines
Suauiſſimos Diuinorum PRÆDICATORES
eſſe neget?
Floridè loquentes
ſacras

ſacras vbique ſpargitis ROSAS;
& inter cæleſtia veſtra ROSARIA
CORONATI Oratores vbique ttiumphatis:
Magna veſtra felicitas eſt,
poſſe omne humanum genus iuuare.
Habetis aduerſus omnes morbos antidotum
medicas in manibus veſtris ROSAS.
Si capiti imponantur,
ſuperbiæ tumentis delirium diflant.
Si inſerantur cordi,
luxuriæ æſtuantis febrim extingunt:
Prodigium eſt ab illis
compungi corda, nec vulnerari,
imo geminato beneficio compuncta ſanari:
Eia ergo cæleſtium florum
ex HORTO CONCLVSO cultores,
immortalia veſtra ROSARIA circumferentes,
manibus ROSAS ſpargite plenis.
Nunquam felicius celebrabitis
natalia virtutum,
vitiorum funera,
MARIÆ floralia,
quam ſparſis veſtris ROSIS.
Ita Deus terreſtrem Paradiſum
cum ſuis ROSARIIS
Angelis flammei gladij cuſtodibus
nimirum Verbi Dei PRÆDICATORIBVS
concredidit.
Hæc enim terris educit,
cælo educat
verus omnium deliciarum Paradiſus
MARIA.

Laure-

Lauretana domus,
In qua prius Nazarena Verbum Caro
factum eſt, & habitauit in nobis,
nimirum in qua corporatus vnigenitus Dei Filius ineffabili commercio humanam naturam
ſibi iungere, & verus homo fieri dignatus eſt.

ELOGIA.

I.

Aſcende adorator orbis terrarum,
Laureatum montem,
cui coronatum ſtellis caput ſuum
humile quoque cælum inclinat.
Vbi aſcenderis, DOMVM ingredere
mundo quoque hoſpite laxiorem.
Quis enim dicat Dei etiam paruuli,
auguſtam DOMVM;
cum in eo immenſitatem cupiat,
quam nihil capit?
Quid latras cynica voce, & mordes
inuida Synagoga?
Hem quantum potuit a Nazareth boni eſſe!
Apagite iam Hebræi canes infideles!
Debebatis ſaltē DOMI ſuæ Dominū revereri.

II.

Eradicato veteri primi Adami Protoplaſti
nouum ſecundus Adamus Protoplaſtes aperit,
in florida domo Nazarena
deliciarum Paradiſum.
Sed hortus Eden mortis tumulus fuit:
hortus Nazareth talamus vitæ.
In eo natus mundus adhuc infans
miſerè

miſerè moritur:
in hoc dudum mortuus feliciter renaſcitur
Nec ſolum Adamum Galileus Paradiſus,
ſed Euam quoque habet innocentem.
Eodem Nazarena Virgo partu,
Dei Mater, & mundi
Hominibus Deum concipit,
& Homines Deo parit.
Ab hac noua innocentiæ Regia
exulare cogitur Serpens veterator.
Quod enim aconitum inficere poſſit
terram Virginem, cui Cælum inuidet?
Indigena Deus non homo,
vt in ea colatur, eam colit,
nec irrigat abyſſi fons, ſed cæli,
vt nõ mireris excurrere omnia fluẽta virtutũ.
Scire cupis quantũ ſupra Damaſcenũ Paradisũ
Nazarenus aſſurgat!
Hoc diuino VERBO, non humano
explicari debet.
Tantùm aſſurgit quantùm præſtat
Deum hominem fieri,
quam hominem luteum fingi,
Deum concipi, quam mundum naſci.
III.
Deſtruite mendacium oraculorum
Architecti Aſtrologi
cælites veſtras domos.
Facile erit ſine fundamento per inane erectas
e cælo domos præcipites dare.
Vna eſt cæleſtis DOMVS Nazarena
vbi prima æterni Solis concepti illuxit Aurora.
En vt in ipſo Dei conceptu mundo renaſcenti
Horóſcopum fortunatiſſimum aperuit!
En vt Solem ſuum in oriente exceptum
in occidentem mobilis DOMVS tranſtulit,
&

& cælo fixa
mutauit aſpectum!
Hoc mirum eſt, quod omnis fauſtitas
non ex Dei aſcendentis luce,
ſed ex vmbris deſcendentis
ſupra ipſius cæli leges irradiat.
Nec vna tantum aſtrifera Solis æterni domus;
ſed vera eſt omnium ſignorum
cæleſtium Eclyptica;
vbi illuſtre in DEO-HOMINE, ſed verum
venerabile monſtrum terris dedit,
innocentibus omnium prodigiorum monſtris
ſplendidè belluata.
Quam hinc felicitatem terris non portendat
Sol Deus tot annis in vna DOMO
Stationarius?

IV.

Cum Solis motu cęleſtis diuini Solis DOMVS
oriente illuſtrato, occidenti irradiat,
& quod nobis felicius fuit
non cæli, ſed terrarum orbem peragrando.
Solum ergo mutat Nazarena DOMVS,
non cælum;
quis enim à Dei DOMO Cælum ſeiungat?
Vt Deum facilius in MARIÆ ſinu inueniremus
ipſa cæpit Nazarena DOMVS peregrinari,
& deducta noua e Nazareth
diuinæ familiæ colonia
totum mundum conſecrare.
Iam totum orbem IESVS & MARIA
ſibi dedicarunt.
Aſiæ Aphricam,
Aphricæ deinde addiderunt Europam.
Aſiam Ciues
Aphricam exules,
Europam immortales colunt.

Quis

Quis peregrinum in terris Deum neget,
ac viatorem,
cum ipſa domus patria,
potuerit eſſe peregrina?

V.

Dedalus amor ſuis alis inſtructam de ſuo
aligeram DOMVM diuina arte fabrefecit.
Addiderunt Alites Empyrei,
quibus Dei DOMVS ſtipatur,
vt volucris eſſet,
vndequaque pennas ſuas.
Iure magna domus
in qua Deus concipitur, renaſcitur mundus,
alter veluti terrarum orbis
ſuis ponderibus libratur in aere;
Ab eo Deo portatur, quem portat,
& cælo cõcentrica vbique inuenit centrũ ſuũ.
Quibus hanc DOMVNCVLAM machinis
architectus omnium amor transfert,
ijſdem mundum
in Sui magnam domum ſtruxit.
An difficile ſit Reginæ manui
DOMVM ſtruere
ſe ipſam in aere librantem,
quæ vno nutu omnia ex nihilo trahens
ſuſpendit in nihilo?

VI.

Profanas fabulas ſacris ſuperamus hiſtorijs,
Orpheos Thaumaturgis.
Iuſſerunt iſti lapides non tantum volare,
ſed montes,
nec fidibus, ſed fide:
Ipſum Dominum ſerui ferè viciſſent,
cum ille domum,
iſti alites montes tranſtulerunt;
niſi vnico miraculo
omnia

omnia, alia prodigia ſuperaſſet;
cum antequam domum per aera ferret
e cælo ipſe in terras deſcendit.
Vbi diuinum VERBVM ſine metaphora
DEVS-HOMO
e cælo Sui tranſlationem in terras fecit,
alias omnes translationes voces dixeris,
& fere nihil.

VII.

Illhirycum littus
primum peregrinæ DOMVNCVLÆ
hoſpitium fuit.
Omnigeno felicitatis flore
ſteriles ſtatim arenæ vernarunt.
Euulſa e ſuis radicibus Dei in terris REGIA
vitam, quam conceperat, non amiſit.
Imò tranſlata melior
per vnum prodigium in innumera ſoboleuit.
Potuiſti Illhirys Regina terrarum videri
abrogato tuis Schlauis ipſo ſeruitutis nomine.
Tu quoque occidens prælatus es orienti:
ille lucis; tu fidei exortu purpuraſcis.
Ille mundi naſcentis;
tu Dei Infantis potes incunabulis gloriari.
Quis verò non ſperet nunquam occaſurum
Deum occidenti,
vbi habuit Dei orientis domum?

VIII.

Iterũ, ne ſuis beneficijs maleficia prouocaret,
& ad ſacrã prædã prophanã barbariẽ traheret,
pennata DOMVS
nouo prodigio alas explicuit.
Exhibentibus municipium
alijs mundi prouincijs,
Italia rerum potens vicit.
Alijs exauthoratis
vnicum

vnicum habet orbis terrarũ in Italia miraculũ.
Infelix Roma
cum in aurea Neronis domo concluſa eſt.
Felix ſi in hanc lateritiam migraret,
ac totum vrbs orbem inferret.
Hac paupere DOMVNCVLA Italia diues
ipſam Cyri Regiam ſperne.
Certè nunquam occaſuræ felicitatis
habes auſpicium:
nunquam deſerit Deus locum, cui inſidet;
Tibi tamen orbis Dominæ
iure DOMVS Domini hereditas ceſſit,
factura Reginam Regnorum omnium,
ſi non inueniſſet.

IX.

Nec victa loco ceſſit
terrena DOMVS cælo maior;
ſed inter Lauros triumphatrix
ſummum Apenninum occupauit.
Cæleſtis Amazonis omnium victricis
decebat Regiam eſſe laureatam.
Ingens pars victoriæ fuit
ferox elementum Hadriaci maris domuiſſe,
Etiam nunc ſi quando rebellat,
nutus reueretur Reginę maris, adorat imperia;
Vt ſcias ſupra non ſolum inferum,
ſed ſuperum mare
MARIAM eſſe
mare gratiarum,
benefica alluuione terras inundans, & cælum.

X.

Quis Oceanus non veneraretur
volantem non veliuolam Inſtitoris nauim,
quæ non Romani Cæſaris
ſed diuini Imperatoris fortunam vehit?
Addidere Hadriaci fluctus

leni ſuſurro vocales
Auguſtæ ſuæ gratulatorium celeuſma.
Ipſe aer ad magnæ Deiparæ
reuerentiam compoſitus
totus Echo IO acclamans reſpondit.
Obedientiam quam mare, & venti
FILIO deuouerant,
MATRI etiam iure exhibuerunt.
In hoc triumpho lauream ne quæras;
namDOMVS triumphalis toto,in quo locatur
coronatur LAVRETO,
nec facit, ſed eſt ipſa ſibi capitolium
Vtcunque tamen magnum prodigium fuerit
alitem Dei DOMVM
ad montis apicem aſcendere;
maius tamen prodigium fuit,
Deum in eam e cælo deſcendiſſe.

XI.

In LAVRETO altas radices fixit
Dei DOMVS,
vbi erat æternas datura victorias
MARIA triumphatrix.
Anguſta eſſet Hadriatici maris foſſa;
niſi Italiæ propugnatrix hæc Acropolis eſſet;
& inter ſua LAVRETA eminens
barbaris hoſtibus victrix immineret.
Thracium Martem ille non metuit,
cui militat Pallas Lauretana.
In Otthomannicæ Lunæ radios ſanguinolētos
ſereniſſimum Marianum Solem armamus.
Aut cedet marium motrix,
mater tempeſtatum Luna,
aut ſaltem deficiet.
A noſtro autem Sole
nemo beneficentiores influxus non expectet;
cum eſt in propria DOMO.

XII.

XII.

Hac pompa Sponſa cæleſtis de Libano venit.
vt inter LAVRETA in Apennino coronaretur.
Architectata ſuas victorias
Nicopæa Imperatrix,
Idumeas palmas Italis lauris innexuit.
Habet Hadria in procellis ſuis,
nouam, quam reſpiciat
ad Antarcticum Cynoſuram.
Arctous Anguis ſtygius virgine plāta calcatus,
illam etiam ad Auſtrum formidat.
Orientis vaſtator Turcicus turbo
in hunc portum nunquā ſua naufragia intulit.
Potuerit omnium pſeudodeorum patriam
Græciam expugnare,
veri Numinis patriam DOMVM
inexpugnabilem ſentiet,
& vnam DOMVNCVLAM fatebitur
ſupra Regna valuiſſe.

XIII.

Noua Arca ſalutis oneraria poſt emenſa mariā
non Armeniæ, ſed Italiæ montibus inſedit.
Quid non expectet Italia bonorum,
cui ipſa prodigia prodiguntur?
Immēſo pretio cęlū eam DOMVM cōduxiſſet,
quam Deus liberali munere Italiæ donauit,
nec euiſceratis montibus occidentis venalē,
nec maribus orientis.
Stabit æternis fixa radicibus nobilis DOMVS,
quibus abyſſum premit.
Stabit cælo coronata,
quod ipſa ſuſtentat.
Stabit terrarum apex, cæli baſis,
mundi metropolis.

XIV.

Nemo iam Lauretanæ ſedis ruinā ſuſpicetur!

 illi

illi totā tellus pauimentū eſt, cælum laqueare.
Vtcunque dubium ſit priuilegium naturæ;
has certè LAVROS fulmen non ferit.
In hoc lateritio Vallo
cæli vindices iræ franguntur.
Omnes turbines
Dei domum venerantur,
quæ ſupra omnem Æoliam videtur
ferè in Empyreo deliciari.
Iam ferè Cælum quærendum non eſt;
vbi has terras attigeris.

XV.

Iam tu quoque hac Dei REGIA iure ſuperbis,
& inter montes Regis nomen
Apennine mereris.
Æthnam deſpicis,
nam te veri Empyrei Gigantes
IESVS & MARIA ſuccendunt,
& in eorum amoribus
innocentem tuorū vulcaniam ignium ſentis.
Olympum quoque ſuperas,
cum te non aſtra tantum,
Sed SOL & LVNA coronent.
Vnam Dei DOMVM poſſidens
omnia infra te vides.
Supra ipſum Atlantem aſſurgis
cælum illuſtrius ſuſtentans,
nimirum Deiferam Matrem
amictā Sole, Luna calceatam, Aſtris coronatā.
Opifex Deus, vt ſupra Babylonios Tyrannos,
Romanam Eccleſiæ ſuæ Monarchiā extolleret,
non penſiles hortos ad orbis miraculū dedit,
ſed volucrem DOMVM.
Totū tamen huius Nazarenæ DOMVS pretiū
ipſa diuina familia eſt,
quæ aliquando eam coluit,

&

& æternum in ea colitur.
Quam domum non illuſtraret
ſupra omnem imaginum nobilitatem
Signum Magnum?
Quod enim aliud nomen meretur
MARIA inter vlnas IESVM ferens?
Si metiaris, Statua eſt:
Si ponderes, Coloſſus.

XVI.

Euangeliũ totũ, quod diuinus Scriptor Lucas
in papyro calamo ſcripſerat,
quia immortalitate dignum
ſcalpro etiam in cedro ſculpſit.
Nihil minus cælandum MARIA,
nihil celandum magis,
vt terras conſecraret cæli opus,
cælo dignum.
Nec mirum eſt ſtatuam facundam eſſe,
quæ IESVM in MARIÆ ſinu exhibet:
Ipſo ſuo quod edidit Mater
oratore VERBO ſe explicat,
& in muto etiam ſimulacro
videri poteſt magiſtra veritatis.
Nemo hanc ſtatuam dignè adorabit,
quin ad eam ſuſpenſus ipſe quoque ſtatua fiat.

XVII.

Artis prodigio
Non e viſceribus terræ radices montium;
ſed e cæli confinio,
apices cedrorum materiam ſuggerunt.
Iure in cedro exprimitur
incorrupta excelſæ virginitatis idea.
Nihil terræ ab Adamo luteo contraxit,
vt in argilla MARIA fingatur.
Ne quidem primi vapores recentis luti
Innocentem Euam

Dei, & hominum Matrem infecerunt.
Iam nunc debetur Cedro arborũ principatus,
vbi Reginam rerum de ſuo exhibuit.
Ex eadem arbore
Matris imago, & Filij crux formantur;
vt ſcias cruciarium Filium fuiſſe
etiam in ſinu Matris,
& Matrem non tantum iuxta Crucem,
ſed in eadem Cruce cum Filio fuiſſe.

XVIII.

Hoc Palladio debuit Italia donari,
vt ſe Roma, noua Troia, defenderet,
& de Græca fide
Romana triumpharet.
Ad hanc Arãm ſalutis
nemo confugiet vnquam fallentibus votis.
Dei patria
inhoſpitalis vlli homini eſſe non poterit,
nec abſcondere beneficia, quin erumpant
omnium debet Aula gratiarum.

XIX.

Ferculum hoc ſibi Princeps pacis fieri voluit,
in quo media charitate conſtrauit.
Nemo ergo miretur ethiopẽ colorẽ in ſtatua,
quæ matrem candoris exprimit.
Eam Sol ſuſpenſus de Collo
in Zodiaco ſuo decolorauit
ſub Zona torrida amoris.
Modeſtiæ color
magnæ Virginis coloſſum linire debuit.
Cæleſtis Sponſa nullo alio flammeo vtitur,
quam Dei vmbra.
Aſtris coronatum MARIÆ caput,
noctem quoque ori infudit,
quæ tamen inſolenti commercio Sole amictæ
nihil de die pectoris detraheret

Nulla

Nulla magis illuſtris imago in empyreis atrijs,
quam hæc fumoſa Dei DOMVM nobilitat.

XX.

At quorſum irrito conatu
humana oratio explicat
diuinum ſummæ adorationis argumentum?
Eo tantum VERBO oratore
LAVRETANA DOMVS glorioſè laudatur,
quò ipſa laudabilis hoſpite gloriatur.
Nec ipſæ Cælites Muſæ æterno cantu
ſacri, cui inſident Laureti, laudibus pares ſunt.
Marianus hic Parnaſſus laurigero vertice
ſupra omne melos aſſurgit.
Has, quæ terras beant
diuinæ familiæ reliquias,
vt diuina omnia
melius adoratione venerabimur,
quàm oratione.
Vna LAVRETANÆ DOMVS elogiorum
epitome ſit,
quæ MARIÆ ipſius;
in eam cælum deſcendiſſe,
& Deum habitaſſe.

FASCIA

Qua Deipara Virgo diuinum Filium ex Egypto e collo inter bracchia ſuſpenſum peregrinum in Iudæam retulit.

ELOGIA.

Hic textilis theſaurus Eccleſiam ditat Collegij Braydenſis Societatis Ieſu, toti Mediolanenſi Vrbi beneficia cæleſtia largè impertiens; parientium præſertim Matrum, & humanorum fœtuum ad lucem prodeuntium, felicitatem ſoſpitans.

I.

Apagite fabulæ

Vti adulatrices Deorum, ita hominū Poetriæ!

Maiora fictis

vera orbi miracula dabo.

En nouam ablegata incæſta Iunone,

Magnæ Virginis,

quæ veri Iouis Mater, Sponſa, & Filia eſt

ſtillis lactis pretioſiorem, quam Stellis

in Mariana Faſcia lacteam viam!

Quid expectari poterat

præter nouam cæleſtem Galaxiam in terris,

vbi Mater Candoris, peregrina

Filium e collo Cælite Zona ſuſpendit?

Illa lilium inter ſpinas:

hic lilium conuallium

Heroibus Chriſtianis LACTEA FASCIA,

liliatam inſtrauere viam ad Cælum.

Nullus hominum de huius viæ

ignoratione queratur:

Ipſe

Ipſe Deus viator in hac omnes præit.

II.

In ſigno Virginis Sol æternus
extra ſuum Zodiacum eſſe non potuit.
Sed peregrinus SIGNIFER MARIANVS;
non alijs innocentibus monſtris
ſplendidus, quam miraculis
inſolenti prodigio Solem ſuum,
cum ab Egypto in Iudæam,
ab occaſu in ortum reuehit,
in oriente tandem occaſurum.
Ars amoris fuit fugiſſe ſub Aſcalonita mortẽ;
quã ſub Antipa Herode Deus amans oppetijt.
Seruauit Deum Infantem amor,
Virum donauit;
abſcondens paruulum,
vt prodigeret grandiorem.
Inſtillauit lac facturus materiam vulnerum;
vt e maioribus venis pleno alueo
ſanguis exundaret.
Interim egrediente Sole æterno e Leone;
& ſignum Virginis in Zodiaco ſuo habitante
æſtate domita, ſuffocatis tonitruis,
extinctis fulminibus,
mitiora tempora mortales expectate:

III.

Regem Regum induentem ſerui formam,
vt vidit amor adhuc Infantem,
ſtatim detracto e capite diademate
in regiam faſciam explicans, captiuum ligat;
Sed, quia Amor eſt; Captiuum ſuum,
e Matris collo penſilem ſuſpendit
in vinculis Charitatis;
ita mancipans Filium;
vt Matri cor geminarit;
Iam nega ſi potes de Deo ſemper

 Amorem

Amorem triumphare,
cum vincere ipſum non tantum poſſit,
ſed vinci re,
liberato mundo
Liberatorẽ in triumpho ſuo catenatũ trahens.
Amat tamen captiuus Deus Infans
in ſinu Virginis
maternum carcerem;
quem antequam naſceretur, beauerat,
in funiculis Adam,
Paradiſum deliciarum inueniens.
Alia timenda erunt vincula nouercalia
inter lignea duræ Crucis bracchia.
Hæc Infantem ſeruant:
illa trucidabunt virum.
Hæc lac bibunt:
illa ſanguinem fundent.

IV.

Aphrica victi magna Virgo,
non eſt quod Aſiam timeas,
Etiamſi in Archelao Herode Tyranno
Aſcalonita mortuus adhuc viuat:
Herodi in Ioſepho, Heroem oppones
Tyranno, in Ieſu, Regem..
E torquato tuo pectore
ſarcina Diuinitatis pendet,
quæ te vbique ſoſpitet.
Quid non amentato Deo e plicatili FASCIA
vinces, debellabis, expugnabis;
ſi idem fixus Cruci
terras vicit, erebũ debellauit, cælũ expugnauit?
An magis poterit ſuſpenſus ex arbore,
quam nunc poſſit ſuſpenſus e Matre?

V.

Vtcunque amanter gemmas nobis oriens,
occidens aurum euiſceret,

&

& vtrunque mare
ſuis pretioſè nobis grandinet margaritis?
ferè flocci faccio Hiſpani Monarchæ
rerum Domini
Orientem in veſtris theſauris tributarium,
& occidentem.
Aries aurei velleris iam illorum
ſummum pretium eſt,
& omnium veſtrorum Heroum meta.
Supra Regia veſtra donaria
aurei velleris intonſum Agnum
Nazarena Virgo e collo ſuſpendens,
maiorem theſaurum oſtentat.
Prę hoc Phryxęũ vellus tot tempeſtatũ pretiũ
Argonautæ Chriſtiani tandem deſpicite.
Ita poteſt a tenera virguncula
Hiſpanorum Heroum ſuperari
NON PLVS VLTRA.

VI.

Aegyptij populi de Pharo veſtra ſpeculantes
conſulite irruentibus veſtris malis.
Poſt fæcundos, expectate ſteriles annos.
Ita nouus Ioſephus vobis vaticinatur,
Oracula non proferre non poteſt,
qui VERBVM DIVINVM præfert.
En vt Ioſephus non caſtus tantum, ſed Virgo
annonam fructuum,
quam cum flore felicitatis, intulerat
Ieſum aceruum tritici vallatum liliis
ex Aegypto in Iudeam,
in ſinu MARIÆ reuehit!
Quã ſalutẽ ſperet Aegyptus vbi Ioſephus abit
& cum eo non Aegypti, ſed mundi ſeruator?
Quam fæcunditatem det Nilus ſterilibus aruis,
ſi aliò fertur omne frumentum Electorum?
Vbi Dei caritas nihil non deeſt:

vbi charitas Dei omnia affluunt.

VII.

Hoſpes Deus
in Aegyptum ſuis inhoſpitam,
omne bonum intulerat.
Eadem nunc, vbi redux cũ Tabernaculo ſuo
Deus in patriam redit,
Iſraele ſimul in Paleſtinam reducto,
omnibus ſtatim ſpoliatur bonis.
Hinc ſupra Hebræum populum
Vna Nazarena Virgo ditior
non in Arca tantũ Deum habens, ſed in ſinu;
cum eo omnes Aegyptios theſauros,
in Iudæam manibus ſuis retulit.

VIII.

Fallor! mutata perſona rediuiua redeunt
antiqua miracula;
ſed pænis in beneficia migrantibus.
MARIA poetria
alternâ echo
cælo, terraque
IO TRIVMPHE ingeminantibus,
cantatur non de Pharaonis, ſed de Herodis
victoria Pæan.
Hæc tamen pro carmine VERBVM
Diuinum illigat,
non humana verba,
nec ſolum nobile hominum,
ſed ipſius Dei choragium ducit.
Primogenitus Dei ex Ægypto ſublatus
omnes Primogenitos Aegyptios ſeruat.
Se ſe eripit ab infidelibus populis
non virga thaumaturgha, ſed VIRGO;
nec geſtatur a vero Deo Pharaonis,
ſed illum geſtat,
& in vno ſtygio ſerpente calcato,
omnes

omnes vorat.

VIIII.

Vt populos mamilla Regum lactaret vberius
DEVS VBERVM adhuc lactens
in ſinu materno
ZONA aurea præcingitur ad mamillas.
Primi iſti Dei Infantis amores,
eo adulto grandiores adoleſcent,
cũ totus lacteſcens corpore,& ſanguine ſuo,
vnus totum terrarum orbem ſaginabit.

X.

Poſt debellatam Aegyptum,
& euerſa adorata Deorum brutalium monſtra,
en Galilea Amazon
armata victore BALTHEO
à ſuo triumpho redit!
Supra omnem Herculeum laborem,
etiam cælo dignum
pretium DEIFERI BALTHEI aſſurgit;
& iure, cum illi triumphalis Virgo
pro gemma ſuſpendit
in inæſtimabilis pretij vnione radiantem,
& homini inſertum
Deum adamantem.

XI.

Quinque grandibus ligatum faſcijs
mundum Deus
vnica Deum mater portat;
ſed auguſtiori FASCIA,
quia Deum mundo maiorem.
Hanc quia niues Virginitatis
ignibus amoris temperat,
temperatam ſimul zonam dicas,
torridam, & glacialem.
In hac vna Virgo Sponſa
omnẽ paruũ ſuũ muliebrẽ mundum agnoſcit.

Fallor!

Fallor! nihil paruum eſſe poteſt,
quod Deum capit.
Ipſe magnus mundus
in hac textili ZONA, quæ Deum ſtringit
punctum eſſet,
& ſi quid eſt puncto minus.

XII.

Tot gemmat nobilis FASCIA margaritis,
quot gemit Deus infans lachrymis.
Has peregrinas in peregrinante Pupulo,
vt Erythra vidit,
ſuas liuentes inuida abſcondit.
Nunquam pretioſius illuſtribus ſuis
lapillis oriens,
grandinauit occidenti.
Sed parum eſt ſtillare margaritis
ſuſpenſum in FASCIA:
maius prodigium erit,
cum totum Erythræum verſabit
ſuſpenſus in cruce.
Irrorat paruulus lachrymis:
expectate ab adulto pluuium ſanguinis mare.

XIII.

Quiſquis Deo militas
Omnia militis inſignia depone.
Vnus hic BALTHEVS
ſacramentum textile Dei Imperatoris
ad ſolas victorias militem armat.
In hoc BALTHEO amore Victore
conſtantia triumphum meretur.
Iam tum in ſignū bellicum auſpex victoriarū
erectæ fuerant infantiles diuinæ FASCIÆ,
cum primùm Bethlemicus Infans
cæleſtis militiæ exercitum duxit.

XIV.

Quæ ornamēta illius Auguſtæ Matronæ erunt
cui

cui Deus ipſe in monile pectoris ceſſit?
Fulgeant argento calcatæ Lunæ pedes,
purpura dibapha orientis Solis,
& occidentis tergum,
auro coronario Stellarum, caput:
vna diuina pectoris gemma omnia ſuperat.
Poteſt hæc toti cælo
ſuis ſplendoribus Ecclypſim parere.
Textile cælum progymnaſma fuit
magnæ Virginis maiora facere condiſcentis.
Vbi Atlantæa Virgo cælũ,& aſtra circumtulit,
potuit in terris,
non primi tantum mobilis,
ſed primi eſſe Motoris motrix.

XV.

In beneficijs, quæ orbis terrarum
à Deo acceperat,
humanorum votorum rea Diuina Mater
pro anathemate Filium e collo ſuſpendit,
vnicam omnium votorum ſummam.
Mutuis officijs
Filius e Matris ore,
Mater pendet e Filij corde,
& vterque amoris pignus
amorem piguerat.

XVI.

Quid metuis virguncula peregrina,
an Aegyptios Magos, an Iudæum Regem?
Aegyptij Magi ſupra aridam Moyſis virgam
florentem iam virgam Ieſſe venerantur.
Habes ſaltem contra Circæas illorũ præſtigias
admotum pectori amuletum ſalutis.
Fruſtra deinde etiam metuis Iudæum Regem.
Te ſoluto crine, ſtellanti pectore
peregrinantem Cometem, licet innocentem,
ipſi Reges timere debent.

XVII.

XVII.

Aurum, quod infra vos calcandum pedibus
non ſupra caput ſuſpiciendũ natura locauit,
hoc nouo etiam titulo mortales deſpicite,
& omnẽ adorati idoli ſuperſtitionẽ abiurate.
Empyrei gemma
textili annulo laneo, non aureo inſeritur.
Ne tamen pauperem annulum putetis,
cui pro gemma, inſerta Diuinitas eſt.
Vbi Filius hoc annulo magnæ Matris
deſponſauit tibi virgines manus,
ſupra vtriuſque Mundi pretium
ditare in immenſum potuit, & dotare.

XVIII.

Adorate Iudæi nouam Arcam
ex Aegypto venientem,
& inter Sancta-Sanctorũ excipite cęlo dignã.
Hæc tota diuina cum ſit,
non tegit Deum veſtrum abſconditum,
ſed oſtentat.
Delicium mundi pro flagello Aegypti,
flos pro virga ſubſtituitur.
Vt omnes homines vbique
cæli lautitijs paſcat,
æternum pro liquabili manna ſupponitur.
Omnes amoris notæ non in ſcripta lege,
ſed in edito Legiſlatore leguntur,
& decem lapidea præcepta pretio ſuo ſuperat
vnum aureum VERBVM.
ſed cum VERBVM INFANS ſit,
miracula præfert, non profert oracula.
En vt textili cinereo ſuo
inuolucro circundatur!
Amouete mortales, profanas manus.
Non hædi tamen pelle opus eſt,
vbi Agnus ipſe Dominator terræ portatur.

Fulmina

Fulminatorem, ac Tonantem Deum à nobis
cilicia arcere:
Humanum Deum faſciæ exhibere debuerunt.
XIX.
Abite ferrea ſecula:
aurea redite.
Ingrediens Aegyptum
aſcenderat Deus ſuper nubem leuem:
In illa in Iudæam redit
Matris lacte & Filij lachrymis roſcida.
Hinc æternus Sol in textili ZONA
Iridem ſuam non facit tantum, ſed implet;
vti turbinum filiam,
ita ſerenitatis matrem.
Ex hoc arcu diuino
arcana ſummæ felicitatis nemo non diuinet;
& poſt debellata bella
adeſſe iam Principem pacis.
XX.
Icti de cælo cedite populi!
Sagitta electa,
quam eduxit e pharetra ſua,
vos Deus, ſagittarius amor ferit.
Nobile telum
pretium veſtris vulneribus facit.
IESVM, quem appenſum Maria librat
in nos homines vibrat,
& qualem e ſinu Patris Mater exceperat,
talem e ſinu ſuo iaculatur.
XXI.
Iam hyems abijt, aromata fluunt.
En vt diuinus Agnus, non cæleſtis aries
Aprilem æternum aperit,
& Dilectus in meridie ſui amoris
paſcitur inter lilia!
En vt faſciculus myrrhæ
inter

inter vbera Sponſæ Virginis commoratur!
Sed lactante Matre, gemente filio
inter myrrhæ lachrymas opobalſama ſtillant,
& in vno flore campi nouus deliciarũ hortus
ex occidente vernat orienti.

XXII.

At vos Braydenſis Athenei Patres plaudite!
Vobis textilem theſaurum cælum conceſſit,
vbi nulla aſtriferarum Zonarum
huic Deiferæ non inuidet.
Etiam nunc IESV corpus ſpirat,
& MARIAE manus
diuina ſupellex,
ac beatitatis centrum circumfert
in ſphæra gratiarum.
Agnoſcite in hac breui ſphærula,
circulum cæli maximum,
& aliquid mundo maius,
quod a Deo ambitum, Deum ambire potuit.
Adorate in annulo gemmam,
in Iride Solem,
IESVM lactentem, & lactantem MARIAM
in Auguſtiſſima FASCIA.
Seruate tandem cælite cuſtodia, & amate
hoc prodigiorum prodigium,
breue diuini amoris empyreum,
& illuſtrem in terris Epiciclum Paradiſi.
Frigebit ſiquidem hæc amantis
IESV, ET MARIAE
Torrida ZONA,
niſi veſtris æternùm foueatur amoribus.

ELEN-

ELENCHVS TITVLORVM

Quibus Elogia inſcribuntur.

PRæconium	*Elog. I.*
Genealogia	*Elog. II.*
Auſpicia	*Elog. III.*
Horoſcopus	*Elog. IV.*
Genethliacon	*Elog. V.*
Etymon	*Elog. VI.*
Nenia	*Elog. VII.*
Encænia	*Elog. VIII.*
Panegyricus	*Elog. IX.*
Hymenæus	*Elog. X.*
Salutatio	*Elog. XI.*
Ode	*Elog. XII.*
Apotheoſis	*Elog. XIII.*
Anticheta	*Elog XIV.*
Prodigia	*Elog. XV.*
Kalendæ	*Elog. XVI.*
Sigiziæ	*Elog. XVII.*
Paradoxa	*Elog. XVIII.*
Pæan	*Elog. XIX.*
Hymnus	*Elog. XX.*
Threni	*Elog. XXI.*
Auguria	*Elog. XXII.*
Metamorphoſis	*Elog. XXIII.*

Tra-

Tragædia *Elog. XXIV.*
Epigraphe *Elog. XXV.*
Epinicion *Elog. XXVI.*
Extaſis *Elog. XXVII.*
Pyromantia *Elog. XXVIII.*
Epitaphium *Elog. XXIX.*
Triumphalia *Elog. XXX.*

ELENCHVS CAPITVM.

AB æterno MARIA in Dei Matrem eligitur. Cap. 1.
Magnæ Deiparæ ab orbe condito gentilitia nobilitas: Cap. 2.
Ioachimus, & Anna Sanctiſſimi Dei Genitricis Parentes. Cap. 3.
Almæ Virginis Conceptio ſine vlla labe peccati. Cap. 4.
Fauſtiſſima B. MARIÆ natiuitas. Cap. 5.
Inditur Virgunculę Nazarenę in Dei Matrem electę Sanctiſſimum MARIÆ nomen. Cap. 6.
Magnæ Virginis MARIÆ prima triennis Infantia. Cap. 7.
B. MARIAE PRAESENTATIO. Cap. 8.
Vita Deiparæ Virginis in Sacro Templi Parthenone ſanctiſſimè traducta. Cap. 9.
Virgineum B. MARIAE cum IOSEPHO iuſto coniugium. Cap. 10.
ANNVNCIATIO B. Virginis. Cap. 11.
Numine fæta MARIA cognatam Eliſabetham adit. Cap. 12.
Ad IESV præſentiam, ad MARIAE vocem Ioannes exultat. Cap. 13.
Expectatio Diuini Partus præſertim in itinere Bethlemico. Cap. 14.
Diuinus Matris Virginis partus in Bethlemide ſpelunca. Cap. 15.
Infantulo circumciſo cū Ioſepho MARIA Auguſtiſſimū IESV nomen imponit. Cap. 16.
MARIAE puerperium Magorum adoratione,

tione, nouæ ſtellæ ducatu, & ſtatione illuſtratur. Cap. 17.
Luſtrat ſe Mater Virgo Purificatione legali, & Infantulum Diuinum in vlnis Simeonis Deo ſiſtit. Cap. 18.
Seceſſus totius Diuinæ familiæ in Egyptum. Cap. 19.
Reditus in Iudæam. Cap. 20.
IESVM duodennem MARIA amittit. Cap. 21.
Habet Mater Subditum Filium vſque ad annum trigeſimum, lignariam exercentem. Cap. 22.
Primum IESV ſignum in nuptijs Canæ MARIA impetrat. Cap. 23.
Matrem inter Filij cruciatus doloris gladius perfodit. Cap. 24.
Eodem gladio doloris perfoſſa iuxta Crucē IESV MARIA ſtat in Caluario. Cap. 25.
Prima omnium Mater Filium rediuiuum ſpectat. Cap. 26.
In Olieto adeſt Filij ad cęlum Aſcendentis triumpho. Cap. 27.
Impletur Spiritu Sancto in Senatu Apoſtolico. Cap. 28.
Mors beatiſſima ſanctiſſimæ vitæ clauſula. Cap. 29.
Aſcendit ad Cælum innixa ſuper Dilectum ſuum, vbi coronata æternum regnat Angelorum, & Hominum Imperatrix, rerum Domina, Eccleſiæ Patrona, rebus, & titulis omnibus maior. Cap. vlt.

ELEN-

ELENCHVS
Synopſium, quæ ad capita adijciuntur ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis, & ſimul index rerum locupletiſſimus.

AD CAP. I.

ELectio Mariæ ab æterno in Dei Matrem luculentis SS. Patrum elogijs illuſtratur. Ordo in Diuinis Decretis. Angelici Doctoris ſententia defenditur. De ordine Incarnationis Diuini Verbi, & MARIAE in Dei Matrem electæ. Eadem electio cum meritis componitur. In Redemptione mundi Mater principem locum habuit. Eſſe MARIAM veram Dei Matrem quam certum ſit? Ampliſſima dignitas MARIAE ſupra omnem creatum ordinem, incomprehenſibilis quodamodo, & ineffabilis ex SS. Patribus; maxima quoque, ac pene diuina. Illuſtribus eorumdem Patrum elogijs celebratur, & nobiliſſimis titulis. An ſit forma Sanctificans? an ſuprema B. V excellentia? an infinita? quam plenitudinem gratiæ ſecum ferat? an omnia dona alijs Sanctis collata? quomodo ſupra omnem laudem ſit? An habuerit magna Deipara cumulum gratiæ & aliorum donorum cæleſtium ſupra omnes Sanctos? An meritum gratiæ ex opere operantis, & gloriæ? An inter alia dona fuerit collatum donum confirmationis in gratia? An extinctus fuerit fomes peccati? An anima alijs perfectior infuſa.

AD CAP. II.

IPſa Deipara ex familia Dauidis demonſtratur. Eius genealogia per Salomonem, & Regalem lineam. Alia ex S. Io. Damaſceno per Nathanem Dauidis filium, & Salomonis fratrem. Alia per eundem Nathanem iuxta ea, quæ habentur Lucæ 3. Aliqua B.V. origo ex Tribu Sacerdotali per lineam fæmineam. In laudem MARIAE varia ex ipſius Genealogia deriuantur.

AD

AD CAP. III.

ETymologia nominum IOACHIMI, & ANNAE, Origo, ſterilitas, & impetratio prolis, conceptio, & generatio prodigioſa, conditio, omnigena pietas, & laus præſertim a Filia in Dei Matrem electa.

AD CAP. IV.

ILlibatæ Conceptionis Marianæ tempus ſtatuitur, puritas, & ſanctitas. An cum iuſtitia originali? An cum exemptione a debito peccati? Illibata Conceptio B. V. non excludit eius Redemptionem.

AD CAP. V.

INgentia gaudia fauſtiſſima B. V. Natiuitas peperit, & probabiliter nullum dolorem Matri parienti. Naſcentis Deiparæ tempus decernitur aliquibus prodigijs illuſtre, patria, & Angelica cuſtodia. Eiuſdem perfectiſſimum temperamentum, perpetua ſanitas, eximia pulchritudo, ſed quæ ad amorem puritatis, cultumque excitabat, admirabilis ſplendor, ſingularis fragrantia, pulcherrima totius corporis lineamenta, & alia nobiliſſima decora celebrantur. An naſcens ſordibus: an nata lachrymis, & vagitibus caruerit? In hoc primo ſuo ortu Regina rerum piè ſalutatur.

AD CAP. VI.

SAnctiſſimi nominis MARIAE nomenclatura, cæleſtis, antiquitas, celebritas etiam apud exteras nationes, ſignificatio multiplex, efficacia, vtilitas omnigena, venerabilitas, ſuauitas, ſanctitas paralella cũ Auguſtiſſimo IESV nomine, & omnes aliæ excellentiæ prædicantur. An vtilius ſit IESV nomen nobis imploratum an MARIAE? Eo die, quo nomen impoſitum eſt, accepit MARIA Sacramentum legis naturæ, An cum eo augmentum gratiæ ſuſceperit?

AD CAP. VII.

ILlius lactis, quod B Virgo infans ſuxit veræ laudes a fictitijs depurantur. An a lacteMARIA lactens ſæpius ieiunarit? An a vagitibus, & puerilibus tripudijs abſtinuerit? Euoluitur ſcientia multiplex in intellectu B. V. infuſa, & acquiſita. Harum ſcientiarum excellentia aliquibus SS. Patrum teſtimonijs illuſtratur. Ingentia eius merita ex ſingulis actibus liberis, ex iugi exercitio actualis Charitatis, ex intenſione, & nunquam interrupta ſerie, ne quidem in ſomno, operationum meritoriarum, ex plenitudine gratiæ babituaiis. An creuerint merita Deip. Virginis ratione Maternitatis Dei? An ex voluntate Chriſti? An aliquid de congruo B. Virgo meruerit hominibus,& Angelis? An ſupra omnes Sanctos ſimul meruerit?

AD CAP. VIII.

VEritas Præſentationis B V. in templo ſtatuitur, locus, tempus, prodigioſus, ad Templum aſcenſus, Angelorum comitatus, Zachariæ occurſus cum alijs Sacerdotibus, & eiuſdem MARIAE infantulæ mens. De voto virginitatis a MARIA Deipara, in hoc omniū mortalium prima, emiſſo circa hoc tempus. Illuſtribus titulis principatum Deiparæ in virginitate SS. Patres celebrant. Omnes Virgines præſertim Deo ſacræ eam vt fundatricem agnoſcere debent.

AD CAP. IX.

SAcrarum Virginum Templo dicatarum locus aperitur. Ibi B. Virginem habitaſſe ſtatuitur. An etiam in Sanctis - Sanctorum? An cibata per Angelos? Quid in ſacro loco egerit? Eius ſanctiſſima vita contemplatiua ſimul, & actiua, ſtudium omnium virtutum per actus heroicos intenſiſſimos, alijſque ſingularibus titulis inſignes, tùm theologicarum, tum moralium, fidei,ſpei, charitatis, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ. Hinc MARIA in Sacro Templo Templum Dei animatum, ſpiranſque Sanctuarium euaſit.

AD CAP. X.

EDucta e Sacro Gynecæo MARIA Ioſepho deſponſatur pronubo S.Spiritus impulſu,& monitu Sacerdotum conſilio , & florentis virgæ miraculo . Interceſſiſſe inter B. Virginem, & S. Ioſephum verum matrimonium ſtatuitur . Cur interceſſerit? Quomodo Virginitas Mariana Deo deuota cum vero matrimonio conſentiat. Vtriuſque Coniugis ætas, Ioſephi Sponſi patria,genus , & ars . Eiuſdem Virginitas voto Deo conſecrata , ſanctitas, & excellentia ex coniugio MARIAE de qua natus eſt IESVS. An ſanctificatus fuerit in vtero Matris ? An aliquando in via viſionem beatam habuerit ? An Martyris Aureola in cælo radiet, an Doctoris ? An etiam corpore fuerit in cælum tranſcriptus ? An primatum inter Sanctos poſt B. Virginem in gratia, & gloria obtineat ?

AD CAP. XI.

ANgelica legatio an fuerit ante , an poſt matrimonium ratum inter MARIAM, & Ioſephum? Cur cæleſtis nuncius fuerit Angelus, & quinam ? An præter humanam ſpeciem B. Virgo eius eſſentiam viderit ? Aliquæ Angelicæ legationis circumſtantiæ aperiuntur. Magni myſterij tempus ſtatuitur, & locus . An Angelus in corpore aſſumpto clauſum cubiculum penetrarit , & ſub qua humana ſpecie ? Prima ſalutationis Angelicæ vox AVE expenditur. De elogio B. V. ab Angelo ante legationem præmiſſo præſertim ad illa verba GRATIA PLENA . An hæc plenitudo gratiæ in B. V.dicat gratiam ſupra omnium aliorum SS.gratiam collectiuè maiorem ? Angelicum cum B.V. diuerbium aliquibus notis illuſtratur . Marianus conſenſus illis verbis expreſſus. Ecce ANCILLA DOMINI &c. celebratur. Quid meruerit ſuo conſenſu, & quantum ? Cur expreſſus fuerit a B. V. conſenſus ? An conſenſerit etiam morti Filij, & inſtitutioni Auguſtiſſimi Sacramenti ? Quando nam Diuinum Verbum fuerit conceptum ? & quomodo B. Virgo concurrerit ? An in corde conceperit; an cum præſentia definitiua; an in inſtanti ? An concurrerit B. V. vt inſtrumentum eleuatum ad productionem vnionis Hypoſtaticæ ? An

Chriſtus

Chriſtus habeat in ſuo corpore aliquas partes animatas prius anima B. V.? An in conceptione inauguratus fuerit in Regem Iudæorum ex materna ſucceſſione? An conſenſu ſuo B. V. meruerit ſalutem humani generis? An in eo momento, quo in conceptione Filij facta eſt Mater Dei habuerit viſionem beatam? An in ingenti illo gaudio fuerit ſupernaturaliter conſeruata? Ineffabilitas in myſterio clamoris.

AD CAP. XII.

AN S. IOSEPHVS fuerit itineris Comes? MARIA prægnans, & viatrix ex diuina ſarcina nullam defatigationem ſenſit, & quomodo! Vnde nam admirabilis feſtinatio in montana prouenerit? Vterus Virgineus tum Matri prægnanti, tum Filio concepto ingentia gaudia parturiebat. Eiuſdem tanquam diuini hoſpitij magnifica encomia ex SS. Patribus cælo illum præferentibus. MARIA Deo ſæta, & peregrina cum ferculo Salomonis confertur. Quænam fuerint montana Iudææ, vbi Zachariæ domus, cui noua Arca fæderis peregrinans omnem benedictionem intulit?

AD CAP. XIII.

DE MARIAE ſalutatione. Cur prrma ſtatim cognatam ELISABETH ſalutarit; Quot, & quantorum bonorum origo hæc ſalutatio fuerit? De admirabili Deiparæ cantico MAGNIFICAT. MARIA ſiue loquens, ſiue tacens ſemper magnificat Deum, imò ſumma eſt ipſius Dei magnificentia. An manſerit in Sacerdotali domo tempore ortus S. Io. Baptiſtæ? Incomparabile beneficium ex hac commoratione in S. IOANNEM infantulum redundans.

AD CAP. XIV.

QVid nomine feſti expectationis veniat? Intemerata Virginitas B. V. ſtabilitur. IOSEPHI turbatio expenditur. Circa Virgineum partum vota ipſius præſertim B. V. aperiuntur. MARIA maximè in expectatione diuini partus, Dei Thronus. Angeli plures cuſtodiebant B. V. Infantulum IESVM in vtero Virgineo geſtantem. Au-

guſti edictum occaſio itineris Bethlemici, & quomodo illud confecerit?

AD CAP. XV.

AVſpicia illuſtria partus Virginei euulgantur. Aetas naſcentis Domini expenditur. Plenitudo temporis, ſyſtema cæleſte, dies natalis prope hybernum ſolſtitium, & hora prope concubiam noctem, Bethlemicum hoſpitium, hoſpitalis ſpelunca, ſtabulum, ac præſepe nobiliſſimis SS. Patrum elogijs celebrantur. Infantiles quoque panni, quibus inuolutus eſt Deus Infans, cum laude euoluuntur. Angelorum obſequia recens nato Deo & Paſtorum, S. IOSEPHI comitatus, & Aſelli, ac Bouis contubernium ſtabiliuntur. Noua prodigiorum ſobole naſcenti Domino natura vbique ancillatur. Sed nullum maius miraculum, quam Deum naſci, & MARIAM Matrem in partu Virginem eſſe, non ſeruata tantum Virginitate, ſed aucta, ablegatoque à fortunatiſſimo, & illibato partu omni genere dolorum, & ſordium. Admirabilis Chriſti Domini Natiuitatis modus aperitur, viſibili Filij luce, ſumma Matris pietate illuſtris, & cæleſtibus delicijs cumulatiſſimus. Hinc MARIA Deipara facta eſt non Dei tantum Mater, ſed omnium viuentium, & peculiari titulo Iuſtorum, eorum qui ſunt in Purgatorio, & Peccatorum.

AD CAP. XVI.

CIRCVMCISIONIS pueri IESV tempus, & locus. MARIA procuratrix, Ioſephus miniſter vſus lapideo, non ferreo cultro. Licet nulla neceſſitate teneretur, iuſtiſſimis tamen de cauſis Deus infans duram, & probroſam legem circumciſionis impleuit. An ſacrum præputium a B. V. fuerit aſſeruatum? Eadem die Infantulo circumciſo MARIA, & IOSEPHVS Auguſtiſſimum IESV nomen imponunt. Huius magni, & diuini nominis Maieſtas, potentia, efficacia, ſuauitas, & omnigena excellentia. An habeat efficaciam ex opere operato, & quomodo adorandum ſit?

AD

AD CAP. XVII.

SS. Magorum Pueri IESV Adoratorum Magia, Regia dignitas, nomina, patria, expenduntur. Nouæ ſtellæ, quam in oriente viderunt prænotiones, natura, exortus, myſteria, ducatus in peregrinatione ad natum Regem Iudæorum, & omnigeni ſplendores ex SS. præſertim Patribus aperiuntur. Eiuſdem occaſus in mora Hieroſolymitana, nouus exortus in itinere Bethlemico, ac ſtatio ſupra Sanctum Præſepe illuſtrantur, vbi SS. Magi in gremio Deiparæ Virginis cum ipſius ingenti gaudio, diuinis myſterijs ab eadem inſtructi, decima tertia a partu virgineo die apertis theſauris ſuis, & oblatis auri, thuris, & myrrhæ muneribus per manus MARIAE, & eadem interueniente puerum IESVM adorarunt. IESVM a MARIA lactari conuenientiſſimum fuit. MARIAE IESVM lactantis deliciæ beatitas, affectus, ac priuilegia. Sapor Deiparæ Virginis lactis Infantulo IESV dulciſſimus, & ingens meritum lactationis ordinatæ etiam ad Filij paſſionem, inſtitutionem Auguſtiſſimi Sacramenti, & ſpiritualem noſtram nutritionem. An Virgini Matri lac diuinitus ſupra naturam inditum fuerit? Quem influxum habuerit in Filij corpus? An dederit nouum titulum ad Virginitatem ſeruandam Virgini Matri? An aliquid Virginei lactis aſſeruetur in terris? An vim habeat impetrandi in cælo?

AD CAP. XVIII.

AN B. Virgo cum puero IESV commorata fuerit in Bethlemico hoſpitio vſque ad ſuam PVRIFICATIONEM, & quid ibi egerit? Exempta erat B. Virgo a lege purgationis propter eximiam ſuam puritatem. Cur eam implere voluerit? An MARIA purificata puritatem auxerit? Matris purgatio cum Filij oblatione coniuncta euaſit illuſtrior. Puer IESVS non erat obnoxius legi PRAESENTATIONIS, vnde nec B. Virgo tenebatur eum in Templo ſiſtere Domino. An a SS. Parentibus par Turturum, an par Columbarum oblatum fuerit, & de eorum myſtica ſignificatione? An legale ſacrificium ad Matris PVRIFICATIONEM, an ad Filij PRAESENTATIONEM pertinuerit?

nuerit? An quinque ſiclis iuxta aliam legem Redemptor a MARIA, & IOSEPHO redemptus fuerit? De iuſto Simeone oblatum IESVM inter vlnas ſuas excipiente, eiusque ex SS. Patribus geſtis, & laudibus. De Anna Propheride eundem ſacris Encomiis celebrante. De Terebintho B. Mar. Virginis, ſub qua cum puero IESV in hoc itinere Hieroſolymitano quieuit.

AD CAP. XVIIII.

AEgyptiacæ peregrinationis occaſio. IOSEPHVS ab Angelo de ſeceſſione cum tota familia in Aegyptum quam congruè monitus fuerit? Quando nam, & qui nam fuerit Angelus monitor? Multum tamen MARIAE Deiparæ debemus. Cur in AEgyptum fuga deſtinata fuerit? IESV, MARIAE, & IOSEPHI diuinis mandatis inſignis obedientia, & ob ſanctiſſimos fines, paulò ante Innocentium Infantium fædiſſimum lanienam. Egyptij itineris difficultates. An maritimum illud fuerit, an terreſtre? Quodnam, & quam longum? An in ingreſſu in Aegiptum monſtroſa illius idola corruerint? De illuſtribus alijs prodigijs præſertim arbore hoſpitali prope peregrinationis metam.

AD CAP. XX.

VBinam in Aegypto habitauerit diuina familia, & defonticulo IESV, atque hortulo balſami? De tempore Aegyptiæ commorationis. De geſtis in ea a IESV Infante, & MARIA Deipara. Occaſio reditus ex morte Herodis Aſcalonitæ atrociſſima lenti inteſtini ignis tabe conſumpti. Ingens pretium pro locato hoſpitio Aegyptio regno repenſum.

AD CAP. XXI.

DE maternis delicijs in educatione pueri IESV. Accedit Hieroſolymam Diuina familia, & riteTemplum adit ſecundum anniuerſariam conſuetudinem Aliqua in duodennario annorum numero pueri IESV Myſteria aperiuntur.

Admira-

Admirabiles rationes, ob quas ille Parentum aſpectui ſe ſubduxit, expenduntur. Quomodo id acciderit reſpectu Matris Sanctiſſimæ, in quam nullus error cadebat? Interrogatio Matris FILI &c. affectum quidem doloris exprimit; ſed innocentem, & laudabilem. Nec fuit nimius, licet cumulatiſſimis gaudijs compenſatus. Reſponſum Filij NESCIEBATIS &c. nullam Matris culpam arguit, vbique irreprehenſibilis. MARIA IESVM cum dolore inquerens in Templo rectam nos amiſſum Deum quærendi viam docet. An hoc triduo Puer IESVS cibum emendicauerit?

AD CAP. XXII.

Quomodo IESVS proficeret ſapientia, & præſertim ex B. Virginis magiſterio, quæ tamen plura, & maiora didicit, quam docuerit? Quomodo humanæ Matri Dei filius ſubijceretur? An artem fabrilem exercuerit, & an hæc lignaria fuerit, an ferraria, an alia? De domeſticis obſequijs Matri a Filio præſtitis. Incidiſſe in hic tempora S. IOSEPHI mortem veriſimile eſt, quam ingentibus gaudijs beauit IESV ſocietas, & MARIAE, & ſingularis gloria conſequuta eſt. Illud Euangelicum Marianum elogium *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, expenditur.

AD CAP. XXIII.

De Chriſti Domini baptiſmo, & an ab eo fuerit B. Virgo baptizata? Ex occaſione baptiſmi quid de alijs Sacramentis Confirmationis, Euchariſtiæ, Penitentiæ, extremæ Vnctionis, Matrimonij, & Ordinis dicendum ſit reſpectu B. Virginis, ſtatuitur. De nuptialis conuiuij Canæ die, loco, & Sponſis. Cur IESVS, & MARIA illi interfuerint? Poſtulatio Mariana Domine vinum non habent, vnde ſequutum eſt primum ſignum conuerſionis aquæ in vinum, fuit ex omni parte irreprehenſibilis, & laudabilis. Illa Filij verba. *Quod mihi, & tibi eſt Mulier? nondum venit hora mea*, nec incongruam, nec intempeſtiuam fuiſſe maternam poſtulationē ſuadent. Admirabile Deiparæ Virginis conſilium (*quodcunque dixerit vobis facite*) euolui-

euoluitur. Exoratio primi miraculi efficax apud Filium duas potiſſimum prærogatiuas in Dei Matre demonſtrat, primùm totam eſſe viſcera pietatis; tum eius preces pro materno veluti imperio haberi, & omnia obtinere poſſe. An B. Virgo aliquem ab Inferis eripuerit? Aliqua SS. Patrum dicta circa potentiſſimam B. Virginis interceſſionem temperantur. An vnicum Deiparæ Sanctiſſimæ patrocinium ſupra SS. omnium patrocinium ſit?

AD CAP. XXIIII.

AN IESVM tempore promulgationis Euangelij MARIA fuerit comitata? Quid egerit? Vbinam pro eo tempore frequentius habitarit? An interfuerit manifeſtationi gloriæ in monte Thabor? An inſtitutioni Auguſtiſſimi Sacramenti, & an ſacram ſynaxim ſumpſerit? An Sacramentum Euchariſtiæ magis inſtitutum fuerit pro B. Virgine, quam pro omnibus al ijs? An reſpectu eiuſdem Sacramentum habeat aliquam excellentiam, & quantùm ex beneficio Sacramenti Euchariſtici MARIAE Deiparæ debeamus? Dei Mater doloribus Filij ſemper condoluit, non ſolum tempore paſſionis, & toto tempore vitæ. Hic Matris dolor inter Filij cruciatus fuit ex SS. Patribus gladius Simeonis. Huius doloris menſura ferè immenſa, ſaltem incomparabilis. Hinc B. Virgo apellatur Martyr, imò pluſquam Martyr a SS. Patribus. An veri martyrij Aureola illi tribuenda ſit? An in omnibus Filij doloribus Mater doluerit? An Matris dolor, Filij dolores auxerit? An fuerit ſuapte natura læthalis? An extiterit non ſolum in appetitu rationali, verum etiam in ſenſitiuo? Eius fomes. An Angelus IESV conſolator in horto Gethſemani MARIAM quoque conſolatus fuerit? An immixta fuerint doloribus aliqua gaudia? An imminuti fuerint à gaudijs dolores, & illorum exceſſus fuerit, an iſtorum?

AD CAP. XXV.

ADeſt Mater Filio crucem baiulanti, & eum ad Caluarium comitatur. Statio eiuſdem iuxta crucem admirabilibus affectibus, & heroicis virtutibus illuſtris luculentis SS. PP. teſti-

PP. teſtimonijs expenditur, & celebratur. Summæ fortitudinis cum ſummo dolore commercium in MARIA ſtante iuxta Crucem. An ingemuerit, & an lachrymis ſanguineis? An ſpaſmum parſa fuerit? an ſaltem extaſim? Statio MARIAE iuxta crucem omniũ fuit virtutum, præſertim theologicarum ſchola. Augmentum doloris acceſſit ad illa verba. MVLIER ECCE FILIVS TVVS! Ineptè tamen relationes Matris, & Filij inter MARIAM & IOANNEM finguntur. Lancea pectus Filij mortui, & Matris viuentis animum tranſuerberauit. An moriente Filio Deipara amiſerit relationem Matris? An boni latronis conuerſionem impetrarit? Quomodo omnium hominum ſalutem iuuerit, & quomodo titulus Redemptricis, & huiuſmodi alius temperandus ſit?

AD CAP. XXVI.

OFficia materna circa filij mortui corpus, eius præcipuè vulnera ſacroſancta. An tota Eccleſia IESV moriente in MARIA remanſerit? An interfuerit vulneri lanceæ, & ſanguinem cum aqua confluentem collegerit? An etiam clauos? MARIAE potiſſimum opera IESV crucifixi corpus ablutum, vnguentis delibutum, ſacra ſyndone inuolutum, funuſque totum, inter Angelorum turmas procuratum. De S. Sepulchro, eiuſque gloria. Affectus Deiparæ ad S. Sepulchrum & quantum ex illis eidem pretium acceſſerit? An accelerationem Reſurrectionis impetraret? An prima Mater Filium rediuiuum viderit? qualem? quomodo? an viſione naturali, an ſupernaturali? & in qua loco? An cum SS. Patriarchis præſertim IOSEPHO Sponſo? An ſacra vulnera glorioſi corporis oſculata fuerit? An prima Reſurrectionem Apoſtolis nunciarit? Cur apparitionem Filij rediuiui Matri factam ſacri Euangeliſtæ ſilentio prætererint? An illi, præmiſſa fuerit Angeli legatio? In communi totius mundi exultatione peculiare in Reſurrectione Domini MARIAE Deiparæ gaudium.

AD CAP. XXVII.

INter alias rationes cur Dei Filius ſeruauerit vulnerum cicatrices in corpore rediuiuo hæc etiam fuit, vt Matris gaudia cumularet. Acta a B. Virgine a Reſurrectione Domini vſque ad Aſcenſionem.

ſionem. An interfuerit MARIA IESV Aſcenſioni,& quam mirum hoc illi in monte oliuarum, beatumque ſpectaculum? Quibus officijs abiens in cælum Filius, Matri vale dixerit? An in his eam alijs prætulerit? Ex qua Olíueti parte, & ad quam cæli partem aſcenderit? De Sacris veſtigijs impreſſis, alijſque prodigijs, quæ conſequuta ſunt. Cur poſt Aſcenſionem Domini Deipara Virgo diu ſuperſtes fuerit?

AD CAP. XXVIII.

AD Miſſionem, deſcenſumque S. SPIRITVS preces Eccleſię pręceſſerunt, pręſertim B.V., quæ multum contulit ad Sacroſancti doni impetrationem. Quam iugis fuerit eius oratio etiam in ſomno? De domo, quam ab Aſcenſione Domini Deipara Sanctiſſima inhabitauit. De loco in quo ſupra Sacrum cætum SPIRITVS SANCTVS in igneis linguis mirabiliter viſus eſt? An B.MARIA interfuerit cũ alijs SPIRITVM SANCTVM recipientibus, & an ſupra alios eadem repleta fuerit? An cum Apoſtolis confirmata in gratia? An cum illis Sacramentum confirmationis ſine vlla materialis chriſmatis vnctione acceperit? An acceperit gratiam ex opere operato De augmento donorum Spiritus Sancti in B. Virgine die Pentecoſtes, charitatis, aliarumque virtutum. Quid de gratijs gratis datis dicendum ſit, nimirum ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ, diſcretione Spirituum, fide miraculorum, dono linguarum, prophetia, curatione morborum, & patratione miraculorum.

AD CAP. XXIX.

MIrum quantum poſt Aſcenſionem Filij Eccleſiam iuuerit ſuperſtes Dei Mater, eius veluti adhuc Infantis Mater, Nutrix & Magiſtra, non verbis tantum, ſed exemplis. Hinc cepit eſſe hæreſum omnium interemptrix. Non tamen adſtruenda eſt Præſes concilij Hieroſolymitani, nec Antiſtita Monialium. An aliquid Angelos etiam docuerit? Quam expreſſa imago Filij in vultu, & moribus eſſet? De frequentatione Auguſtiſſimi Sacramenti, de diuinis alloquijs, viſitatione locorum ſacrorum, peregrinatione in Aſiam, & multorum

multorum ad illam concurſu, epiſtoliſque per varias orbis partes conſcriptis, & acceptis. An verè B. Virgo mortua fuerit, quo tempore, & loco! An de morte præmonita fuerit? an Nuncius fuerit Gabriel, & vbinam: Quomodo ſe ad mortem peculiariter diſpoſuerit? An interfuerint MARIAE morienti Apoſtoli omnes, & an prodigiosè? An ad illam omnes Angeli conuolarint? an animæ SS. Patrum? an etiam Chriſtus Dominus corporaliter? Quo genere mortis B. Virgo obierit cruentone, an ſicco? An vlla vi morbi? An exceſſu amoris ſine vllo dolore cum ſumma lætitia? Sola Dei voluntate B. Virgo obijt; non tamen eius mors indebita dicenda eſt. Modus mortis admirabilis. De pompa exequiarum. De ſepulchro, patratiſque in funere, & poſt ſepulturam miraculis.

AD CAP. XXX.

ADmiranda Mariani corporis incorruptio, beata reſurrectio, & glorioſa Aſſumptio firmiſſimè ſtatuitur ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Doctoribus Eccleſiaſticis, & alijs. An Aſſumptio B. V. tertia poſt mortem die accidetit, & vbinam fuerit illo triduo anima beatiſſima? An Marianum priuilegium fuerit reſurgere in ſexu fæmineo? Quomodo Dei Matrem reſurrexiſſe Apoſtoli deprehenderint, & ereptum terris corpus in cælum migraſſe? An omnes cælites in cælum migrans obuios habuerit? An etiam Chriſtum Dominum, & an innixa ſuper Dilectum ſuum Cælum intrarit? An Aſſumptio Deiparæ in aliquo decore Redemptoris Aſcenſionem ſuperarit? Quibus verbis Matrem Filius ad cæleſte capitolium inuitarit? De palmata, laureaque cæleſti, & alijs ornamentis Virginis Triumphatricis, vnde ſignum in cælo magnum, nouumque veluti cælum videri potuit, fuitque ſummo plauſu, ac planè triumphali excepta. De throni cæleſtis, ad quem euecta eſt Dei Mater Aſſumpta, ſublimitate prope auguſtiſſimum Filij. De gloria eſſentiali animæ quoad vtrunque obiectum primarium, & ſecundarium. An alios beatos omnes etiam ſimul ſumptos exceſſerit? De gloria corporis. De gloria accidentali. An omnia dona gratiæ, & gloriæ per MARIAE impetrationem nobis conferantur? De Aureolis Virginitatis, Doctoratus, & martirij. De gaudio ex Aſſumpta Deipara

alijs

alijs beatis affuſo. An adhuc viuens B. Virgo Deum intuitiuè viderit? De inauguratione MARIAE Aſſumptæ in Angelorum, & Hominum Imperatricem, & in rerum Dominam. Quodnam fuerit hoc dominium, & in quo iure fundatum? In eadem Aſſumptione initiata eſt Eccleſiæ patrona ſummæ potentiæ, & largiſſimæ beneficentiæ. Honores exhibiti ad Eccleſia Triumphante, ac militante Deiparæ Virgini Aſſumptæ tanquam Dominæ, ac patronæ ſuæ in laudum encomijs, exceptis hæreticis, qui ſoli in eam inofficioſi, & iniurij ſunt, in cultu adorationis, tum ab Angelis, tum ab Hominibus, in Templorum erectione etiam viuenti, in celebratione feſtorum dierum, in imitatione virtutum, in inuocatione nominis, alijſque religioſis officijs, & pijs affectibus. MARIA ad Cælum Aſſumpta, & ibi regnans omnibus titulis, ac laudibus maior.



MARIA

MARIA
Ab æterno in Dei Matrem eligitur.
PRAECONIVM.
ELOG. I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. Prou. 8.

Obuiabit illi quaſi Mater honorificata, & quaſi Mulier à virginitate ſuſcipiet illum. Eccleſiaſtici 15.

Grande præconium, in cuius titulo
Immenſa omnium encomiorum
epitome legitur!
Vbi MARIAM DEIPARAM legeris:
Habes maximũ inter homines incrementum;
Standum eſt ad humanum
NON PLVS VLTRA:
PLVS VLTRA ſi ieris, diuina attinges.
Nihil illa Matre maius,
Quæ Filium non potuit habere maiorem.
Illhæc Deifica dignitas imminui
Ab hominibus nequit,
Cum tota Diuino in iure fundetur.
Si hoc etiam abrogari poſſet:
Ipſo titulo MATRIS Diuinitatem poſſideret.
Hanc lege lata Monarchæ omnium Amoris,
E Cælo in terris ſola habuit.
Imo in vnam Diuinæ cognationis
magno prodigio,
Vtroque ſummi amoris gradu coeunte.
Primogenita Dei in Matrem,

Mater in Primogenitam Dei fuit electa;
Editione mentali VERBO Diuino
intra ſe edito,
Vt caractere noſtrati ſignatum
Mundo vulgaretur,
Extra ſe PATER
Secundam editionem deſtinauit in MATRE.
Humanæ tamen, ac Diuinæ generationis
Scias leges fuiſſe diuerſas.
In illa legitur FILIVS PATRI ſimilis:
In hac quantum eſſe poteſt FILIO ſimilis
eligitur MATER.
Ibi PATER ſui conceptione FILIVM generat:
Hic FILIVS concipit,
Genitricem ſui fæcundam,
Vbi nunquam non Virginem.
Ab eo FILIO MATREM metire;
Qui ſolus genus eſt MATRIS.
Si VERBVM FILIVS non ſufficeret
A PATRE, & SPONSO genus trahere poſſes.
Illa æterni PATRIS Filia,
VERBI MATER,
SPIRITVS SANCTI Sponſa
Iuncta eſt Diuinæ Triadi
tergemina cognatione.
Sed nullo MARIA DEIPARA præconiō
vulgari poteſt:
Aenigma eſt, quod VERBVM tantum
Infans explicat.
Sola Dei Mater VERBVM Diuinum
verè edidit
In ſui commendationem.
Deus tantum & MARIA
Vnico ſuo VERBO ſatis laudantur;
Quod ille dixit;

Hæc fecit.
Dictum Patris: factum Matris,
Aeternum præconium eſt.

Ad illam ſicut ad medium, ſicut ad Arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium omnium Seculorum reſpiciunt, & qui in Cælo habitant, & qui in Inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur. S. Bernardus ſerm 2. de Pentec.

B. Virgo ex hoc quod eſt Mater Dei habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hoc non poteſt fieri aliquid melius ipſa, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo. S.Th. 1.p. q.25.a.6.

De electione ab æterno in Dei Matrem.

CAP. I.

ANTE Cæli, terræque, ac totius rerum Vniuerſitatis molitionem, ab ipſo inexorſo infiniti temporis exordio nobilium ſuarum Idearum Principem, MARIAM virgunculam Nazarenam Deus conditor elegit in corporati Diuini Verbi Matrem, iiſque Cęleſtibus donis voluit eſſe cumulatiſſimam, quæ ſummæ inter mortales dignitatis Maieſtatem decebant. Eodem titulo, ac iure, quo DEIPARA, & VERBI Mater peculiari nexu Patris Aeterni Filia, Sancti Spiritus Sponſa, Eua innocens, primogenita rerum, vtriuſque Mundi amor, Paradiſus delitiarum,

ſignum magnum, Sanctæ nimirum Eccleſiæ coloſſus, ſummus noſtræ mortalitatis apex, eminentiſſimum totius naturæ decus, Angelorum, & Hominum Regina, Sancta Sanctorum, omnium virtutum idea, Mare gratiarum, miraculoſum miraculum, & non plus vltra humanæ felicitatis ab ipſo nunquam natæ æternitatis ortu inter Diuina placita deſtinatur. Anteire viſus eſt infinito totius æui interuallo Filius Matrem, vt archetypo Mundi amore expoliret hoc omnium Seculorum elegantiſſimum negotium, nulli ſuarum, tùm naturæ, tùm gratiæ opum parcens impendio. In hoc etiam fuit omnium ſeculorum elegantiſſimum negotium, quod in eius cultu, laudibuſque nullum vnquam ſeculum otiatum eſt. Tantò prius Diuinis Sacrorum vatum oraculis, communibus Sanctorum pueri, adultique Mundi Patrum, votis, & ipſis vmbrarum figuris illuſtrior extitit, quantò nunc vbique terræ cælique, continentibus præconijs, glorioſius prædicatur. Iure deinde Aurora æternum ſolem paritura, æternitatis auroram occupauit ſplendoribus ſuis, vt de antiquitate adorandæ dignitatis DEIPARAE nemo dubitaret, vbi in eam conſpirauit omnis antiquitas æui, & amoris. Nihil ipſi Deo, Matre fuit antiquius: primum hunc ab æterno in humanis ſpirauit amorem. Quid enim iure prius amaret Matre, poſt Patrem Filius, poſt Filium Pater? Cum Cælo amores ſuos terra diuidendo coniunxit. Cum nec humanus Deo Pater eſſe poſſet, nec Mater Diuina. Patrem in Cælo habuit DEVS-HOMO, Matrē in terris. Amor naſcendi in Patre futuri ſeculi tantus fuit, vt

a dhuc

adhuc in paterno ſinu Matrem ſibi præpararit, ex qua iterum naſceretur. Patrem in Cælis non haberet ſi factus fuiſſet: Matrem in terris, ſi non feciſſet. Sed ſtandum eſt calamo, debili encomiaſti, quando ſtandum etiam eſſet herculeo. In vno DEIPARAE titulo Abilam, & Calpem inuenit humanæ dignitatis, & Diuinæ largitatis. Hæc Deifica dignitas more diuinorum Adoratores poſcit, non Oratores.

Ita ab æterno quod nemo non miretur cum
tanta prodigiorum nouitate ordinata eſt
Abyſſus non aquarum, ſed gratiarum, miraculorum, virtutum,
& omnium Supernorum
chariſmatum, Maria
in Dei Matrem
electa.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, Sanctis Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de electione B. V. ab æterno in Dei Matrem.

SYNOPSIS.

1 Electio MARIAE ab æterno in Dei Matrem luculentis SS. Patrum elogijs illuſtratur. 2. Ordo in Diuinis decretis. 3. Angelici Doct. ſententia defenditur. 4. De ordine Incarn. Diu. Ver. & MARIAE in Dei Matrem electæ. 5. Eadem electio cum meritis componitur. 6. In redemptione Mundi Mater Principem locum habuit. 7. Eſſe MARIAM veram Dei Matrem quàm certũ ſit? 8 Ampliſſima dignitas Deiparæ ſupra omnem creatum ordinem. 9. In comprehenſibilis quodamodo. 10. Et ineffabilis ex SS. Patribus. 11. Maxima quoque, ac pene diuina. 12. Illuſtribus eorundem PP. elogijs celebratur. 13. Et nobiliſſimis titulis. 14. An ſit forma Sanctificans? an Suprema B. V excellentia? 16. An infinita? 17. Quam plenitudinem gratiæ ſecum ferat? 18. An omnia dona alijs SS. collata? 19. Quomodo ſupra omnem laudem ſit? 20. An habuerit magna Deipara cumulum gratiæ, & aliorum donorum Cæleſtium ſupra omnes Sanctos? 21. An meritum gratiæ ex opere operantis? 22. Et gloriæ? 23. An inter alia dona collatum fuerit donum confirmationis in gratia? 24. An extinctus fuerit fomes peccati? 25. An Anima alijs perfectior infuſa.

Electio Mariæ ab æterno in Dei Matrem luculentis SS. Patrum elogijs illuſtratur.

I.

ALtiſſimum ſibi MARIAM in Matrem ab æterno elegiſſe, præcognouiſſe, & præparaſſe, non caſu deinde inueniſſe inquit S. Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt, & certa omnium Catholicorum Doctorum ſententia

eſt,

eſt, cum etiam alioquin omnis alia diſpenſata poſt natum orbem labentibus ſeculis Diuinorum decretorum æconomia æterni Conſilij opus ſit. Hoc deinde datum eſt dignitati Deiparæ, vt negotium omnium ſeculorum peculiari titulo à nonnullis Patribus diceretur, præſertim à D. Bernardo luculentis, & mellifluis verbis. Ser. 2. de Pentec.

In ęterna hac ſua electione MARIAM Deiparam *finem Conſiliorum Dei* apellat S. Germanus orat. de præſent., non quia verè fuerit finis omnium electorum, vt aſſerit Fernandius in cap. 1. Gen. cum hic titulus tantum Chriſto Domino debeatur, ſed quia vt ait S. Bernardus epiſt. 174. *fuit electa ex omnibus, & omnibus prælata verè Sancta Sanctorum*, & maximum opus omnipotentiæ molitricis. Hoc enim ipſo quod fuit ab æterno in Dei Matrem electa, fuit etiam ad cumulum gratiæ, & gloriæ Supremæ dignitati commenſuratū euecta, & conſequenter alios electos omnes, ſi non ordine, ſaltem excellentia præiuit. In hoc ſenſu legimus Cantic. 6. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octuaginta Concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt Columba mea, perfecta mea, vna eſt Matri ſuæ, electa Genitrici ſuæ*. Illa verba Prouerb. 8. ipſius Deip. Virg. loquentis *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum* Cornelius Ianſenius ſic vertit. *Habuit me tanquam initium viarum ſuarum*, & licet S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Hilarius, & alij SS. PP. de Filio Dei intelligant; Sancta tamen Eccleſia Dei Matri applicat. *Ipſa eſt Mulier* Vniuerſitas hominum, & Beatarum mentium, imo omne ab ipſo æui exordio

ſeculum clamat, vt habetur Gen. 24. *quam præparauit Dominus Filio Domini mei*, & illud 3 Reg. 10. ſubiungit in ipſius contemplatione. *Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis*. Hinc ipſa de ſe hunc Principatum excellentiæ, & primogenituram rerũ teſtatur Eccleſiaſtic. 24. *In omni populo & in omni gente primatum habui, & ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, & ratio redditur Sapientiæ 7. *Eſt enim ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem Stellarum luci comparata inuenitur prior*, ideſt *potior* iuxta S. Bonau. in ſpeculo c. 5. *ſiue dignior omnibus electis*. Hinc dicit Prouerb. 8. *Ante omnes colles ego parturiebar; nondum erant Abyſſi, & ego iam concepta eram*, & Eccleſ. 24. *ab initio, & ante ſecula creata ſum*. Hæc loca de æterna electione in Dei Matrem communiter explicantur.

In eodẽ ſenſu de MARIA Deipara Andræas Cret. ſer. de aſſumpt. Glorioſiſſimè dixit. *Hæc eſt declaratio profundorum Diuinæ incomprehenſibilitatis: hic eſt ſcopus, qui excogitatus eſt ante ſecula*, & orat. 2. de eadem aſſumptione *finis teſtamentorum, quæ nobis fecit Deus*. A. B. quoque Laurentio Iuſtiniano ſer. de Natiu. B. V. non minus egregiè dicitur *Filia prædilecta æterni Patris*, & a Raymundo Iordane p. 14. c. 4. *Filia Dei primogenita*. Sed nihil illuſtrius, & magis dignũ Mariano Sole, quem explicat ad illud Cantic. 6. *electa vt Sol*, melliflui Doctoris verbis in 1. deprec. ad Virg. quæ habetur in tom. 2. eius operum. Sic eam alloquitur. *Electa es vt Sol, ille inquam Sol Solis conditor; ille enim electus eſt ex millibus virorum: Tu electa es ex millibus fœminarum.*

Ille

Ille electus eſt ex omnibus, quæ ſunt: Tu electa es ex omnibus, quæ per illum ſunt. Et verè electa eſt vt Sol, quæ empyrei Stellis omnibus veluti ecclypſim intulit, vnde potuit B. Cardinalis Pet. Dam. dicere ſer. de aſſumpt. *In illa inacceſſibili luce prælucens ſic vtrorumque Spirituum* (ideſt Angelorum, & Hominum) *hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint nec debeant apparere*. Ad hunc Solem omnium luminum principem reſpiciens Andræas Hieroſolym. appellauit B.V. in orat. de nat. *primam naturam accedentem ad Deum opificem omnium generationum*, & Io. Damaſ. orat. 3. de natiu. *naturæ Reginam, & maſſæ noſtræ primitias*, nec de alio principatu, quam hoc eminentiæ ſupra omnes creaturas loquuti ſunt SS. Patres communiter, cum illam primogenitam rerum, & in æternis placitis eius primatum celebrarunt.

Ordo in diuinis decretis.

II.

INter Doctores Scholaſticos maior diuerſitas ſententiarum eſt, quas fusè refert Salazar in lib. de concept. Deip. Alijs omiſſis hoc pacto diuina conſilia in mariana electione componi poſſunt iuxta Angelici Doctoris ſententiam, qui docet Chriſtum Dominum non fuiſſe decretum niſi humani generis Redemptorem præuiſa primigenea Protoplaſti Adami labe. Elegit prius Deus Angelos ad gratiam, & gloriam ex liberali ſua beneficentia. Huic ſimilem prædeſtinationem ſortitus eſt Adamus circa primam gratiam, quam per peccatum amiſit, tùm Chriſtus Dominus re-

parator Mundi iam in primo parente lapſi, & ex eius meritis cum alijs omnibus Virgo Mater in Summo gratiæ, & gloriæ faſtigio poſt Filium, ex diuina deſtinatione iam tùm locata. Hoc ſuum priuilegiū magna Dei para numini gratias agens illis verbis prouerb. 8. prædicabat. *Ab æterno ordinata ſum ex antiquis* nimirum vt legit originale hebræum *Principatum habui in vexilliferam tuorum operum*. Iure itaque illud Seu. Boetij carmen lib. 3. met. 9. de ſummo opifice, quod condiderit.

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipſe.

Rupertus Abb. in cantic. 2. vertit.

Matrem mente gerens pulchram pulcherrimus ipſe.

Iuxta allatam doctrinam S. Thomæ de electione MARIAE in Dei Matrem philoſophatur Io. Card. de Lugo de incarnat. diſp. 7. ſect. 3. cum alijs. Aliter cum alijs ſentit Suarez tom. 2. in 3. p. d. 1. ſect. 3. ſed hæc fuſius perſequi mei inſtituti in præſenti opuſculo nō eſt.

Angelici Doctoris ſententia defenditur.

III.

ANgelici Doctoris ſententia de Beata Virgine poſt Adamum, imò & Chriſtum Dominum prędeſtinata in Dei Matrem firmatur ijs Sacrarum litterarum, & SS. PP. teſtimonijs, quibus adæquatum motiuum Incarnationis Diuini Verbi fuiſſe remedium peccati demonſtratur. *Sic Deus dilexit mundum habemus Io. 7. vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum non pereat*. Sacræ Scripturæ verba præſertim cum emphaticè loqui-

tur,

tur, vt in hoc loco iuxta S. Auguſtinum de doct. Chriſt. lib. 3. in ſua proprietate explicanda ſunt, non trahenda ad violentam ſignificationem. Hic finis incarnationis habetur Matth. 18. Mar. 10. Lucæ 15. & 19. & paſſim in Epiſtolis D. Pauli præſertim in Epiſtola ad Hebreos, & 1. ad Tim. In ſymbolo etiam nyceno de Chriſto Domino loquente fatemur eum eſſe, qui *propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis. Si homo inquit S. Auguſt. ſect. 8. de verbis Apoſtoli, non peccaſſet filius hominis non veniſſet*. Eiuſdem Auguſt. dicta ſunt. *Nulla veniendi cauſa fuit Chriſto, niſi vt peccatores ſaluos faceret*. Ad euincendam hanc veritatem vnus Auguſtinus Theologorum Princeps audiendus erat. Alios SS. PP. omitto. Similia tamen habent S. Ambroſius in cap. 3. ep. ad Heb. S. Athanaſ. ſect. 3. contra Arianos, S. Greg. Nyſſ. orat. de Chriſti natiu. S. Greg. Nazianz. or. 4. de theol. S. Leo ſer. 2. de Pentec. S. Greg. Magnus lib. 4. in 1. Reg. c. 1. S. Ireneus l. 3. c. 21. præter Theopil. Theodor. Cyrillum Alex. Anſelmum. apud Raguſam diſp. 18. §. 14. & alios innumeros. Cum hoc ſtat Chriſtum eſſe caput hominum, & Angelorum, initium viarum Domini, primogenitum omnis creaturæ, omnia in ipſo, & per ipſum creata eſſe, & omnia propter ſe ipſum Dominum operatum eſſe; quæ oracula ſunt Diuinarum litterarum, vt oſtendit Card. de Lugo in tractatu de Incarnat. & nouiſſimè ingenioſa quadam præuiſione peccati in alio Alderete in eodem tract. de incarn. Diu. Verbi. Adeat Doctores Scholaſticos, qui plura velit, præſertim Salaz. de concept. c. 6. 19.

23. & 24. Omittere tamen non poſſum S. Anſelmi verba, quibus MARIAE miſerationem prouocat, erga reos peccatorum, & ſupra allatam ſententiam confirmat. *Cur itaque non iuuabis nos peccatores, quandoquidem propter nos in tantam altitudinem es eleuata, vt te Dominam habeat, & veneretur omnis creatura?* Ab Auguſt. diſcere potuit Anſelmus, qui ad illa verba Matth. 1. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum ſic* ſubiungit. *Si homo non peccaſſet Virgo non peperiſſet.*

De ordine Incarn. Diu. Verb. & Marianæ electionis.

IV.

DE ordine Incarnat. Diu. Verbi, & MARIAE in Dei Matrem electione agunt fusè Doctores Scholaſtici. Ipſi conſulendi ſunt in theologico negotio multis, & grauiſſimis difficultatibus implicato, pręſertim D. Th. 3 p. q. 24. Scotus in 3. d. 19. Suarez. de B. V. q. 27. d. 1. ſ. 3. Vaſquez diſp. 11. c. 6. Caiet. 3. p. q. 1. a. 3. Valentia. d. 1. q. 1. puncto 7. Raguſa d 30. §. 5. Salaz. de Concept. c. 24. Nouatus de Em. Deip. t. 1. c. 1. q. 4. De Lugo & Alderete de Incarnat. qui ferè diuerſas ineunt vias, & alij multi.

Eadem electio cum meritis componitur.

V.

AN electio B. V. ad maternitatem Dei antecesſerit pręuiſionem meritorum definiendum eſt iuxta diuerſas ſententias theologicas de prædeſtinatione electorum ante, & poſt præuiſa merita. S. Anſel. cuius verba

refert

refert S. Bern. Sen. ap. Nouatum, qui t. 1. c. 1. fuſè hanc queſtionem agitat, ita Dei Matrem alloquitur. *Tu ante omnem creaturam in mente Dei praordinata fuiſti, vt omnium fæminarum caſtiſſima Deum ipſum hominem verum ex tua carne procreares*. Communis PP. ſententia eſt dona gratiæ, quibus Deus illam præuenit, ornauitque collata fuiſſe, vt eſſet digna Mater Dei, quæ iam Mater electa erat. Hoc non tollit, quo minus admirabilem Deiparæ dignitatem ſibi meruerit B. Virgo. Negat potuiſſe mereri de condigno Vaſquez d. 23. c. 2. cum alijs, quia maternitas eſt altioris ordinis, quam gratia Sanctificans, & viſio Beata, cum terminetur ad ſubſtantialem vnionem, cuius terminus totalis eſt HOMO - DEVS. Affirmat potuiſſe mereri de condigno Suarez t. 1. in 3. p. d. 10. ſect. 7. cum alijs, quia inter maternitatem Dei, & merita Deiparæ Virg. poterat eſſe proportio. Nam licet altioris ordinis ſit maternitas Dei propter terminum ſubſtantialem, qui completè eſt HOMO - DEVS, quam gratia, & gloria; ex alia parte gratia, & gloria terminantur ad Deum eminentiori modo. Attingunt ſiquidem Deum vt Deum, cum immediatè maternitas attingat Hominem, qui eſt HOMO - DEVS.

Quidquid ſit de poſſibili cenſeo cum S. Th. 3. p. q. 2. a. 10. ad tertium Suarez Vaſquez, & alijs Theologis communiter B V. meruiſſe de facto de congruo tantum, vt eſſet Mater Dei. *Tanta puritatis* inquit S. Hieron. ad euſtoch. de iuſt. Virg. *Maria extitit, vt mereretur effici Mater Dei*. Simili modo loquuntur S. Auguſt. l. de nat., & grat. c. 36. S. Ambroſ. epiſt. 82.

S. Baſil.

S. Baſil. de hum. Chriſti generat. S. Epiph. hær. 78. S. Chryſoſt. ſect. de Hipap. B. Pet. Dam. ſect. 2. de Aſſumpt. & alij Sancti Patres paſſim. Vnum audiamus Greg. Mag. inſtar omnium in 1. Reg. c. 1. qui ſic ait. *Incomparabilibus illuſtrata meritis Dei vnigenito, in quo recumberet Sacrum præparauit vterum*. In hoc ſenſu prædicat Eccleſia. Beata viſcera Mariæ Virg. quæ meruerunt portare Chriſtum Dominum.

Hinc tamen non ſequitur principium meriti cadere ſub meritum, etiamſi Chriſtus Dominus meruerit gratiam B. V., cum qua ipſa maternitatem nimirum eius productionem meruit, vt docent diuerſis modis Suarez, Vaſquez, de Lugo, Hurtadus, Herice, & Alderete, cum agunt de meritis SS. PP. progenitorum Chriſti reſpectu circumſtantiarũ Incarn. & B. Virginis reſpectu maternitatis. Horum explicata deciſio, & fuſior ad Scholaſticos Doctores pertinet, nec ego debeo extra Chorum ſaltare, in hac epitome vitæ marianæ. Aſſero breuiter aliorum omiſſis reſponſis, tria ſigna debere conſtitui in eodem momento æternitatis. In primo Deus decreuit Chriſtum quoad ſubſtantiam dependenter ab aliqua Matre indeterminatè, non determinatè ab hac, nimirum à MARIA Nazarena. In ſecundo vidit eundem merentem. In tertio ex eius meritis elegit MARIAM, vt eſſet Mater Dei, collata ſimul illa cumulatiſſima gratia, qua ipſa maternitatem mereri poſſet. Licet enim hic Chriſtus ſupponat hanc numero humanitatem, non tamen hic homo ſupponit hanc numero Matrem, vnde patet in MARIA

merente

merente Maternitatem Chriſti principium meriti per ſe, & proximum non cadere ſub meritum, quod tantum inconueniens eſt.

In Redemptione Mundi Mater Principem locum habuit.

VI.

HOC titulo, quia per Filium meruit vt Mater eſſet ab aliquibus ſine paradoxo dicitur Mater, ſui Filij vt Redemptoris, primogenita. Alio etiam titulo dici poteſt, quia Filius pro redimenda Matre principaliter venit. Hinc illa verba Cantic. 4. *vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa.* Sic explicat gloſſa, quam refert S. Bernardinus Sen. t. 2. conc. 5. a. 3. c. 4. *Pro amore tuo* (Matrem alloquitur) *carnem aſſumpſi, & vulneribus primis in Cruce vulneraſti cor meum.* Imo pro ſua Matre redimenda, vt idem S. Bernardinus teſtatur magis Filius venit, quam pro omnibus alijs. *Nam primogenita* inquit *Redemptoris Filij ſui Ieſu fuit B.V. & plus pro ipſa redimenda venit, quam pro omni alia creatura.* In hoc ſenſu explicare poſſumus S. Hildephonſum in l. de Virg. Mariæ c. 12. cum ait *Procido ante Te* (loquitur de B. V.) *ſolum opus incarnationis Dei*. & paulò poſt. *concedas etiam mihi adhærere Deo, & Tibi: illi ſicut Redemptori meo, Tibi ſicut operi redemptionis meæ.* Hinc non eſt mirum, quod de ea Dyoniſ. Alexand. in epiſt. ad Paulum Samoſatenum ſcripſerit. *Vna autem, & ſola Virgo, filia vitæ, genuit Verbum viuens.* An aliquam partem exerceat in redemptione hominum Mater Dei, & quam, alibi dicemus? Omittere tamen hic non poſſum. Elegantiſſima,

ma; & pijſſima verba Arnoldi Carnot. in tract. de laud. Mariæ, qui hæc habet. *Diuidunt cum Patre inter ſe Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt Redemptionis humana negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inuiolabile teſtamentũ. Maria Spiritu ſe Chriſto immolat, & pro Mundi ſalute obſecrat, Filius impetrat, Pater condonat.*

Eſſe MARIAM veram Dei Matrem quam certum ſit?

VII.

Eſſe MARIAM veram Dei Matrem nemõ dubitare poteſt, quin illi dicatur à S. Greg. Nazianzeno or. 51. quæ eſt epiſt. 1. ad Cledonium. *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit extra Diuinitatem eſt.* Certum eſt, ac de fide, cum ſit illa *de qua natus eſt Ieſus*. Ita definierunt Concilia Epheſinum, Calcedonenſe, Lateranenſe ſub Martino V. c. 3. ſexta Synodus art. 4. & 13. idem apertè teſtantur Sacroſancta Euangelia, & Sancti Patres clamant. Non tamen poteſt dici MARIA Deipara, Mater Deitatis, vt docet S. Th. in 3. d. 4. q. 2. a. 4. & ratio eſt, quia licet Deus, & Deitas non differant in re, in modo tamen loquendi differunt; nam Deitas naturam Diuinam in abſtracto ſignificat, Deus vero naturam diuinam per modum concreti.

Ampliſſima dignitas Deiparæ ſupra omnem creatum ordinem.

VIII.

Altioris ordinis eſſe Deiparæ dignitatem, quam quodlibet donum creatum, cum perti-

pertineat ad ordinem vnionis hypoſtaticæ, quam intimè reſpicit, & cum qua neceſſariò connectitur probat Suarez tom. 2. in 3. partem d. 1. Hoc nomen Deiparæ eſt illud magnum nomen THEOTOCOS celeberrimum apud Græcos Patres, quod tanto ſtudio Concilium Epheſinum aduerſus Neſtorium Patriarcam Conſtantinop. & impijſſimum hæreſiarcham defendit, & MARIÆ eſt ſuper omne nomen. *Affinitatem cum Deo* apellat Matris Dei dignitatem S. Th. 2. 2. q. 103. a. ad ſecundum, quæ affinitas, quia eſt neceſſaria coniunctio cum Perſona infinita dignitatem confert Matri cõſanguineæ, imo concorporeæ Filio, aliquo modo infinitam ratione termini. Identitatem quandam admirabilem agnoſcit Pe. Dam. in ſect. de Nat. inter Matrem Dei, & Filium his verbis. *Cum Deus in alijs rebus ſit tribus modis, in Virgine fuit quarto ſpeciali modo ſcilicet per identitatem, quia idem eſt quod ipſa. Hinc taceat, & contremiſcat omnis creatura; Et quis audeat aſpicere tanta dignitatis immenſitatem?* Et rationem reddit S. Auguſt. ſer. de Aſſ. Virg. c. 5. *quia caro Chriſti caro eſt Maria.* *Infinitam* eſſe quodamodo Dei Matris dignitatem præter D. Th. vt infra, aſſerit eius Magiſter Albert. Mag. apud S. Antoninum 4. p. t. 15. Idem etiam expreſsè teſtatur S. Bonau. in ſpec. his verbis. *Ipſa eſt, quam maiorem Deus facere non poteſt, maiorem Mundum facere poſſet Deus, maius Cælum poſſet facere Deus, maiorem Matrem, quam Matrem Dei non poteſt facere Deus.* Inde mellifluus Bern. 5. de Aſſ. & de Nat. ſuper *ſignum mag.* & hom. 2. ſuper *miſſus eſt* varijs modis hanc inæſtimabilem dignitatem extol-
lir,

lit, indicans infinitè ſuperare, quidquid ſub DEO-HOMINE excogitari poteſt. Eadem verborum granditate loquitur B. Laur. Iuſtin. ſer. de Aſſ. & de Purif. S. Anſelmus poſt maximæ dignitatis encomia lib. de excell. B.V. concludit his verbis. *Quamuis hoc ſolum de Sancta Virg. prædicari quod Dei Mater eſt, excedat omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt.*

Incomprehenſibilis quodamodo?

IX.

HINC eminentiſſimam Deiparæ dignitatem a ſolo Deo comprehendi cognitione poſſe aſſerunt turmatim Sancti Patres S. Io. Damaſc. or. 2. de dormit. Andr. Cret. or. 1. de eadem. S. Auguſt. tom. 9. ſuper Magnificat Rupert. l. 3. in cant. S. Anſel. de excell. B. V. c. 2. S. Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt, & alij.

Et ineffabilis ex SS. Patribus?

X.

INeffabilitatem quoque numinis propriam SS. PP. plerique attribuunt MARIÆ Deiparæ. S. Germ. ſer. de dormit. B. V. ſic ait. *Nemo tuarum celſitudinem laudum oratione ſatis extollere valet, cum laudem tibi propriam habeas quod Deiparam te eſſe conſtet*, & ita vt neque omnes homines, neque omnes Angeli oratores explicare poſſint tantam dignitatis amplitudinem teſte Io. Damaſc. or. 1. de Nat. *Virgo inquit omnium encomiorum legem excedit, nec ſi omnes in toto orbe diſperſæ linguæ in vnum coeant, eius laudes oratione conſequi poſſent.*

ipſa

Ipſa B.V.ſuæ dignitati cognoſcendæ, & explicandæ impar fuit. *Fecit mihi magna qui potens eſt* legimus Luc. 1. Sed quam magna? Subiungit Th. a Villanoua Arch.Val. Conc.3.de Nat. *Neſcio an ipſamet valeat ſuam comprehendere magnitudinem*. Iure ergo dicebat Rich. à S. Laur. l. 8. *ſolus Deus penſare ſufficit, & meriti magnitudinem, & quantitatem Matris ſuæ*, & S. Bernardinus Sen. t. 2. ſer. 51. a. 3. c. 1. *Tanta fuit dignitas Virginis, vt ſoli Deo cognoſcenda referuetur* iuxta illud Eccleſiaſtici 1. *Ipſe creauit illam in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt*. Concludendum eſt ergo cum Andr. Cret. or. 1. de dormit. *Dei tantum eſt Mariam pro dignitate laudare*.

Maxima quoque, ac pene diuina.

XI.

INeffabilis hęc Matris Dei excellentia maximum habet incrementum laudis cum dicitur ſolo Deo minor, maxima, & diuinitati proxima a Sapientiſſimo Idiota l. 1. de Virg. his verbis *nemo æqualis eſt ſibi, nemo maior*, (loquitur de B. V.) *niſi ſolus Deus. Solo Deo excepto* inquit etiam S. Epiphanius eandem B. V. alloquens or. de laud. Virg. his verbis, *cunctis ſuperior exiſtis, natura formoſior es ipſis Cherubim, & omni Exercitu Angelico*. Vnde bene concludit Io. Gerſon. ſer. de annunciat. *Hodie Domina noſtra altius nomen accepit, & perfectius, quod eſſe poſſit homini poſt nomen Filij ſui, & eſt quod Mater Dei dicatur. Melius eam apellare non poſſumus*. Supra hæc encomia aſſurgit S. Bernardinus Sen. t. 1. ſer. 61. a. 2. c. 10. cum ſignificat omnes Di-

uinæ Omnipotentiæ theſauros Virginē Deip. exhauſiſſe. *Excepto Chriſto* ait *tanta gratia Virgini a Domino data eſt, quantum vni creaturæ dari poſſibile eſt.* Hæc verba non ſunt in rigore theologico accipienda; nam cum gratia Mariana finita eſſet, erat etiam incrementi capax. Superat Bernardinum Guarricus Abb. ſer. 2. de Aſſump. in quo Filiam aſſerit à Matre humanitatem, & Matrem à Filio neſcio quid diuinitatis ex communione diuinitatis Filij accepiſſe. Audax encomium, quod temperandum eſt in eo ſenſu, quem exigit illa coniunctio ex Angelico Doctore ſupra allegato, quæ inter veram Matrem Dei, & verum Filium Deum inuenitur. In eodem ſenſu dixit S. Auguſt. ſect. de Aſſump. B. V. alloquens. *Si formam Dei ſe apellem digna exiſtis*, & S. Anſelmus de exc. Virg. c. 8. collegit *Virg. Mar. prædeſtinatam in Dei Matrem veram Matrem futuram, ſicut eum, qui ſupra omnia eſt incomprehenſibilis verum erat hominem ineffabili modo de ſua ſubſtantia paritura, & per hoc in Deitatem illius tranſituram.*

Illuſtribus eorundem PP. elogijs celebratur.

XII.

ALijs magnis, varijs, & miris modis extollunt maximam, & ferè infinitam dignitatem MARIÆ in Dei Matrem electæ SS. Patres, & Doctores Scholaſtici. Hunc apicem rerum celebrat his verbis Ricch. a S. Laurentio l. 3. de laud. Virg. *Magnum, & laudabile fuit Mariæ fuiſſe Virginem, ſed maius per omnem modum, admirabilius in virginitate fuiſſe fœcundam: maximum autem, & ineffabile*

fuiſſe

fuiſſe Matrem Dei, & hæc fuit gratia ſuper gratiam. A ſæculo enim non eſt auditum quod aliqua Mulier excepta MARIA Deo dicere potuerit. *Filius meus es tu*. Ideò inquit Th. à Villanoua concl. 3. de Nat. B. V. *Sancti Euangeliſtæ de eius laudibus ſilent, quoniam ineffabilis eſt eius magnitudo. Satis fuit de ea dicere; De qua natus eſt Ieſus. O ter Sacroſancta Virgo* exclamat Baſil. Seleu. in or. de Verbi Incarnatione *de qua qui omnia illuſtria, & glorioſa dixerit, nunquam quidem a ſcopo aberrabit; attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquã oratione exæquabit. Maximum* itaque concludam cum Pe. Bleſ. ſect. 28. in Aſſ. *& ineffabile eſt Mariam fuiſſe Matrem Dei*.

Et nobiliſſimis titulis.

XIII.

HINC illi Glorioſiſſimi tituli, quibus ad eminentiſſimam Dei Matris dignitatem explicandam apellatur ipſa B. V. a Io. Damaſc. de dorm. Deip. *abyſſus gratiæ*, & or. 1. de Nat. *Miraculorum omnium Miraculum maximè nouũ circumſcriptio incircumſcripti Dei* a Methodor. de Hypap.: *diuinæ incomprehenſibilitatis ſumma* ab Andræa Hieroſolym. or. de Aſſ.: *Eximium vniuerſi terrarum orbis decus, & ornamentum* a Cyrillo Alex. hom. 6. in reſt. *Exemplum perfectionis* a Hieron. ſer. de Aſſ. *Fæminarum omnium Sanctiſſima, & Beatiſſima* ab Hildephonſ. ſer. 1. & 4. de Aſſ. *Liber incomprehenſus, qui verbum Patris Mundo legendum exhibuit* ab epiph. ſer. de laud. Virg. *Præſtantiſſimum orbis terræ Miraculum* a S. Ephrem. ſer. de l. Virg. *Sacratiſſimum monſtrum* a S.

Ignatio

Ignatio Martyr. in epiſt. ad Ioannē *adiutorium Altiſſimi* ab Hugone Card. in Pſ. 90. *Radius Deitatis* ab Auctore in Salue Reg. credito S. Bernardo *Apex gaudij noſtri* à Io. Geometra hym. 3. de B. V. *aula cæleſtium Sacramentorum* à S. Ambroſ. l. de inſt. Virg. c. 7. *Bonum generis humani* ab Apollin. in trag. Chriſtus patiens *Vas & templum vitæ, & ſalutis vniuerſorum* à S. Anſ. all. cæl. 27. *Virgo maior Cælo, fortior terra, orbe latior, quæ Deum quem mundus non capit ſola capit* à Pet. Chryſ. ſer. 143. *Donum Dei maxime nouum* à S. Germ. or. de præſent. Deip. *Triclinium Deitatis* à S. Th. opuſ. 8. *Mons in vertice Montium exaltatus ſuper omnes colles* a S. Gregor. lib. 1. in 1. Regum. *Opus quod ſolus opifex ſupergreditur* à Pet. Dam. ſer. 1. de nat. B. V. *Sacellum Spiritus Sancti ab Honor.* Auguſtod. inſig. *Paradiſus Cæleſtis* à Rup. lib. 4. in cant. *totius requies Trinitatis* à S. Bonauentura in ſpeculo, imo *complementum Trinitatis* ab Heſichio de laud. Deip. quo dicto nihil auguſtius dici poteſt & magnificentius, ſed explicari debet vt infra. Infinitus eſſem in dicendo ſi omnia PP. elogia mariana recenſere vellem. Nullus eſt qui eius laudes non celebrarit, de eius ampliſſima dignitate pro dignitate loquens. *Opus eſt Dei maximum* ita per excellentiam vocat Seraph. Doctor in ſpec. c. 7. B. V. & iuxta And. Cret. or. 2. de Aſſ. *res eſt illa magna veneranda œconomiæ, quā cupiunt inſpicere Angeli.*

An ſit forma ſantificans?

XIV.

AN maternitas Dei in B. V. ſit forma ſantificans controuerſia eſt, quam fusè agi-

tat

tatMartinez de Ripalda de ente ſupernat.diſp. 79. partem affirmatiuam acerrimè defendens. Pij Doctoris ſententiam referam, de momentis doctrinæ iudicium non ferens. Aſſerit hic Deiparæ dignitatem, licet non repugnet phyſicè cum peccato ita tamen repugnare moraliter, vt ſeorſim à gratia habituali MARIAM ſantificarit, & eius opera ſupernaturalia digna vita æterna reddiderit. In ſacris litteris prima ſuæ ſententiæ fundamenta ſtatuit, præſertim in Angeli legati illa panegyrica ſalutatione iuxta SS. PP. luculentas explicationes. Illis tamen licet Deiparæ excellentia, plenitudo gratiæ, diuina propinquitas, & cumulus benedictionum Dei in B. V. prædicetur, nihil tamen clarè inuehit, hanc nouam in ipſa actione productiua vnionis inter Animam, & Corpus Chriſti, quæ propria maternitas eſt, Sanctitatem. Nihil aliud ab eo euincitur ſuccenturiatis 40. Sanctis Patribus, à quibus non niſi magnifica encomia, ſed iuſtiſſima tantæ dignitatis exhibentur. Addit rationum momenta ex altitudine dignitatis Deiparæ, compoſitæ cum dignitate gratiæ, ex oppoſitione cum peccato, ex participatione Deitatis, ex mutuo cum Deo amore, qualem decet inter Matrem, & Filium eſſe, ex iure ad gloriã, ex Sanctitate ipſius Virginei Corporis, & aljs ſingularibus prærogatiuis. Sed reuera adhuc omnia SS. Patrum elogia in commendationem Dei Matris allata probant quidem maternitatem Dei afferre ſecum gratiæ Sanctitatem, non eſſe ipſam gratiam. Si aliquando dicitur gratia hoc titulo inſignitur vt alia liberalitatis diuinæ dona. Poteſt etiam dici Dei Matris nomine non intelli-

telligere SS. Patres nudam Deiparæ dignitatem ſpoliatam gratia habituali,& ſolitariè acceptam, ſed illuſtrem ijs donis Cæleſtibus, quibus Deus eam induit. Non audeo tamen ingenioſam,& piã ſententiã improbare memor, S. Auguſt. lib. de Aſſ. in hæc verba erumpentis. *Huius dignitatis, & gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere*. Hæc ineffabilis quodamodo dignitas *gratia ſuper gratiam dicitur* à Rich. à S. Laur. l. 1. de B. V. c. 4. *gratia ait ſuper gratiam ideſt ſuper omnem gratiam fuit in ea*. Imò ipſa digniſſima Deo Filio Mater non ſolum Matris dignitas à Philipp. Abb. in cant. 18. *gratia vocatur. Mater inquit, cui ad tantam dedit excellentiam peruenire, quæ tàm dignè, quæ tàm rectè, quàm ipſa gratia prædicatur*.

An Suprema B. V. excellentia?

XV.

Hinc facillimè ſoluitur alia quæſtio an dignitas Matris Dei ſit ſuprema excellentia B. V. Si accipiatur ipſe ſtatus Matris Dei procul dubio eſt ſuprema excellentia, nam prout decet tantam, ac tanti Dei Matrem, gratiæ ſantificantis, & omnium donorũm ſupernaturalium cumulũ ſecum ferebat. In hoc ſenſu dixit S. Auguſt. ſer. 20. *Igitur in cælo qualis Pater talis filius, & in terra qualis Mater talis eſt ſecundum carnem Filius &c.* & lib. 3. de symb. ad Catech. *Tanta eſt Virginis dignitas et quod Mater Dei ſit, vt planè excedat non ſolum omnium hominum dignitatem, verum etiam Angelorum*. Dyoniſ. Richelius de laud. B. Mar. hæc habet. *Quod Maria Mater Dei ſit tantam dignita-*

dignitatem continet, quantam nec ipſa virgo percipere poteſt niſi contempletur Dei eſſentiã. Quod ſi maternitas Dei accipiatur ſolitariè pro actione generatiua humanitatis, & in aliquorum ſententia pro relatione ſuperaddita conſequente, dato quod neutra ſit forma ſantificans non videtur ſuprema excellentia B. V. nam præter gratiam ſantificantem excedebatur ab ipſa maternitate ſpirituali, quæ conſiſtit in perfecta conformitate cum diuina voluntate iuxta illud Matth. 12. *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis eſt ipſe meus Frater, & Soror, & Mater eſt.* Ad hunc locum ſubiungit S. Iuſtinus Martyr. *Non Matrem debito honore fraudat Dominus, ſed docet, qua vt ita dicam maternitate Virgo ſit Beatiſſima. Si enim is qui Verbum Dei audit, & ſeruat, Dei eſt & Frater, & Soror, & Mater, quorum vtrunque in eius Matre inerat perſpicuum eſt Matrẽ ipſius ex hac maternitatis ratione beatã dici oportuiſſe.*

An infinita?

XVI.

INfinitatem quandam ratione termini infiniti in Maternitate Dei agnoſcit S. Th. quem ſupra retulimus 1. p. q. 25. a. 6. Angelico Doctori addo nunc S. Bonauenturam in ſpeculo c. 5. vbi iſtam dignitatem Matris Dei vocat immenſiſſimam, ac deindè ſubdit. *Ipſa eſt Mater, qua tali Filio eſt decentiſſima, ipſa eſt qua maiorem Deus facere non poſſet.* Encomiũ verò hoc veluti Cæleſtem Ambroſiam ſe ex mellifluo Bernardo hauſiſſe teſtatur, vnde, ſubiungit, Bernardus ait, *nec maior inter Matres, nec maior inter filios naſci potuit.* In hoc

ſenſu explicari debent magnifica illa verbã Io. Damaſ. or. 1. de dorm. *Dei Matris, & ſeruorum Dei infinitum eſt diſcrimen*. In eodem ſenſu intelligi debet Magnus Albertus ſuper miſſus eſt c. 180. vbi poſt inſtitutam queſtionem an poſſit maior gratia puræ creaturę participari, quam eſſe Matrem Dei, prius confert gratiam maternitatis naturalis, & filiationis adoptiuæ, tum ſic philoſophatur. *Inter Matrem, & Filium eſt coniunctio ſubſtantialis: inter Patrem, & Filium adoptiuum eſt participatio accidentalis: ergo magis eſt eſſe Matrem Dei per naturam, quam eſſe Filium Dei per adoptionem*. Alia deinde ratione idem infert his verbis. *Inter eſſe Filium Dei per naturam, & eſſe Deum, & eſſe Filium Dei per adoptionem, & non eſſe Deum medium eſt eſſe Matrem Dei per naturam, & non eſſe Deum: ergo immediatè poſt eſſe Deum, eſt eſſe Matrem Dei*. Tandem poſt alia in huius rei confirmationem allata concludit. *Ex his manifeſtum eſt, quod maior gratia non poteſt intelligi puræ creaturæ participari, quam eſſe Matrem Dei, quod eſt priuilegium Beatiſſimæ Virg. Dominæ noſtræ*.

Quam plenitudinem gratiæ ſecum ferat?
XVII.

INfinitas hæc dignitatis Deiparæ ratione termini non tollit, quo minus finita fuerit ratione ſui quoad gratiam habitualem, licet admirabilem quandam plenitudinem eiuſdem habuerit, vt docet iuxta omnium SS. Patrum doctrinam S. Th. 3. p. q. 27. a. 5. Aliquam emphaſim habet luculentum illud elogium S. Anſelmi de Concept. Virg. & iuxta doctrinam allatam

allatam S. Th. temperandum. *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tanquam ſe ipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus idemque Dei Patris, & Virginis Filius.*

An omnia dona alijs Sanctis collata?
XVIII.

ALiqui quærunt an Matri Dei ratione amplisſimæ dignitatis fuerint priuilegia, conceſſa, & collata beneficia, quæ vlli alij creaturæ. Si loquamur formaliter non videtur verum, vt latè probat Theophilus Raynaudus in Diptycis Marianis: Si eminenter verum eſt, nam omnia conceſſa alijs Sanctis priuilegia, & collata dona Cæleſtia, ſuis longè ſuperauit. Hoc notum eſſe ex terminis Matris, & Filij poſt Albertum Magnum in lib. de B. V. c. 69. 70., ac 71., & S. Anton. 4. p. t. 15. c. 8. duo magna Sacri Prædicatorum ordinis lumina probat Suarez 3. p. t. 2. d. 1. ſ. 21. In hoc ſenſu loquutus eſt doctus ille Idiota cum B. Virgini dixit. *Sanctorum omnium priuilegia ò Virgo habes in Te congeſta,* & S. Bernardus epiſt. ad Can. Lugdun. *Quod enim primis mortalium conſtat fuiſſe collatum fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum.* Congregationes inquit Alb. mag. loco iam alleg. *aquarum apellauit Maria, locus autem omnium gentiarum vocatur Maria.* Hoc eleganter expreſſit Methodius orat. in hypap. his verbis B. V. alloquens. *Euge euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo enim vni-*

uerſi debemus, tibi autem etiam ille debet. Proinde qui dixit. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt is decretum à ſe promulgatum obſeruaret, & alios excederet, omnem Matri, & gratiam, & honorem impendit.

Quomodo ſupra omnem laudem ſit?

XIX.

ATque hęc ſufficiant de electione MARIÆ ab æterno ad ampliſſimam Dei Matris dignitatem, quæ iure dicitur in comm. præc. apud Buteon. 21. nou. *proæmium bonæ voluntatis Dei.* Eminentiſſimam hanc dignitatem ipſi, qui maximè laudant omnes SS. Patres, innumerabiles Scriptores Eccleſiaſtici, ac Doctores Scholaſtici ſupra omnem laudem eſſe clamant. *Virgo omnium* inquit Io. Dam. or. 2. de nat. *encomiorum legem excedit: nec ſi omnes in toto orbe diſperſæ linguæ in vnum creant, eius laudes oratione conſequi poſſent.* Et And. Cret. or. 1. de dorm. *Dei tantum ait eſſe laudare Matrem pro dignitate, qui quas nouit rationibus in ea fecit miracula.* In hac clauſula verba Th. a Villanoua ſer. 2. de nat. omittere non poſſum, quæ elegantiſſimi paneggirici loco ſunt. *Qvid, ait, amplius quæris? quid vltra requiris in Virgine? ſufficit tibi quod Mater Dei eſt. Quænam obſecro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria Matri Dei non congruit? Solue cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias; & deſcribe apud te in animo Virginem quandam puriſſimã, prudentiſſimam, pulcherrimam, deuotiſſimam, mitiſſimam, omni gratia plenam, omni Sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam;*

omnibus

omnibus chariſmatibus decoratam; Deo gratiſſimam: Quantum potes, tantum auge: quantum vales, tantum adde. Maior eſt iſta Virgo, excellentior eſt hac Virgo, ſuperior eſt Virgo iſta. Non eam Spiritus Sanctus litteris deſcripſit, ſed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere poſſ[...] defuiſſe.

An habuerit magna Deipara cumulum gratiæ, & aliorum donorum Cæleſtum ſupra omnes Sanctos?

XX.

ADmirabilem cumulum gratiæ B. Virgini infuſum, qui deinde toto tempore vitæ fere in immenſum excreuit, miris, excelſiſque elogijs extollunt SS.PP. Hoc egregiè præſtat S. Bonauentura in ſpec. l. 5. & lect. 7. poſt enumeratas nouem gratiæ plenitudines ab Angelo Magni Conſilij, Incarnationis Legato, qui eam gratia plenam ſalutauit ad illa verba *omnia flumina intrant in Mare* concludit in eam omnium Sanctorum chariſmata intraſſe, & ſubdit in fine. *Non eſſe mirum, ſi omnis gratia in Mariam influxit, per quam gratia ad omnes defluxit.* B. Petrus Dam. ſer. de Aſſ. Deiparam Virginem apellat *locum voluptatis omnibus gratiæ diuitijs cumulatum.* S. Io. Damaſc. or. 2. de Aſſ. *gratiæ Abyſſum vocat*, & or. 1. de nat. ſic eam alloquitur. *Tota Spiritus thalamus es, gratiarum pelagus.* Non minus magnificè loquitur de gratia Mariana mellifluus panegyriſta Bern. ſ. 3. de Ann. ad illud *inueniſti gratiam apud Dominum. Quantam*

inquit *gratiam? gratiam plenam, gratiam ſingularem. Singularem, an generalem? Vtranque ſine dubio, quia plenam, & eò ſingularem, quò generalem. Ipſa enim generalem ſingulariter accepiſti. Nam ſola præ omnibus gratiam inueniſti, ſingularem, quod ſola hanc inueneris plenitudinem! generalem quod de ipſa plenitudine accipiant vniuerſi.* Solitaria non fuit gratia, ſed vti in alijs iuſtis, licet in cumulo multò maiori habitibus per ſe infuſis ſtipata, doniſque Spiritus Sancti ad intellectus, & voluntatis diuinam quandam pulchritudinem, efficacemque vim ſanctè operandi, cum aliquo etiam dono ad appetitum ſenſitiuum deriuato. Iuditus fuit intellectui habitus fidei, fundamentum omnis fabricæ Spiritualis in via, & in patria, quam nobis, operibus noſtris, auxiliari Dei gratia excitante, & comitante extruimus. Etiam ſi neget Suarez tom. 2. 3. p. d. 19. ſ. 3. habitum ſcientiæ infuſæ diſtinctum ab habitu fidei intellectui Mariæ Deiparæ diuinitus datum fuiſſe, iugis tamen contemplatio diuinorum ſine corpuſculi defatigatione, rationis vſus ſemper vigilans, ad præueniendos omnes inordinatos motus, & alia priuilegia, quæ Sancti Patres adſtruunt in Beata Virgine, illum videntur euincere. Sancti Spiritus dona; nimirum conſilij, intellectus, ſapientiæ ad virtutis intellectiuæ præſidium, ſplendoremque pertinentia non eſt certum de fide dari iuſtis diſtincta ab habitu fidei diuinæ, vt oſtendit Suarez lib. 6. de grat. c. 10. Verum in Maria Sanctiſſima admitti omnino debent tanquam conuenientia Dei Matri decora, & ornamenta. Hinc eſt quod Virgo

Deipara, vt latè confirmat Dyoniſ. Carthuſ. l. 2. de laud. Deip. a. 3. *Conditorem ſuum, & omniū, omni mortali creatura excellentius agnouit, coluit, dilexit, & quantùm hic a viuente videri, vel comprahendi poterat, licet incomprehenſibilem comprehendit*, comprehenſione videlicet imperfecta, quæ creaturam decebat, & viatricem, licet omnium excellentiſſimā. Non minora fuerunt voluntatis decora, & ornamenta quam intellectus, nimirum theologicæ virtutes, omnes, & morales, ſed gratiæ magnitudini ferè immenſæ pares. De indita appetitui ſenſitiuo perfectione, quæ vti in ſtatu beatiſſimo innocentiæ fomitem, ferum Leonem, qui nobis ſemper irrugit non ſolū cicurauit, ſed extinxit ſic loquitur Rich. a S. Laurentio l. 3. de Deip. initio. *Tunc pater ſicut dicitur Oſee 13. adduxit ventum vrentem, ideſt Spiritum Sanctum, qui in eo quod ventus eſt ab æſtu concupiſcentiæ virgineam carnem refrigerauit, & fomitem extinxit, ſicut flatus venti candelam. In eo autem quod vrens eſt humorem ebibit noxialem, & terram corporis exſiccauit.*

Exceſſiſſe B. Virginem omnium Sanctorum hominum, Angelorumque gratiam, iuxta dignitatis ſuæ altiſſimæ eminentiam certiſſimum eſt. An exceſſerit omnes ſimul, & collectiuè, vt aiunt, videtur controuerſum. Adhęrent parti affirmatiuæ doctiſſimi, & pijſſimi Viri Suarez tom. 2. 3. p. diſput. 18. ſ. 4. Val. 3. p. d. 2. q. 1. p. 5. Salazar in c. 31. prouerb. 3. n. 181. Spinellus in Thr. Dei c. 6. Barrad. t. 1. l. 6. c. 16. & al ij. Indicant hanc Marianæ gratiæ plenitudinem S. Io. Damaſc. S. Epiph.

B. Pet. Dam. S. Io. Chryſoſt. & alij. S. Io. Damaſc. or. 1. de Dorm. Deip. *aſſerit inter Matrem Dei, & ſeruos Dei infinitum eſſe diſcrimen.* S. Epiph. or. de Deip. *Quo pacto* inquit *prædicabo Beatam Gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto cunctis ſuperior exiſtit.* Expreſſius loquitur B. Pet. Dam. ſ. 3. de nat. Virg. illis verbis. *Quid mirum ſi hæc ineffabilis Virgo in ſuis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cum & ipſam generis humani naturam, excellentium meritorum dignitate tranſcendat. Non denique ille excellentiſſimus Patriarcharũ Chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non Iudex Apoſtolorum Senatus, non Martyrum victor Exercitus, non aliquis antiquorum, non quiſquã ſequentium Patrum huic Beatiſſimæ Virgini poterit comparari. Quid enim Sanctitatis, quid iuſtitiæ, quid religionis, quid perfectionis deeſſe potuit ei, quæ totius, diuinæ gratiæ chariſmate plena fuit?* Prius ſ. 1. de Nat. comparans MARIAM cum Sanctis Angelis, & Hominibus agnoſcit veluti ſereniſſimum Solem ortu ſuo aſtra omnia fugantem, vnde concludit. *Sic vtrorumque Spirituum hebetat dignitatem, vt ſint in conſpectu eius quaſi non ſint, nec poſſint, nec valeant apparere.* Non cum minori verborum emphaſi loquitur aureus Doctor Chryſoſ. or. de Hypap. *Quid enim in ea Sanctius factum eſt? Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ non Patres, non Angeli, non Throni non Dominationes, nõ Seraphim, non Cherubim, non aliud quippiam, ſiue viſibile, ſiue inuiſibile inter opera Dei, melius ipſa inuenitur.* Iure Cæleſtis Sponſus cant. 6. *vnam* illam eſſe *Columbam* ſuam, *vnam perfectam* ſuam m...

prædi-

prædicat, & nos illi cum hominum Sapientiſſimo Prou. 3. plaudentes dicere poſſumus. *Multæ filiæ* nimirum Beatæ mentes,& Animæ Sanctæ *congregauerunt diuitias. Tu ſuper greſſa es vniuerſas*. Vnde iam concludere libet cum Pet. Venerab. l. 3. epiſ. 7. prop. 2. *Quantum ad morum puritatem, quantum ad vitæ perfectionem, quantum ad omnium virtutum Sanctificationem pertinet B. Virgo etiam in carne poſita omnem Creaturam, vel Humanam, vel Angelicam ſummè tranſcendit*. Periculum eſt ne ſcrutatores tantæ Maieſtatis opprimantur a gloria, & a ſummæ eloquentiæ argumento elingues fiant, & infantes, vti de ſe fatebatur S. Anſelmus de excell. Virg. c. 8. ſic magnam Deiparam alloquens. *Immenſitatem gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ conſiderare cupienti ſenſus deficit, lingua fatiſcit*. Exeamus ergo, ne naufragium ſubeamus, ex abyſſo gratiæ, quæ Beatiſſimam Deiparam inundauit. Ille probè nouit, qui condidit. *Ipſe creauit illam in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt*. Magnũ ſanè gratiæ cumulum ſuadent illæ Sacrarum litterarum veteris teſtamenti admirabiles figuræ, quibus prædicatur *Paradiſus voluptatis* in quo Deus deliciatur *Arcus Cæleſtis* Sacro fœdere terram; Cælumque complectens, *Arca Noe* naufragi Mundi ſeruatrix, *Rubus incumbuſtus* innocentibus flammis hoſpitium Diuinitatis, *Virga Aaron* æterno verè florens, *Nubes Heliæ* fæcunda gratiarum *Columna* Iſraelitici Populi ductrix, & ſoſpitatrix, *Thronus veri Salomonis* Principis pacis *Hiericontina Roſa Lilium inter ſpinas, Hortus concluſus Fons ſignatus, Ciuitas Dei, Mons Sion, Sol electus, Stella*

 Iacob,

Iacob, Luna pulcherrima, & glorioſiſſimis alijs apellationibus celebratur. Nec deſunt in nouò teſtamento encomia, quæ gratiæ, & gloriæ plenitudinem mirè extollunt, vndè ſignum magnum, & miraculorum miraculum ipſis Angelis, nedum hominibus videri poſſet.

An meritum gratiæ ex opere operantis?

XXI.

HAbuiſſe gratiam ex proprijs meritis Dei Matrem Sanctiſſimam non ex ſola liberalitate Dei, *cum in benedictionibus*, vt ait B. Lauren. Iuſtin. ſer. de Ann. *eſt prauenta dulcedinis prius Sanctificata, quam nata* acriter defendit Theoph. Rayn. in Dipt. Mar. p. 2. p. 2. n. 53., & modum, quo potuerit exerceri hoc meritum oſtendit, ſuppoſito prælucente iam rationis vſu, præmiſſiſque actibus Scientiæ infuſæ, vel fidei, qui commercium, & virtutem phantaſiæ non exigerent. Confirmat a paritate Angelorum, & primi hominis, qui ſe ad gratiam recipiendam bonorum affectuum ſtudio diſpoſuerunt. De cumulo huius primæ gratiæ iam ſupra multa diximus. Suarez tom. 2. 3. p. d. 4. ſ. 1. contendit maiorem fuiſſe gratia, in qua Angeli, & Homines conſumantur, vt inde prædicari poſſit *Fundamenta* eius *in Montibus Sanctis*, quia Deus homo factus eſt in ea, *& ipſe fundauit eam Altiſſimus*. An & quomodo illum gratiæ cumulum iterata Sacramentorum ſuſceptione, iugi, & irrequieta bonorum actuum frequentatione, a primis carceribus vſque ad vltimam vitæ metam, omni impulſui diuino, & afflatui Sancti Spiritus plenè, intenteque aſſentiens, & ſe ipſa

dignior

dignior amplificarit ferè in immenſum alibi dicemus. Adultorum more B. Virginem adhuc in materno vtero comparaſſe per actus liberos gratiam Sanctificantem aſſerunt etiam Suarez t. 2. in 3. p. d. 3. ſ. 8. & Vaſquez t. 2. in 3. p. d. 109. c. 3. Fauet S. Bernardinus Sen. ſer. 5. de B. V. Illi qui hoc adſtruunt in Angelis cohærenter dicere deberent in B. V. vt Arrubal in p. p. d. 175. & alij. Hic nobilior modus Sanctificationis eſt, & in maiorem gloriam B. Virginis cedit.

Et gloria?

XXII.

AN meruerit B. Virgo primam gloriam maior controuerſia eſt. Illam meruiſſe probat Nouatus tom. 1. de emin. Deip. c. 3. q. 19. per actum conuerſionis in Deum, qui fuit vltima diſpoſitio ad Sanctificationem, & fuit ſimul tempore cum illa, non pro vt durauit in tempore immediatè ſequenti poſt inſtans primæ Sanctificationis, quia illud ad meritum augmenti gratiæ pertinet, & conſequenter augmenti gloriæ, ſed prout fuit in illo inſtanti primo temporis. Non debet tamen ille actus dici meritum de condigno, quia debet eſſe ab homine exiſtente ſignatè in gratia non exercitè tantum, vt eruitur ex doctrina Angelici Doct. p. 2. q. 114. a. 2.

An inter alia dona collatum fuerit donum confirmationis in gratia?

XXIII.

DE infuſione gratiæ abundè iam ſupra diximus. De infuſione virtutum theo-

logicarum, & moralium nemo dubitare poteſt, cum illæ ex Concil. Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. iſtæ ex probabiliſſima ſententia D. Th. 1. 2. q. 63. a. 3. & alibi, quem ſequuntur innumerabiles alij Theologi, indiuiduæ comites ſint gratiæ Sanctificantis. Si dantur virtutes ſuaptè naturâ aquiſitæ, & per accidens infuſæ, vt probat Vaſquez t. 2. in 3. p. d. 9. c. 2. probabile eſt B. Virginem illas habuiſſe, quia fuit Excellentiſſimo modo Sanctificata, cum promptitudine ſupernaturali in potentijs ad exercitiũ omnium virtutum. Nec dubitari poteſt de ſeptem donis Spiritus Sancti, vt probat Suarez t. 2. in 3. p. 4. ſ. 2. referens D. Bernardinum in hoc ſenſu explicantem illlud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit in ea columnas ſeptem*. Hoc idem egregiè explicat Sapientiſſimus Idiota in contempla. Virg. ſic eam alloquens. *Septem columnæ, quibus firma ſemper ſtetiſti ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ requieuerunt in te, & nunquam te deſeruerunt, quæ ſtetiſti firmiter, & perſeueranter in omni virtute*. Illuxit etiam ex Dei priuilegio peculiari, illuminatiſſimus vſus rationis in Deipara Virgine, vt docet cõmunis Patrum, & Doctorum ſententia, & probat Suarez in 3. p. tom. 2. diſp. 4. ſ. 7. Rationes affert Nouatus t. 1. de emin. Deip. c. 3. q. 17. Neque enim B. Virgo fuit minor Adamo, & Angelis, quibus vſus rationis conceſſus fuit, cùm primùm extiterunt, & S. Io. Baptiſta, cui tale donum anticipati vſus rationis communicatũ fuit. Philoſophatur ſcitè circa hoc Albertus Magnus in ſuo Mariali c. 191. ex Doctr. S. Dyoniſ. Areopagitæ.

Inter

Inter alia, etiam domum confirmationis in gratia conceſſum eſt. Probatur a Suarez t. 2. in 3. p. diſ. 5. ſec. 3. & Nouato t. 1. c. 3. q. 14. Inter Patres expreſsè id teſtantur Guarricus Abbas ſer. 2. de Annunc. D. Bonau. ſ. de B. Mar. ad illa verba. *Fiat firmamentum in medio aquarum.* D. Bernardinus Senen. in Salue Reg. ſ. 3. qui vocat *firmamentum omnibus firmamentis firmius*. Idio. l. 1. contem. c. 4. & Incogn. ſuper Pſ. 86. ad illa verba, *& ipſe fundauit eam Altiſſimus. Quando ait ergo Anima B. Virginis fuit creata, tunc fuit fundata, quia per Filium Dei ſic fuit conſecrata, & in gratia ſtabilita, vt nunquam peccare poſſet.* Intelligendus eſt de potentia conſequente, non de antecedente; Neque enim B. Virgo fuit impeccabilis ex decreto aliquo facto a Deo de nõ cõcurrendo cũ eadem ad actum aliquem oppoſitũ præcepto, & conſequenter ad actum peccati, vt doctiſſimè de more probat Vaſquez tom. 2. in 3. p. d. 120. c. 1. & 2. Imò nec fuit impeccabilis propriè ex abundantia gratiæ, quidquid pro hac ſententia dicat Salazar in proem. c. 31. neque ex continuo actu amoris Dei, vt cenſuit Rich. l. 2. de Emman. c. 30. inferens id ex S. Hildeph. or. 1. de Aſſ. Sed hoc verè ab eo non dicitur, vti nec Superior ſententia, quidquid aliqui dixerint defenditur a S. Auguſtino in l. de nat. & gr. c. 36. Primus adſtruit tantum intenſiſſimum amorem Dei in B. Virgine: Secundus peccatum omne de facto excludit. Hoc priuilegium non ademit libertatem ad peccandum, vt defendunt præter Suarez, & Vaſquez, & alios, Salazar loco iam allegato, & Philipp. Moncæus diſp. 9. c. 4. Sed ſalua liber-

libertate principaliter importat cõtinuã auxilia efficacia robuſtiſſima præuiſa ſuum effectũ habitura, quibus adminiculabantur fomitis extinctio, continuus diuinarum illuſtrationum illapſus, iugis, & ardentiſſimus in Deũ amor, externa protectio Diuinæ Prouidentiæ, per quam omnes occaſiones remouebantur, & huiuſmodi.

An extinctus fuerit fomes peccati?
XXIV.

AN fuerit extinctus fomes in B. Virgine, an ligatus tantùm Doctores diſputant, cum tamen illum nunquam habuiſſe in actu ſecundo certum ſit ex communi Patrum, ac Theologorum ſententia, vt probat Suarez t. 3. in 3. p. d. 4. ſ. 3. Communis præſertim recentiorum opinio eſt fuiſſe extinctum. Nec difficile eſt hoc intelligere, ſi conſideremus Animam B. Virginis, fuiſſe non gratia tantum diuina ornatam, ſed in intellectu habitu ſcientiæ, & prudentiæ infuſæ illuſtratam, in voluntate munitam habitu, quo delectabiliter obiectum honeſtum a ratione propoſitum ſequeretur, & appetitui ſenſitiuo ita impecaret, vt nullo modo reluctaretur, imo vt alij docẽt, habitu in ipſo appetitu ſenſitiuo ad promptè obediendum imperio voluntatis, ac tandem ab extrinſeco diuina protectione circumſeſſam, & admirabili quadam prouidentia remouente occaſionem, per quam appetitus ſenſitiuus ad bonum delectabile contra rationem allici potuiſſet. Audiendus eſt cæteris omiſſis B. Th. de Villanoua conc. 3. de nat. B. V. *Non enim* inquit *decebat Sanctuarium Dei, domum*

mum Sapientiæ, & Reliquiarium Spiritus Sancti, vrnam Mannæ Cæleſtis aliquam labem in ſe habere; propter quod antequam Anima illa infunderetur plenè fuit caro illa mundata ab omni fece, & labe, & Anima cum infuſa eſt nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati, ſicut ſcriptum eſt. Factus eſt in pace locus eius, ideſt domus diuinæ Sapientiæ ſine omni fomite peccati formata eſt.

An Anima alijs perfectior infuſa?

XXV.

AN Corpus B. Virginis eodem momentô fuerit organizatum, an verò formatum eo dierum ſpatio, quo alia corpora controuerſum eſt. Modum communem formationis Corporis Mariani tuentur Henricus de Gandauo c. 3. Peramatus in tract. quid naturale quid Miraculum in Conc. Mar. Gullielmus Pepinus in lib. de imit. SS. Fauent manifeſtè S. Io. Damaſcenus or. 1. de Nat. Virg. & Simon de Caſſia l. 2. c. 1. ſic de corpuſculo Mariano loquens. *Animatur ordine ſeruato naturæ, & naturalibus creſcit augmentis:* At oppoſita ſententia fusè probatur a Nouato t. 1. c. 3. q. 8. auctoritate Patrum, reuelationibus diuinis, & momentis rationum. Cum vtraque ſententia ſtat B. Virginem in omni proprietate filiam fuiſſe Ioachimi, & Annæ, vt probat S. Epiph. her. 79. contra id. Collyr., qui Dei Matrem humanæ naturæ expertem, ac tantum diuinæ fuiſſe participem dicebant, & prius hær. 78. contra Antidicomarianitas. Animam Corpori Beatiſſimo alijs perfectiorem infuſam fuiſſe probabiliter tantum aſſeri poteſt. Nam pen-

dec

det ex queſtione philoſophica de æqualitate, & inæqualitate animarum. Inæqualitatem tuentur Caiet. 1. p. q. 85. a. 7. Capreol. in 2. d. 329. Iauellus 8. metaph. q. 6. Albert. in 2. d. 32. a. 6. Ferrar. 1. contra Gentes c. 3. Lichet. in 1. d. 3. q. 1. & alij apud Conimbric. 2. de an. c. 1. q. 5. a. 1. ac Fonſecam 5. Metaph. c. 28. q. 6. ſect. 11. In hanc ſent. videntur inclinare Mag. in 2. d. 32. & S. Bonauent. ibidem. Addit Caiet. loco iam alleg. Cęcum eſſe illum, qui negat hanc ſententiam eſſe S. Doctoris in 2. diſt. 32. q. 3. a. 1. & 1. p. q. 85. a. 7. vbi ait. Quantò Corpus fuerit melius diſpoſitum, & complexionatum, tantò nobiliorem Animam ſortiri, cum omne, quod recipitur per modum recipientis recipiatur. Si hæc ſententia vera eſt, certum videtur poſt Dei Filij Animam, Dei Matri perfectiſſimam omnium obtigiſſe, ſiue hæc heterogeneitas animarum ſit eſſentialis, ſiue indiuidualis tantùm.

Atque hæc pauca circa maximam magnæ Deiparæ dignitatem dixiſſe ſufficiat; ratione cuius æternus *Pater* primogenitam rerum, *Sanctus Spiritus* Virginem Sponſam, *Verbum* diuinum magnam ſuam *Matrem* ſupra omnes voluit eminere mortales ijs omnibus naturæ, & gratiæ bonis, atque Empyrei donis cumulatiſſimam, quæ illam ſupra omnes in rerum faſtigio collocarent. In editura quippe diuinum *Verbum* magna *Matre* altius impreſſos æterno Conſilio, ac deſtinatione decuit eſſe diuinitatis caracteres omnes, & apices rerum nobilioribus typis elegantius inuſtos, vt innocenti duello in ea exornanda natura, & gratia certantibus, ipſa triumphatrix non ſolum

omnium

omnium virtutum ideas haberet, ſed omnium
eſſet idea virtutum. Vno verbo qualis ſit Dei
Mater a Filio diuino diſcendum eſt.
Quæritis inquit S. Eucher. in vigil.
nat. *qualis ſit Mater? quæ*
rite prius qualis
ſit Filius.

AB ORBE CONDITO
Gentilitia nobilitas.
GENEALOGIA.
ELOG. II.

Liber generationis Ieſu Chriſti. Matth. 1.
Generationem eius quis enarrabit? If. 53.

Hanc vnam genealogiam habes,
ipſi humano generi congenitam,
æuo coæuam,
& orbi lactenti collactaneam.
Ignotus Deus
non debuit ex ignotis hominibus naſci;
nec Dei VERBVM humanis oculis
in gentilibus tenebris legendum exponi.
Ingredere ergo quiſquis es atrium ingens
Domunculæ Nazarenæ.
Huic Dei domui, quia breue terrarũ eſt Cęlum
totus in atrium Mundus aperitur.
Habet hæc commune cum Cælo peryſtilium,
quadrifidam orbis terrarum molem.
In hoc atrio
non niſi Heroinas ſtatuas inuenies,
Imperatorum Exercitum,
Pontificum Chorum,
Populum Regum,
Iudicum cætum,
Patriarcharum familiam.
Argutis manibus
omnia hæc ſigna MARIAM indigitant
Signum Magnum
Imperatricem Superum;

Anti-

Antiſtitam hominum,
Regum Reginam,
Mundi Iudicem,
Magnam Dei Matrem.
Vni Mariano coloſſo eriguntur in baſim
grandiores omnium hominum Statuæ.
Imo ſupra omnem Memnoniam artem
ſentiunt diuini Solis Auroram, & loquuntur;
Hæc nobilis omnium vox:
VNI VIXIMVS.
Vnam MARIÆ genealogiam habemus;
quæ infinitæ longitudinis linea conſtat.
A primo homine ad Deum pertingit,
infinito interuallo diſtantem
etiam a primo homine.
Adami Filia eſt;
Sed Dei Mater.
Adami tamen innocentis filia, non rei
ab eo nihil
præter primigeneam innocentiam contraxit:
Non inquinari debuit cum Adamo luteo,
Eua Cæleſtis;
nec infici primi hominum Patris puluere
Dei Mater.
Ab ipſo deſcendens
ſupra omnes homines aſcendit.
Inde Cainitis in bruta degenerantibus
Sethigenas in Angelos, primogenitos Filios,
vt per illos e MARIA naſceretur
Deus adoptauit.
Ad hanc cynoſuram reſpiciens
Magnus Naculerus Noè
naufrago Mundo in pluuio Mari portũ dedit:
In Abrahamico ſinu
Vna totum Cælum explicuit
Sereniſ-

Sereniſſimæ poſteritatis
Mulier diuino Sole amicta,
Luna calceata, Stellis coronata.
E ſinu Abrahæ prodiens in Dauidis ſolium
ſuum in ſinum Deum attraxit;
amplificata in immenſum nobilitate
non Regij tantum ordinis palmes,
ſed Hypoſtatici radix.
Nunquam magis adoranda fuit
Hebræorum Regum Corona,
quam cum illi ſummus Artifex
hanc gemmam inſeruit.
Auguſtius fuit Regum Regem parere,
quam e Regibus naſci.
Audeo dicere Abrahamum Dauidem,
& alios magnos mundi Heroes
Maiores MARIAE non fuiſſe.
Nepti maximæ nulli Maiores ſunt,
nec Anteceſſores, quos omnes vna præit.
Prodigium nobilitatis eſt
neminem inter Maiores numerare preter Filiũ:
nihil illam antecedere
præter diuinæ prolis poſteritatem.
Vnum ab ea factum diuinum VERBVM
numeroſi totius generis humani
faſti non æquant.
Idem VERBVM corporatum
impreſſa ſummi amoris
in familiæ ſuæ totius
gentilitium Stemma componitur.
Vtcunque nobilem MARIAM
velimus ex radice Ieſſe,
nobiliorem illam habemus ex flore IESV.
In arbore Marianæ nobilitatis
Nihil magis, quam hunc florem ſuſpice.

In

In Chriſto hamus diuinitas: eſca caro: linea genealogia. Iſid. lib. 1. de ſummo bono alludens ad illa verba Sob. c. 44. *An extrudere poteris Leuiathan hamo?* Ad eadem alludens S. Greg. Mag. dicit *velut hamus Chriſtus in Mare huius Mundi miſſus Serpentem occidit.*

In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris Maiorum titulis inſignitur. Beata verò Maria, licet ſit de generoſa Patrum ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſſima nobilitatis genus, qui de illa eſt nouo naſcendi genere procreatus, & per clariſſimam Sobolem omnem humani Stemmatis excedit nobilitatem. Clara Proauorum titulis; ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis. Pe. Dam. ſer. 46. in nat. B. V. Mar.

De genealogia ab orbe condito.

CAP. II.

ALtiſſima fundamenta Marianæ nobilitatis Cælum ſuſtentatura, toto Cælo nituntur. Idem eſt gentilitius Matris, & Filij ſplendor, genealogia MARIAE, & liber generationis IESV Chriſti, quem ſi non ex authographo diuino haberemus in vnico VERBO etiam breuiſſimo, quod ipſa edidit ſatis ſuperque legeremus. Ab æuo electa in Dei Matrem per Paradiſum Protoparentum, Noemi Arcam, Abrahami ſinum, Dauidis ſolium, Salomonis templum, Aurora diuinorum ſplendorum, ſuis etiam illuſtris Mundum intrauit, & felicibus auſpicijs horto deliciarum admira-

admirabiliorem arborem vitæ, Noemico nauigio tutiorem portum, Abrahamicæ poſteritati meliorem beatitatem, Dauidico regno pretioſiorem Coronam, Salomonico templo nouam humani, diuinique fæderis arcam, & SANCTVM SANCTORVM contulit venerabilius. Patriarchas, Imperatores, Iudices, Reges, Pontifices, nobiliſſimos Heroes, & Heroinas Mundi Infantis, adoleſcentis, & ſenis, Regina rerum MARIA veluti auitum populum numerat, & ſuum cenſet in familia ſua, quidquid Sancti, atque illuſtris quinquaginta ſeculis renouato tercenties circiter ſexagies quinquies in annuo ſtadio, curſu, quinquies millies Sol, & aſtra de Cælo in terris ſpectarunt. Primus Adamus ſolus totius Mundi Monarcha, & omnium hominum Genearcha octo primos veteris Mundi Patres ducit, reiecto Caino Sceleſtorum anteſignano, per Sethum innocentem, glorioſiſſima apellatione Dei Filios. Sequutus eſt hos iuſtus Noemus magnus naufragi terrarum orbis Nauarchus cum decem renouati orbis Patriarchis. Addidit Abrahamus Pater Sanctorſi, Phoſphorus Gentium, Dux beatorum, Iſaacum, & Iacobum Sanctiſſimum filium, ac nepotem, & inde decem partim exercitus Iſraelitici Ductores, partim populi Patres. Ille tandem Dei, & hominum amor Ieſſæus Dauid decem, & octo Regum coronatam poſteritatem tranſcripſit, & ex Salathiele, ac Zorobabele captiui, liberatique populi Ducibus decem alios illuſtres diuinæ familiæ in priuata fortuna Heroes, linea nobili per Ioachimum in MARIAM, & per hanc in IESVM Dei Filium ALPHA Sa-

crarum

trarum litterarum, & OMEGA, rerum metam, & omnium centrum cadente. Sexaginta tribus Heroibus Sacris, in gentilibus faſtis numeratis, tot deinde Magna Dei parens annos duxit nobilis vitæ, vt viſa ſit omnium in ſe epitomem facere, & omnes illorum virtutes conflare, omnium virtus. Illuſtriores quoque, & Sanctiores eruderata Sacra antiquitate fæminæ Sara, Rebecca, Rachel, Ruth, & aliæ, rudimenta MARIAE fuere. Huic nimirum vni fæneratus Mundus impendit pretium omnium ſæculorum, vt conſpirantibus tot Heroum, atque Heroidum pulchris exemplaribus MARIAM pulcherrimam, & Sanctiſſimam Cæli Helenam abſolueret, elegantiſſimũ opus naturæ, & gratiæ. A tantorum hominum luce, totoque Cælo Abrahamicæ poſteritatis ſplendorem magnum contraxit; ſed contulit Cæleſtis ſobolis Diuinitate maiorem, ne quid deſideraretur ab authoritate ſæculorum, vtranque æternitatem claudens in Filio. Nihil etiam ſine Auis MARIA antiquius fuit, omnium amore, & ſimul nihil magis nouum, omnium miraculo.

Nec vno Sole tantum in MARIA radiauit Stellatæ familiæ promiſſum Abrahamo electorum omnium, & præſertim Cæleſtium Ciuium Patriarchæ, Cælum; Sed ex eodem Regio genere nubente Virgini Matri Virgine Sponſo IOSEPHO parelia exhibita ſunt gentilium ſplendorum, quos idem Eleazar inter Meſſiæ progenitores ab Adamo Protoplaſto ſexageſimus per PANTHEREM, BAPANTHEREM, & IOACHIMVM ad MARIAM, per Nathanem, & Iacobum ad IOSEPHVM

propa-

propagauit.Quid plura? Si poſſet Magna DEI-PARA creſcere: ex ſuis Maioribus creſceret. In eo VERBO MARIA Auorum ſeriem legit, in quo omnia. Felicitatem generis alij humanam ſortiuntur; ipſa ſibi diuinam peperit. Non eſt patritij tantum ordinis, ſed diuini, in cuius familia ſcribitur Deus. Non ergo quæratur inter homines nobilitas, quæ cumulatiſſima a Deo deriuatur, nec pro ea generis cenſeantur Authores, quę omnium genuit Authorem. Electam ab æuo in PATRIS AETERNI Filiam, VERBI Matrem, SPIRITVS SANCTI Sponſam ab infante Mundo didicit ſenex. Hæc diuini generis priuilegia MARIAM Virginem ſupra omne extulerunt humanum genus. Prima poſt Filium Dei Mater in archetypis Ideis informe chaos ornauit, & in Mundum formauit, vt mirum non ſit omne Mundi Cæleſtis, & noſtratis decus in vnius mulieris Mundum muliebrem conſpiraſſe. Infinitæ nobilitatis linea in IESVM cadens puncto concluſa, quod eſt abyſſo profundius, Cælo ſublimius, Mundo maius, nullis lineis definiri poteſt a pygmeo præſertim Scriptore palmari calamo. Arbor Marianæ nobilitatis eſt Paradiſus deliciarum: genealogia, Mundi melioris hiſtoria: faſtos gentiles inſcribunt humani, & diuini generis Authores: campū ſtemmatis illuſtrat Abrahamicum Cælum: ſtemma eſt corporatum Dei VERBVM. Vnde argutè facundus Euangeliſta originis laudes nō ab humana radice trahens, ſed a diuino fructu, ac theogeniā potiori iure, quam genealogiam deſcribens, totius Marianę nobilitatis panegyricū abunde complexus tetragrammato laconiſmo MARIAM dixit, de qua natus eſt IESVS.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Genealogia Deiparæ Sanctiſſimæ.

SYNOPSIS.

1 IPſa DEIPARA ex familia Dauidis demonſtratur. 2. Eius genealogia per Salomonem, & regalem lineam. 3. Alia ex Sancto Io Damaſc. per Nathanem Dauidis filium, & Salomonis fratrem. 4. Alia per eundem Nathanem iuxta ea quæ habentur Luc. 3. 5. Aliqua B. V. origo ex Tribu Sacerdotali per lineam fœmineam 6. in laudem MARIAE varia ex ipſius genealogia deriuantur.

IESVM non tantum, & IOSEPHVM, ſed MARIAM ex Tribu Iudæ, Semine Abrahæ, & familia Dauidis fuiſſe dicendum eſt.

I.

ELectam ab æterno MARIAM in Dei Matrē originem duxiſſe ab Abrahamo ex Tribu Iudæ per familiam Dauidis pro certo habendum eſſe docet S. Th. 3. p. q. 31. a. 1. 2. ac 3. contra Fauſtum hæreticum confutatum a S. Auguſt. lib. 23. c. 3. & 4. & contra Gnoſticos, qui de ſtirpe B. Virg. monſtroſum librum ediderant, reiectos a S. Epiph. hær. 26. Promiſſus fuit Chriſtus Dominus Abrahamo Patriarchæ Gen. 18. & 22. Conſtat fuiſſe de Tribu Iudæ Gen. 29. & ad Heb. 7. Filium quoque Dauid Matth. 1. & ad Rom. 1. Imo hic fuit communis ſenſus omnium Hebræorum expectantium Meſſiam ex familia Regia Dauidis, vt patet in omnibus Euangelijs Matt. 22. Marci 12 Lucæ 20. Ioan. 7. Ipſæ quoque promiſſiones diuinæ factæ Dauidi euincunt Chriſtum Dominum

fuiſſe

fuiſſe eius Filium, nimirum ex eius ſtirpe progenitum 2. Reg. 7. & Pſ. 131. Has in eodem impletas fuiſſe teſtatur Incarnationis Diuini verbi legatus Angelus Luc. 1. Nec ſufficit dicere ex familia Dauidis fuiſſe non MARIAM, ſed IOSEPHVM virum MARIAE, de qua natus eſt IESVS; nam contrarium docet S. Auguſt. relatus contra Fauſtum c. 8. 9. & 10. Euſebius lib. 7. de demonſ. Euang. c. 5. & 6. & S. Athanaſ. indicat lib. 1. de humana natura ſuſcepta. Idem fusè probant Vaſquez in 3. p. S. Th. t. 2. d. 121. c. 1. Pineda de Rebus Salom. l. 7. c. 21. & alij innumeri. Et certè clara ſunt oracula ſacrarum litterarum Dauidicam ſtirpem in IESV Chriſto adſtruentia, & quidem ex interpretatione communi SS. Patrum per MARIAM. *Egredietur*, legimus Iſ. 11. *Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. S. Hieronym. cum alijs communiter de Virg. Deip. & Chriſto Dom. explicant. In eodem ſenſu accipiunt illa Num. 24. *Orietur Stella ex Iacob &c. Leo de Tribu Iuda radix Dauid* dicitur IESVS Chriſtus Apoc. 5. Et ne aliquis interpretetur adoptione IOSEPHI non generatione MARIAE Paulus ad Rom. 1. ait, *qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Deinde ipſa deſponſatio B. V. *cum Viro de Tribu Iuda, & familia Dauid*, vt expreſsè habemus Matt. 1. & Luc. 3. euincit illam ex eadem Tribu, ac familia fuiſſe; nam nulli alteri extra Tribum, ac Familiam ſuam nubere poterat, vt colligitur ex vlt. c. numer. ex Tobiæ iunioris coniugio, & alijs. S. Io. Damaſc. lib. 4. de fide orthod. c. 15. idem apertè eruit ex iuſtitia IOSEPHI his verbis. *Verum*

hoc demum lege cautum erat, ne Tribus ulla uxores ex altera Tribu accerſeret. Ac proinde Ioſeph, qui ex Tribu Dauidica ortum habebat, Iuſtitiamque colebat (hanc enim laudem ei tribuit diuinum Euangelium) Sanctam Virginem haud quaquam præter legis præſcriptum deſpondiſſet, niſi ex eodem ſceptro genus duxiſſet. Agunt de his eruditè inter Hiſtoricos Eccleſiaſticos Emin. Baronius, inter SS. Patres Io. Damaſ. non ſolum loco allegato, ſed or. 2. ac 3. de nat. Virg. inter Doct. ſcholaſticos Suarez t. 2. 3. p. d. 2. ſ. 3. inter Sacræ Scripturæ Interpretes Card. Toletus ab annot. 56. Hinc patet quam ineptũ ſit dicere B. V. fuiſſe ex familia Dauidis, ac Tribu Iuda per lineam maternam, non paternam. Aliter expreſsè docet S. Th. in 4. d. 3. q. 2. a 1. & aſſeritur a S. Ambroſ. l. 3. in Luc. S. Io. Damaſ. l. 4. c. 15. & alijs Patribus. Alioquin Leui, vel alteri Patriarchæ, non Iudæ facta fuiſſet pretioſiſſima, & nobiliſſima promiſſio venturi Meſſiæ. Iure itaque B. V. dicitur a Pe. Dam. ſ. 3. de nat. B. V. *Filia Regum, & Mater Regis Regum*, cui conſonat Eccleſia Catholica in eius fauſtiſſima natiuitate dicens. *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* Sola ergo difficultas eſt an B. V. deſcenderit ex Dauide per Salomonem, an per Nathanem, & quodnam ſtemma progenitorum conſtitui debeat.

Genealogia MARIAE ab Orbe condito ex Dauide per Salomonem, & eius Regalem lineam.

§ II.

AB aliquibus Genealogia MARIAE ex Dauide per Salomonem, & eius totam Regalem

galem lineam deducitur vti ab Emmanuele Theſauro in luculentiſſimis Progenitorum Meſſię elogijs, quos ab Adamo ad ipsũ IESVM Chriſtum per MARIAM, & IOSEPHVM trahit. In hoc ſtemmate ſexaginta tres Progenitores ab orbe condito in MARIAE genealogia numerantur ab Adamo ad Noemum nouem, a Noemo ad Abrahamum decem, ab Abrahamo ad Dauidem treſdecim, a Dauide per Regiam lineam ad Salathielem captiui populi Ducem, & vltimi Iudæi Regis ante captiuitatem Babylonicam Filium, decem, & nouem, a Salathiele ad Eleazarum in quo communem habent lineam B. MARIA, & S. IOSEPHVS eius Sponſus octo, ab Eleazaro ad Sanctiſs. DEIPARAM quattuor. Primam MARIAE Progenitorum ſeriem, pueritiam Mundi apellat ſupra rel. Emm. Theſ., & primos illos Patriarchas, Paſtores, ſed rerum Dominos, & Mundi Principes, humanique generis ſatores. Alijs renaſcentis orbis, qui in pluuio Mari naufragium paſſus perierat, Patriarchis, Mundi pueritiam attribuit. Fortiſſimos Duces, quorum aliqui Egyptum incoluerunt, alij terram promiſſionis, in Mundi iuuentute collocat: in virilitate Dauiditæ ſtirpis Reges: in ſenectute alios vſque ad nouam ætatem SANCTI, quæ a B.V. Proauo incepit. MARIAE Progenitores ab orbe condito, ac totum ſtemma diuinæ familiæ in ſubſcripto ſchemate ſic habes.

1. ADAMVS Dei, & terræ Filius, omnium hominum parens.
2. SETHVS Adami Filius.
3. ENOS Sethi Filius.

4. CAINAM Enos Filius.
5. MALALAEL Filius Cainam.
6. SAREDVS Malalaelis Filius.
7. ENOCH Saredi Filius.
8. MATHVSALA Filius Enoch.
9. LAMECHVS iuſtus Mathuſalæ Filius.
10. NOEMVS Lamechi Filius renouati orbis terrarum Pater, & Filiorum Dei vltimus.
11. SEM Noemi Filius.
12. ARPHAXAD Filius Sem.
13. SALEMVS Filius Arphaxad.
14. HEBERVS Salemi Filius.
15. PHALEG Heberi Filius.
16. REVVS Filius Phaleg.
17. SARVG Reuui Filius.
18. NACHOR Filius Sarug.
19. THARES Nachoris Filius.
20. ABRAHAMVS Thare Filius, & Sanctorum Pater.
21. ISAACVS Abrahami Filius.
22. IACOBVS Iſaaci Filius.
23. IVDAS Iacobi Filius, & Iudeæ Tribus Pater.
24. PHARES Iudæ Filius.
25. ESRON Filius Phare.
26. RAMVS Eſronis Filius.
27. AMINADABVS Rami Filius.
28. NAASSON Aminadabi Filius.
29. SALMA Naaſſonis Filius.
30. BOOZ Salmæ Filius.
31. OBED Filius Booz.
32. IESSE Filius Obed.
33. Dauid Filius Ieſſe duarum Tribuum Iudæ, & Beniamini Rex, tum totius Iſraelis, decem, & octo Regum parens.

34. SALOMON totius Iſraelis Rex Dauidis Regis Filius.
35. ROBOAMVS iterum diuiſo regno Rex duarum Tribuum, Salomonis Filius.
36. ABIAS Rex Roboami Regis Filius.
37. ASA Rex Abiæ Regis Filius.
38. IOSAPHAT Rex Aſæ Regis Filius.
39. IORAMVS Rex Ioſaphat Regis Filius.
40. OCHOZIA Rex Iorami Regis Filius.
41. IOAS Rex Ochoziæ Regis Filius.
42. AMASIA Rex Ioas Regis Filius.
43. OZIA Rex Amaſiæ Regis Filius.
44. IOATHAN Rex Oziæ Regis Filius.
45. ACHAZ Rex Ioathanis Regis Filius.
46. EZECHIA Rex Achaz Regis Filius.
47. MANASSES Rex Ezechiæ Regis Filius.
48. AMON Rex Manaſſis Regis Filius.
49. IOSIA Rex Amonis Regis Filius.
50. ELIACIMVS Rex Ioſiæ Regis Filius.
51. IECONIA Rex Eliacimi Regis Filius.
52. SALATHIEL populi captiui Dux, Ieconiæ Regis Fil.
53. ZOROBABEL reducis in Iudeam populi Dux Salathielis Filius.
54. ABIVD Zorobabelis Filius.
55. ELIACIMVS Filius Abiud.
56. AZOR Eliacimi Filius.
57. SADOC Azoris Filius.
58. ACHIM Filius Sadoc S. MARIÆ Vir. Tritauus.
59. ELIVD Fil. Achim S. Mar. V. Atauus.
60. ELEAZARVS Fil. Eliud S. Mar. V. Abauus.
61. S. PANTER Eleazari Filius S. Mar. V. Proauus.
62. S. BAPANTHER S. Pantheris Fil. S. Mar.

 Virg.

Virg. Auus.

63. S. IOACHIMVS S. Bapantherius Fil. S. Mar. Virg. Pater.

MARIA Virgo Fil. S. Ioachimi vera IESV Chriſti Mater.

IESVS Chriſtus Dei, & MARIÆ Filius.

In hac ſerie idem Eleazar, qui B. V. Abauus legitur, vt patet in Euangelio S. Matthæi fuit S. Mathanis Pater S. Iacobi Auus, & S. Ioſephi Proauus, vnde patet S. Pantherem, & S. Nathanem fratres fuiſſe, S. Bapantherem, ac S. Iacobum Patrueles, ac tandem B. Virg. & S. Ioſephum in quarto gradu conſanguinitatis fuiſſe. Omiſit Matth. Euangeliſta tres Reges in Meſſię genealogia Ochoziam Ioas, & Amaſiam. Voluit nimirum ſacer Agiographus, vt inquit, Emm. Theſaurus in ſuis elogijs, ne Maiores Chriſti cum Achabi Minoribus miſcerentur, a diuino ſtemmate peſſimi Regis Nepotem, Pronepotem, & Abnepotem exulare. Alij vt Maſſellus in vita B. V. cenſent hos Reges expumtos fuiſſe a diuinæ familiæ faſtis, vt Miniſtrorum Dei contemptores. Conſulendi ſunt Eccleſiaſtici Scriptores, & Sacrarum litterarum interpretes ad harum difficultatum ſolutionem, vti etiam quo pacto Booz Obed, & Ieſſe trecentorum ſexaginta ſex annorum tempus expleant, de quo fusè inter Sacrarum litterarum Interpretes Abulenſis, & inter Eccleſiaſticos Scriprores Salianus agunt. In hac genealogia non solũ habetur fuiſſe MARIAM DEIPARAM ex familia Dauidis, ſed per Regalem lineam. quod Sacris litteris, ac SS. Patribus conſentaneum eſt. S. Ambroſius lib. 3. in Luc. id apertè aſſerit. S. Hieronym. in Hie-

rem.

rem. 22. dicit Chriſtum Dominum fuiſſe de ſemine Sedechiæ per Salathielem captiui populi Ducem, & alios. A Theodoreto in Luc. dicitur B. Virgo non ſolum de ſemine Salomonis, ſed etiam Ezecchiæ: a S. Bernardo ſ. in ſig. mag. *ex Regibus orta generoſa ex ſtirpe Dauid*. A Pet. quoque Dam. ſer. 2. de nat. celebratur *clara Auorum titulis, ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis, filia ſiquidem Regum, ſed Mater Regis Regum*. In hoc ſenſu dicitur a S. Io. Damaſ. or. 1. de Aſſ. & a S. Cyr. hom. in Neſtor. t. 6. conc. epheſ. c. 6. *ornamentum generis humani*, & in hym. de purif. B. V. apud Clyctou. lib. 1. elucid. *nobilitas Cæli, & terræ*. Confirmari poteſt ex illo Pr. 131. *De fructu Ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, vbi ad litteram ſermo eſt de Salomone, & de Chriſto Domino in Perſona ipſius, qui Luc. 1. dicitur *de domo Dauid*, & vti in cantic. Zacchar. legimus *erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui*. Propriè domus Dauid ſignificat Regalem proſapiam iuxta communem phraſim Script. Sacræ 2. Reg. 7. 3. Reg. 12. a. 13. & iuxta communem Patrum interpretationem.

MARIAE, & IESV ex Sancto Io. Damaſc. genealogia per Nathanem Dauidis Filium, & fratrem Salomonis.

III.

ALiter conſtituit B. Virg. & IESV Chriſti genealogiam S. Io. Damaſ. l. 4. de fid. c. 15. per Nathanem iuxta ea, quæ habentur de Progenitoribus Chriſti Domini Luc. 3. Ipsū audiamus. *Igitur* inquit *ex ſtirpe Nathan Filij*

 Dauid,

Dauid, Leui genuit Melchi, & Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem (namque ita vocabatur) Barpanther rurſus genuit Ioachim. Ioachim denique genuit Sanctam Dei Genitricem. Rurſus ex ſtirpe Salomonis Filij Dauid Mathan ex vxore ſua genuit Iacob. Mortuo autem Mathan Melchi ex Tribu Nathan filius Leui, ac frater Pantheris vxorem ipſius Mathan, quæ etiã Iacobi Mater erat matrimonio ſibi copulauit, atque etiam ex ea genuit Heli. Ita vterini fratres erant Iacob, & Heli ille nimirum ex Tribu Salomonis, hic ex Tribu Nathan oriundus. Porrò Heli, qui ex Tribu Nathan erat nullis liberis ſuſceptis è vita migrauit, eaque de cauſa Iacob ipſius frater, qui ex Tribu Salomonis fluxerat ipſius vxorem accepit, fratrique ſuo ſemen excitauit, ac Ioſephum progenuit. Ioſeph itaque natura quidem Filius Iacob erat a Salomone oriundus; legis autem ratione Patrem habebat Heli ex Nathan oriundum. Sic ergo Schema ex S. Io. Damaſc. conſtitui debet.

S. PANTHER Fil. Leui, & Melchi Frater Proauus B. V.

S. Barpanther Fil. S. Panth. Auus B. V.

S. IOACHIM Fil. S Barpan. B Virg. Pater.

S. MAR. Deip. S. Ioachimi Filia.

MELCHI Pantheris Frater Fil. Leui Pater Heli fratris Vterini Iacob Flij Mathan.

HELI. PATER Legalis S. Ioſeph, cui alioquin Pater naturalis erat IACOB Fil. Mathan.

Hinc S. IOSEPHI genealogia ex vtraque familia Salomonis, & Nathanis conſtituitur, iuxta ea quæ Matth. 1., & Luc. 3. habemus. Iacob, & Heli Fratres fuiſſe teſtantur Aphric. ant. Theol. in epiſ. ad Ariſt. apud Euſebium

lib. 1. c. 6. Niceph. l. 1. hiſt. c. 11. Beda in illud Luc. qui fuit Heli. S. Hierony. in Matth. 2. Euthymius in Luc. 3. S. Auguſt. l. 2. c. 7. S. Epiph. aduerſus Collyridianos hær. 79. & fusè Balduinus Iunius in ſuis cronicis moral. ætat. 5. mundi 5. nec eſt. Andronicus Conſtantinop. in dial. c. 38. in Biblioth. PP. t. 14. ex nuper impreſſis Coloniæ p. 56. deſcribit exactè B. V. genealogiam præſertim quoad proximos conſanguineos. Eius teſtimonium habetur apud Io. Baptiſtam Nouatum tom. 1. de em. Deip. c. 2. q. 3.

Alia Mariæ Deiparæ genealogia per Nathanem iuxta ea quæ habentur, Luc. 3.

I V.

ALij putant IESV Chriſti genealogiam deſcriptam a S. Luca per Nathanem non quidem Prophetam Dauidis reprehenſorem, vt aliquando putauit S. Auguſt., & deinde retractauit lib. 1. retract. c. 26. ſed ex Berſabea eiuſdem Filium, & Salomonis Fratrem, vt aſſerunt Caietanus, Ianſenius, Dyon. Carthuſ. Arias Montanus, Gagnæus, Palatius, & alij apud Suarez t. 2. in 3. p. d. 25. ſ. 3. ad B. Virg. omnino pertinere. Id etiam docent apertè alij deſcriptores genealogiæ IESV Chriſti in c. 1. Matth. ac 3. Luc. Galatin. l. 7. c. 12. Ioan. Driedo l. 3. de dogm. c. 5. p. 4. Io. Lucidus l. 7. de emend. temp. c. 1. Canus 1. de loc. c. 5. Soto c. 4. d. 3. q. 2. a. 1. Caniſ. l. 1 de Deip. c. 3. ex Hoſiandro l. 1. Harmon. Euangel. c. 16. in lib. 1. queſt. veteris, & noui teſtam. q. 56., & l. 2. q. 6., qui ſub nomine Auguſtini circumfertur, hæc expoſitio indicatur.

quatenus ibi dicitur, cum S. Luc. ait *qui fuit Heli* non de S. Ioſepho, ſed de IESV Chriſto loqui. Ioachim, & Heliacim Synonima eſſe probat Annius ex 4. Reg. 23. & 2. paralip 36., & per contractionem Heliacim dictum fuiſſe Heli teſtatur in comment. temp. qui falsò Philoni adſcribuntur. Ad probandum Ioachim, & Heli eundem fuiſſe hominem, & binomium Petrus Morales lib. 1. tract. 6. in 1. Matth. refert Philonem l. 2. ſui Breuiarij id aſſerentem, & Rabbi Hecados ex Galat. l. 7. c. 12. Hanc ſententiam ſequitur Suarez loco iam alleg. putans veriſimile eſſe Euangeliſtas non omiſiſſe naturalem MARIÆ, & inde IESV Chriſti genealogiam, cum præſertim in Sacris litteris non ſit omnino inuſitatum deſcribere genealogias fœminarum, vbi earum excellentia, ac dignitas id poſtulat. Vnde illius Hebrææ Amazonis Iudithæ proſapia deſcribitur Iudith. 3., quæ ſua de Holopherne glorioſiſſima Victoria, totaque vita Sanctiſſima MARIÆ Deiparæ proluſit. Ita tamen ex Dauide per Nathanem MARIAE, & IESV genealogiam deducit, vt probabiliſſimum putet cum S. Th. q. 31. a. 3. etiam B. Virginem per aliquem ex Meſſiæ Progenitoribus Regalis lineæ Salomonis, qui apud S. Matth. numerantur, iunctis ſæpius matrimonio eiuſdem tribus Dauidicæ familijs, originem duxiſſe. Si ergo demus S. IOSEPHVM dici HELI Fil. in quantum vir fuit MARIAE, quæ Mater IESV, & Filia Heli, ſiue Heliacim, & Ioachim fuit, illius originis ſchema per Nathanem Dauidis Filium, & Salomonis Fratrem ſic habes iuxta Euang. S. Lucę c. 3. deſcendendo a Nathane ad IESVM.

1. NATHAN Filius Dauid, Salomonis Frater.
2. MATHATHA Nathanis Fil.
3. MENNA Mathathæ F.
4. MELCHA Mennæ F.
5. ELIACIMVS Melchæ F.
6. IONA Eliacimi F.
7. IOSEPH Ionæ F.
8. IVDA Ioſephi F.
9. SIMEON Iudæ F.
10. LEVI Simeonis F.
11. MATHAT Leui F.
12. IORIM F. Mathat.
13. ELIEZER Iorim F.
14. IESVS Eliezer F.
15. HER Ieſu F.
16. ELMADAM Her F.
17. COSAN Elmadam F.
18. ADDI Coſan F.
19. MELCHI F. Addi.
20. NERI F. Melchi.
21. SALATHIEL F. Neri.

Hanc eundem prorſus eſſe cum illo, quem per Regalem lineam S. Matth. deducit, vti & Zorobabelem aliqui putant, vt notant in genealogia aliquibus Sacris Biblijs inſerta, ſed Suarez, & alij omnino diuerſos eſſe putant.

22. ZOROBABEL Salathielis Filius.

Hic cum Hebræo populo reduci e Babylonica captiuitate 58. annos præfuiſſet, iuxta priorem ſententiam multos Liberos ſuperſtites reliquit, in quibus fuerunt Reſa, & Abiud totius familiæ Principes. Adminiſtratio Hebreæ Reipub. Reſę obtigit, eiuſque poſteris, vſque ad Iannem. Ex hoc deinde B. V. prodijt iuxta S. Luc. Euangelium, cum S. Matthæus per Abiud Zoroba-

Zorobabelis Filium alterum IESV Chriſti lineam traduxerit.

23. RESA Zorobabelis Fil. præfuit an. 6.
24. IOANNA Reſæ F. an. 53.
25. IVDA Ioannæ F. an. 14.
26. IOSFPH Iudæ F. an. 7.
27. SEMEI F. Ioſeph. an. 11.
28. MATHATHIAS Semei F. an. 12.
29. MAHAT Mathathiæ F. an. 9.
30. NAGGE F. Mahat an. 10.
31. HELI F. Nagge an. 8.
32. NAHVM Heli F. an. 7.
33. AMOS F. Nahum an. 14.
34. MATHATHIAS F. Amos an. 10.
35. IOSEPH Mathathiæ F. an. 66. B. Virg. Tritauus.
36. IANNES Ioſephi F. an. 16. B. Virg. Atauus.
37. MELCHI Iannæ F. B. Virg. Abauus.
38. LEVI Melchi F. B. Virg. Proauus.
39. MATHAT Leui F. B. Virg. Auus.
40. HELI, qui & Ioachim Leui F. B. Virg. Pater.
S. MARIA Ioachimi ſiue Heli Filia IESV Chriſti Mater.

Cum his ſtat ſententiam aſſerentem Heli, & Iacob Fratres fuiſſe magnum probabilitatis momentum habere, quia nititur authoritate antiquorum Doctorum, licet S. Hieronymus ſuper Epiſt. ad Titum dicat hanc quæſtionem ſuo tempore fuiſſe cõtrouerſam, & S. Ambroſ. velit S. IOSEPHVM Heli naturalem filium fuiſſe, & Iacobi legalem. De genealogia IESV Chriſti a Dauide per Salomonem, & IOSEPHVM deſcripta a S. Matth., & a Dauide per Nathanem, & MARIAM deſcripta à S. Luca legantur Barradius lib. 5. c. 30. & Henricus

Haroil-

Haroillæus in ſuis iſagogicis chronologijs, qui de his fusè, & eruditè agunt.

Aliqua B. V. origo ex Tribu Sacerdotali per lineam fæmineam.

V.

ITA fuiſſe ex Tribu Iudæ B. V., vt aliquo modo per lineam fæmineam, ſiue Ioachimi, ſiue Annæ deſcenderit e Tribu Leui Sacerdotali oſtendunt Vincentius Regius in ſuis dilucid. in Euang. l. 1. c. 3. theorem. 5. & Emin. Toletus in cap. 3. Luc. annot. 38. Fauet illud elogiũ Honorij Auguſtodun. in ſig. S. Mariæ, in quo ex quadruplici titulo nobiliſſima MARIÆ proſapia prædicatur his verbis. *Ex benedicto Patriarcarum Semine, ex præclaro Prophetarum germine, atque Sacra Sacerdotali ſtirpe, generoſa quoque, & Regali progenie hac inclita virtutis Dei Virga proceſſit, qua ſingulariſſimum florem meruit germinare.* Sed de hoc alibi dicetur cum cognatio inter MARIAM, & ELISABETH expendetur.

In laudem MARIAE varia ex ipſius genealogia deriuantur.

VI.

VNiuerſam Marianam genealogiam ſcitè, eruditèq; illuſtrauit pluribus hom. Io. de Carthag. l. 2. ab hom. 10. vſque ad 14. non ſolum MARIAM ſub libri titulo myſticè, & allegoricè explicando ad illa verba *liber generationis Ieſu Chriſti*, ſed omnes eius progenitores cum analogia ad ipſam celebrando. De B. V. intelligit S. Epiph. illud Iſ. 8. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis.*


bis. Ab eodem Epiph. or. de laud. Deip. dicitur *liber incomprehenſus, qui Verbum Patris Mundo legendum exhibuit:* ab And. Cret. or. de Aſſ. *liber verè viuus Verbi paterni tacitè inſcripti viuifico calamo Spiritus*: a S.Io.Damaſc. or.2.de Aſſ. *liber nouus in quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam inſcriptus eſt.* Auorum B. Virg. nomina recenſet Maſſellus l.1.vitæ Deip.c.8.,eorumque ſignificatioñe ad virtutes IOACHIMI, & ANNAE traducit,ſed excellẽtiori modo in ipſius Deip. Sanctiſſimæ Virtutes cadunt. Hoc egregiè præſtitit Hugo de S. Vict. ſ. 34. his verbis. *Quid enim fuit innocentia Ioſeph, manſuetudo Moyſis, fortitudo Ioſue, charitas Samuelis, humilitas Dauid, zelus Eliæ, abſtinentia Danielis, eximia Sanctitas Io. Baptiſtæ, aliorumque virtutes in comparatione B. Mariæ? B. igitur Virgo verè aurora clariſſima fuit, quæ ſub magnifico iubare omnium præcedentium Patrum claritatem minorauit*. Omnes igitur Sanctiſſimi Progenitores, & alij Patres veluti nocturnæ faces huic æterni Solis auroræ proludunt. Sed ipſa quoque MARIA in alio ſenſu vmbra Adami, & Euæ nimirum protectrix, omniumque ſuorum Progenitorum,demonſtratur apud Nouarinum in vmb. Virg. l. 4. exc. 57. Ibi ex magno Doctore Ambroſio, & S. Bernardino ſ. 4. p. 2. dicit Adamum, & Euam annihilandos, niſi B. Virgo in eorum lumbis fuiſſet, Deum ob illius amorem præſeruaſſe Noe de diluuio, Abraham de cæde Regum, Iſaac de Iſmael, Iacob de Eſau, populum Iudaicum de manu Pharaonis &c. Omnia Marianæ nobilitatis capita complectitur Bartholom.Piſanus in ſuo

Mar.

Mar. his verbis. *B Virgo orta eſt primò de multis Patribus Veteris teſtamenti maximè a decimo nono incipiendo ab Adam vſque ad Thare, ſecundo, de Patriarchis, tertio de Principibus, quarto de Iudicibus, quinto de Regibus, ſexto de Ducibus, ſeptimo de Viris ſtrenuis & fortibus, octauo de Sacerdotibus & Summis Pontificibus, nono de populi Rectoribus, decimo de cultoribus Dei, & iuſtis parentibus*. Sed reuera longè nobilior eſt MARIA, quia Meter Regis Regum, quam quia Regum filia. Ex auitis Imperatoribus, Regibus, & Heroibns DEIPARA Virgo auguſtum regium, & heroicum ſplendorem traxerit; maiorem tamen contulit, cum diuinum de ſuo dedit in diuina ſobole. MARIÆ Genealogia paradoxum eſt, nam cum totius Mundi hiſtoria ſit vnico tamen VERBO explicatur quod ipſa edidit. Hinc iure dicitur a D. Bernardo *benedicti ſeminis Auguſta parens* a S. Greg. 7. l. 8. ep. 22. *nobilitas omnium Electorum* a S. Io. Damaſc. or. 1. de Aſſ. *ornamentum generis humani*, & a Rich. l. 2. p. 1. *omnium complementum* his verbis. *Ipſa eſt enim cauſa ſalutis generis humani, & quadam ratio, & complemontum poſt Filium ſuum omnium quæ facta ſunt, & quæ futura ſunt*. Audio ipſos primos Mundi parentes ſic Deiparam Sanctiſſimam alloquentes apud Damaſcenum ſ. 2. de dorm. Virg. *Tu Sanguis noſter o Beata Filia noſtrum ſoluiſti nefas: Tu fragile ex nobis ſortita corpus mortalitatis immortale nobis peperiſti medicamentum: Tu ex noſtris eſſe lumbis accipiens, bene eſſe retuliſti, mortis leges, dolorum ſeries variorũ euertiſti. Otium nobis priſtinum reſtituiſti. Nos Cæli ianuas clauſimus: Tu reſeraſti. Per nos*

luctuoſa

luctuoſa ex nobis Mundo ſunt orta: per Te verò ex luctuoſis aurea ſacula redierunt. Quid nobilius concludam breui, ſed ambroſiam ſtellante Cæleſti Elogio S. Ambroſij l. 2. de Virg. *Dei Matre? quid ſplendidius ea, quam ipſe ſplendor elegit?* & quidem candor lucis ęternę, cuius nomen, oriens, qui lux Mundi eſt. Eam itaque non quia tantum teſte S. Bern. ſ. in ſig. mag. *eſt Cælitus repromiſſa, myſticis præfigurata miraculis, oraculis annunciata propheticis, ſed quia eſt,* vt docet And. Hieroſ. or. in ſalut. Angel. *ornamentum Prophetarum, & Patriarcharum omnium,* omnes IESV Chriſti progenitores, & omnes generationes Beatam dicant, plenoque choragio ſalutent ijs verbis, quibus Summus Pontifex, Bethuliæ plebs, & Patres Hebræam Amazonem victricem, ac triumphalem inter plauſus, & epinicia exceperunt. *Tu gloria Hieruſalem: Tu lætitia Iſrael: Tu honorificentia populi noſtri.*



IOACHI-

IOACHIMVS, ET ANNA
Sanctiſſimi Parentes.
AVSPICIA.

ELOG. III.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini. Eccleſ. 24.
Opus enim grande eſt; neque enim homini preparatur habitatio, ſed Domino Deo. 2. Paral. 9.

Ex IOACHIMO, & ANNA
MARIAM auſpicor.
Amor diuinus in hoc auſpicio,
dexterum Alitem agit.
Retorto non indiget lituo
inflexilis veritatis rectus interpres.
Onomantia mendax eſſe non poteſt
e nomenclatura diuina.
A IOACHIMO præparatione Domini:
ab ANNA gratia
quid aliud præter MARIAM
auſpicatò expectemus
præparationem gratiæ Domini?
Vtcunque tamen MARIAM
IOACHIMVS, & ANNA
ſuo nomine
magis illos ſuo numine
MARIA conſecrauit.
VERBVM edidit
ſupra omnem nominum Sanctitatem.
Auſpicem MARIÆ etiam agnoſco
vtriuſque parentis patriam.

IOA-

luctuoſa ex nobis Mundo ſunt orta: per Te verò ex luctuoſis aurea ſecula redierunt. Quid nobilius concludam breui, ſed ambroſiam ſtellante Cæleſti Elogio S. Ambroſij l. 2. de Virg. *Dei Matre? quid ſplendidius ea, quam ipſe ſplendor elegit?* & quidem candor lucis ęternę, cuius nomen, oriens, qui lux Mundi eſt. Eam itaque non quia tantum teſte S. Bern. ſ. in ſig. mag. *eſt Cælitus repromiſſa, myſticis præfigurata miraculis, oraculis annunciata propheticis, ſed quia eſt,* vt docet And. Hieroſ. or. in ſalut. Angel. *ornamentum Prophetarum, & Patriarcharum omnium,* omnes IESV Chriſti progenitores, & omnes generationes Beatam dicant, plenoque choragio ſalutent ijs verbis, quibus Summus Pontifex, Bethulię plebs, & Patres Hebræam Amazonem victricem, ac triumphalem inter plauſus, & epinicia, exceperunt. *Tu gloria Hieruſalem: Tu lætitia Iſrael: Tu honorificentia populi noſtri.*

IOACHI-

IOACHIMVS, ET ANNA
Sanctiſſimi Parentes.
AVSPICIA.

ELOG. III.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini. Eccleſ. 24. *Opus enim grande eſt; neque enim homini præparatur habitatio, ſed Domino Deo.* 2. Paral. 9.

Ex IOACHIMO, & ANNA
MARIAM auſpicor.
Amor diuinus in hoc auſpicio;
dexterum Alitem agit.
Retorto non indiget lituo
inflexilis veritatis rectus interpres.
Onomantia mendax eſſe non poteſt
e nomenclatura diuina.
A IOACHIMO præparatione Domini:
ab ANNA gratia
quid aliud præter MARIAM
auſpicatò expectemus
præparationem gratiæ Domini?
Vtcunque tamen MARIAM
IOACHIMVS, & ANNA
ſuo nomine
magis illos ſuo numine
MARIA conſecrauit.
VERBVM edidit
ſupra omnem nominum Sanctitatem.
Auſpicem MARIÆ etiam agnoſco
vtriuſque parentis patriam.

IOA-

luctuoſa ex nobis Mundo ſunt orta: per Te verò ex luctuoſis aurea ſæcula redierunt. Quid nobilius concludam breui, ſed ambroſiam ſtellante Cæleſti Elogio S. Ambroſij l. 2. de Virg. *Dei Matre? quid ſplendidius ea, quam ipſe ſplendor elegit?*& quidem candor lucis ęternę, cuius nomen, oriens, qui lux Mundi eſt. Eam itaque non quia tantum teſte S. Bern. ſ. in ſig. mag. *eſt Cælitus repromiſſa, myſticis præfigurata miraculis, oraculis annunciata propheticis, ſed quia eſt*, vt docet And. Hieroſ. or. in ſalut. Angel. *ornamentum Prophetarum, & Patriarcharum omnium*, omnes IESV Chriſti progenitores, & omnes generationes Beatam dicant, plenoque choragio ſalutent ijs verbis, quibus Summus Pontifex, Bethuliç plebs, & Patres Hebræam Amazonem victricem, ac triumphalem inter plauſus, & epinicia exceperunt. *Tu gloria Hieruſalem: Tu lætitia Iſrael: Tu honorificentia populi noſtri.*

IOACHI-

IOACHIMVS, ET ANNA
Sanctiſſimi Parentes.
AVSPICIA.

ELOG. III.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini. Eccleſ. 24.
Opus enim grande eſt; neque enim homini præparatur habitatio, ſed Domino Deo. 2. Paral. 9.

Ex IOACHIMO, & ANNA
MARIAM auſpicor.
Amor diuinus in hoc auſpicio;
dexterum Alitem agit.
Retorto non indiget lituo
inflexilis veritatis rectus interpres.
Onomantia mendax eſſe non poteſt
e nomenclatura diuina.
A IOACHIMO præparatione Domini:
ab ANNA gratia
quid aliud præter MARIAM
auſpicatò expectemus
præparationem gratiæ Domini?
Vtcunque tamen MARIAM
IOACHIMVS, & ANNA
ſuo nomine
magis illos ſuo numine
MARIA conſecrauit.
VERBVM edidit
ſupra omnem nominum Sanctitatem.
Auſpicem MARIÆ etiam agnoſco
vtriuſque parentis patriam.

IOA-

luctuoſa ex nobis Mundo ſunt orta: per Te verò ex luctuoſis aurea ſæcula redierunt. Quid nobilius concludam breui, ſed ambroſiam ſtellante Cæleſti Elogio S. Ambroſij l. 2. de Virg. *Dei Matre? quid ſplendidius ea, quam ipſe ſplendor elegit?* & quidem candor lucis ęternę, cuius nomen, oriens, qui lux Mundi eſt. Eam itaque non quia tantum teſte S. Bern. ſ. in ſig. mag. *eſt Cælitus repromiſſa, myſticis præfigurata miraculis, oraculis annunciata propheticis, ſed quia eſt*, vt docet And. Hieroſ. or. in ſalut. Angel. *ornamentum Prophetarum, & Patriarcharum omnium*, omnes IESV Chriſti progenitores, & omnes generationes Beatam dicant, plenoque choragio ſalutent ijs verbis, quibus Summus Pontifex, Bethulię plebs, & Patres Hebræam Amazonem victricem, ac triumphalem inter plauſus, & epinicia exceperunt. *Tu gloria Hieruſalem: Tu lætitia Iſrael: Tu honorificentia populi noſtri.*



IOACHI-

IOACHIMVS, ET ANNA
Sanctiſſimi Parentes.
AVSPICIA.

ELOG. III.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini. Eccleſ. 24.
Opus enim grande eſt; neque enim homini preparatur habitatio, ſed Domino Deo. 2. Paral. 9.

Ex IOACHIMO, & ANNA
MARIAM auſpicor.
Amor diuinus in hoc auſpicio;
dexterum Alitem agit.
Retorto non indiget lituo
inflexilis veritatis rectus interpres.
Onomantia mendax eſſe non poteſt
e nomenclatura diuina.
A IOACHIMO præparatione Domini:
ab ANNA gratia
quid aliud præter MARIAM
auſpicatò expectemus
præparationem gratiæ Domini?
Vtcunque tamen MARIAM
IOACHIMVS, & ANNA
ſuo nomine
magis illos ſuo numine
MARIA conſecrauit.
VERBVM edidit
ſupra omnem nominum Sanctitatem.
Auſpicem MARIÆ etiam agnoſco
vtriuſque parentis patriam.

IOA-

his. Ab eodem Epiph. or. de laud. Deip. dicitur *liber incomprehenſus, qui Verbum Patris Mundo legendum exhibuit*: ab And. Cret. or. de Aſſ. *liber verè viuus Verbi paterni tacitè inſcripti viuifico calamo Spiritus*: a S.Io.Damaſc. or.2.de Aſſ. *liber nouus in quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam inſcriptus eſt.* Auorum B. Virg. nomina recenſet Maſſellus l.1.vitæ Deip.c.8.,eorumque ſignificationẽ ad virtutes IOACHIMI, & ANNAE traducit,ſed excellẽtiori modo in ipſiusDeip. Sanctiſſimæ Virtutes cadunt. Hoc egregiè præſtitit Hugo de S. Vict. ſ. 34. his verbis. *Quid enim fuit innocentia Ioſeph, manſuetudo Moyſis, fortitudo Ioſue, charitas Samuelis, humilitas Dauid, zelus Eliæ, abſtinentia Danielis, eximia Sanctitas Io. Baptiſtæ, aliorumque virtutes in comparatione B. Mariæ! B. igitur Virgo verè aurora clariſſima fuit, quæ ſub magnifico iubare omnium præcedentium Patrum claritatem minorauit*. Omnes igitur Sanctiſſimi Progenitores, & alij Patres veluti nocturnæ faces huic æterni Solis auroræ proludunt. Sed ipſa quoque MARIA in alio ſenſu vmbra Adami, & Euæ nimirum protectrix, omniumque ſuorum Progenitorum,demonſtratur apud Nouarinum in vmb. Virg. l. 4. exc. 57. Ibi ex magno Doctore Ambroſio, & S. Bernardino ſ. 4. p. 2. dicit Adamum, & Euam annihilandos, niſi B. Virgo in eorum lumbis fuiſſet, Deum ob illius amorem præſeruaſſe Noe de diluuio, Abraham de cæde Regum, Iſaac de Iſmael, Iacob de Eſau, populum Iudaicum de manu Pharaonis &c. Omnia Marianæ nobilitatis capita complectitur Bartholom.Piſanus in ſuo

Mar. his verbis. *E Virgo orta eſt primò de multis Patribus Veteris teſtamenti maximè a decimo nono incipiendo ab Adam vſque ad Thare, ſecundo, de Patriarchis, tertio de Principibus, quarto de Iudicibus, quinto de Regibus, ſexto de Ducibus, ſeptimo de Viris ſtrenuis & fortibus, octauo de Sacerdotibus & Summis Pontificibus, nono de populi Rectoribus, decimo de cultoribus Dei, & iuſtis parentibus.* Sed reuera longè nobilior eſt MARIA, quia Meter Regis Regum, quam quia Regum filia. Ex auitis Imperatoribus, Regibus, & Heroibns DEIPARA Virgo auguſtum regium, & heroicum ſplendorem traxerit; maiorem tamen contulit, cum diuinum de ſuo dedit in diuina ſobole. MARIÆ Genealogia paradoxum eſt, nam cum totius Mundi hiſtoria ſit vnico tamen VERBO explicatur quod ipſa edidit. Hinc iure dicitur a D. Bernardo *benedicti ſeminis Auguſta parens* a S. Greg. 7. l. 8. ep. 22. *nobilitas omnium Electorum* a S. Io. Damaſc. or. 1. de Aſſ. *ornamentum generis humani*, & a Rich. l. 2. p. 1. *omnium complementum* his verbis. *Ipſa eſt enim cauſa ſalutis generis humani, & quedam ratio, & complemontum poſt Filium ſuum omnium quæ facta ſunt, & quæ futura ſunt.* Audio ipſos primos Mundi parentes ſic Deiparam Sanctiſſimam alloquentes apud Damaſcenum ſ. 2. de dorm. Virg. *Tu Sanguis noſter o Beata Filia noſtrum ſoluiſti nefas: Tu fragile ex nobis ſortita corpus mortalitatis immortale nobis peperiſti medicamentum: Tu ex noſtris eſſe lumbis accipiens, bene eſſe retuliſti, mortis leges, dolorum ſeries variorũ euertiſti. Otium nobis priſtinum reſtituiſti. Nos Cæli ianuas clauſimus: Tu reſeraſti. Per nos*

luctuoſa

IOACHIMVS, ET ANNA
Sanctiſſimi Parentes.
AVSPICIA.
ELOG. III.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini. Eccleſ.24. *Opus enim grande eſt; neque enim homini præparatur habitatio, ſed Domino Deo.* 1. Paral. 9.

Ex IOACHIMO, & ANNA
MARIAM auſpicor.
Amor diuinus in hoc auſpicio,
dexterum Alitem agit.
Retorto non indiget lituo
inflexilis veritatis rectus interpres.
Onomantia mendax eſſe non poteſt
e nomenclatura diuina.
A IOACHIMO præparatione Domini:
ab ANNA gratia
quid aliud præter MARIAM
auſpicatò expectemus
præparationem gratiæ Domini?
Vtcunque tamen MARIAM
IOACHIMVS, & ANNA
ſuo nomine
magis illos ſuo numine
MARIA conſecrauit.
VERBVM edidit
ſupra omnem nominum Sanctitatem.
Auſpicem MARIÆ etiam agnoſco
vtriuſque parentis patriam.

IOA-

MARIÆ Deum,
Deo homines!
Ita ſterileſcente natura ex vtero gratiæ
orbis delicium
lachrymis conceptum naſci potuit.
Addiderunt aqueis lachrymis igneas preces
innocentibus flammis e pluuio nimbo
in Cælum tonantes.
Hoc ſolum terreſtre meteoron
vim habet in Cælo.
Iunxerunt deinde preces,
vt athleticas redderent
Sacro quadraginta dierum ieiunio:
Ieiunas preces robuſtius cum Deo luctari
Miraculum eſt, ſed Solemne.
E Sacris pænitentiæ cineribus
erat naſciturus mortalium fænix.
In parentum vota annuens
Cælum inclinatur.
Eo inclinato Filiæ ſinum
ipſe Deus poſtea ſubijt.
Nihil in MARIAM dominij
terrena habuerunt:
ſuit terris a Cælo precariò conceſſa.
Et iure oratione magna Virgo concipitur,
ſolo Dei ſermone maritanda,
maiori prodigio VERBI Mater,
quam filia orationis.
Vtriuſque deinde parentis vnigenita hæres
DEI-HOMINIS futura parens,
humanum imperium
ex IOACHIMI patrimonio habuit,
diuinam ex ANNÆ dote religionem.
Nec factis pretium detrahitur,
quia faſtis inſcribuntur.

fere

ſere ſola IOACHIMI, & ANNÆ nomina.
Accuſarem ſilentij iure hiſtorias,
ſi dicenda ſiluiſſent.
Mediocrem laudem occupat,
quod laudari poteſt,
Et humanum ſapit:
Summæ virtutes ad Deum accedunt,
& more Numinis ſilentio adorantur.
Suſpende his oculum cum animo lector:
hoc modo prodigia leguntur.
Si in IOACHIMO, & ANNA
MARIAM veneraris
venerare etiam IOACHIMVM, & ANNAM
in MARIA.
Vbi metam omnium attigit
NON PLVS VLTRA
etiam inuenit ipſa nobilitas.
a IESV in MARIAM
a MARIA in IOACHIMVM, & ANNAM
regredi neceſſe fuit.
Minora ſidera ab ortu radiant in occaſum:
planeta Princeps ab occaſu in ortum.
Sol Empyrei IESVS poſt MARIAM
in coniunctione illuſtratam,
propiori aſpectu
IOACHIMVM, & ANNAM illuminat.

De radice Ieſſe ortus eſt Rex Dauid, & de Tribu Dauid Sancta Virgo; Sancta inquam, & Sanctorum Virorum Filia, cuius parentes fuerunt Ioachim, & Anna. Et paulò poſt. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini &c. Anna rurſus ſimiliter gratia interpretatur. S. Io. Damaſ. or. 1. de nat. B. V.

Meritò huius Sanctæ Virginis multum adeò laudandi

laudandi ſunt, & extollendi Sanctiſſimi Procreatores, qui in cunctis inſtitutionibus tantos, ac tales ſe præſtiterunt, vt non immeritò de eorum ſtirpe prodiret talis ſucceſſio, quæ fieret, & priſcis ætatibus, & ſubſequentibus exemplum totius bonitatis. Fulbertus ſ. de ortu almæ Virg.

De SS. Parentibus IOACHIMO, & ANNA.

CAP. III.

EOdem iure, ac titulo, quo Parentes in Sobole maxima, in magnis Parentibus ſobolem laudamus, vnde IOACHIMVM, & ANNAM in MARIA veneraturi, iam nunc in IOACHIMO, & ANNA MARIAM veneramur. Hi feliciſſimi, ac Sanctiſſimi Parentes e Sereniſſimo Genere, Abrahamici Cæli primæ magnitudinis aſtra, Regiam, ac Sacerdotalem lineam vſque ad centrum decorũ omnium MARIAM deduxerunt, IESV Chriſti gemina vnctione Sacerdotis magni, ac Regis Matrem. Ortus eſt S. IOACHIMVS S. Barpantheris Filius S. MARIÆ Deiparæ Pater, S. ANNÆ, quam Supparem fere annis, & Synchronam conijcere poſſumus. S. IOSEPHI Patruelis ſecundus, IESV Chriſti Auus, anno Mundi 3990. ſextæ ætatis 475. Hyrcani 11. Pontificis 12. Ptolemæi Auletis 17. Olympiadis 179. primo, vrbis conditæ 689. belli mithridatici 69. ante Meſſiæ ortum 63. Coſſ. Lucio Iulio Cæſare, & C. Mario Figulo. Suis

aureis

aureis moribus ferreo ſeculo ſplendorem contulit, & pretium fecit, nec Iudæam tantum, ſed orbem terrarum ſimul cum Coniuge Sanctiſſima ſuis virtutibus conſecrauit. Aureos ſiquidem Soles non auri, ſed innocentiæ fulgor accendit. Ab auro potius ferrea cuditur ætas; ad illud enim non niſi ferro itur per viſcera Matris. Nec mirum eſt ab adulto tot ſcelera patrari, vbi in telluris parricidio vipereum metallum naſcitur. Vtriuſque fortunatiſſimi Coniugis patria, & nomen viſa ſunt auſpicia magnæ Prolis. Vtriuſque preces, lachrymæ, ieiunia, vota, & omnigena pietas Cælo in terras inclinato, magnam puppulam MARIAM impetrarunt, quæ ſua humilitate Altiſſimum ederet, illudque æternum VERBVM faceret, quod a nullo mortalium dici poteſt. A IOACHIMO Nazareno, & ANNA Bethlemitide quid aliud expectari poterat præter florentiſſima in Filia Deipara, Nazaræi diuini Nepotis auſpicia, *Beatam ſpem, & aduentum Magni Dei?* Expugnato Cælo a Sanctiſſimis Coniugibus in patria florum Nazareth, aperta eſt etiam terra, vt Ieſſæam Virgam proferret, quæ per ſummam hyemem maturata felicitate in Bethlemica rupe germinaret Saluatorem, pulcherrimum campi florem, *& deſiderium collium æternorum*. IOACHIMI, & ANNÆ nomina *præparationem Domini, & gratiam* ſonantia oracula dicenda potius ſunt, quam nomina, nam onomatopeia veraci factis glorioſiora, quam faſtis illam nunciarunt, in qua *grande opus* præparabatur a gratia, *habitatio* nimirum *Deo, non homini*. Sed quid ego auſpicia nominum ſequor? Nulla verior di-

uinatio

uinatio eſt, quam quæ ex diuinis hominum moribus habetur. Licebat etiam ex anonymis parentibus MARIAM auſpicari, Summa Sanctitas naſci debebat ex omnium connubio virtutum. Illuſtrius itaque Cæleſtis familiæ, multarum Gentium Patri Abrahamo promiſſa ſidera vita, quam nomine Sereniſſimam prædixerunt ſalutis Auroram. Diei nimirum fere ſemper habemus prophetidem noctem, & ſtellas augures poſthumi Solis. IOACHIMI, & ANNAE longæ ſterilitati debebatur fæcunda virginitas in Virgine Filia, Dei Matre. Debebatur etiam diutinis viginti annorum precibus, in magna prole æternum VERBVM: Sacrificijs, diuina, pro hominum vita, hoſtia: lachrymis Empyrei gaudium: votis ille deſideratus cunctis gentibus omnium amor: ieiunijs Angelorum Panis in Bethlemi de ſpelunca domo Panis, primùm orbi terrarum exhibendus. Enixura annoſa ſterilitas Gigantæum inter homines partum, vicennium parturijt, ſed ſpem longè ſuperauit euentus, nam diuturna quadrilustri meditatione magnam prolis Ideam concipiens, maiorem tamen vidit vtero claudi, quam mente. Illuſtriſſimum aurum ex commuui Matre infæcundi pariunt Peruuiæ Montes. Nobiliſſimæ ſplendore ſuæ proſapiæ gemmæ inter infrugiferas Gangis arenas gignuntur. Inter ſteriles algas procellis obſtetricantibus in Reges lapidum purpurata coralia naſcuntur. Ipſe Mundus ſterilitatis partus fuit, cum eductus e ſterili Chao. Amantioris tamen omnipotentiæ fuit MARIAM ex nihilo ſterilitatis, quam Mundum educere ex ſterilitate nihili. Admirabilis

etiam illa pietas, qua Magni Coniuges, & caſtiſſimi aſſem ſuum adhuc viui trifariam diuidentes partem Deo in templo, partem bono publico aliorum hominum, partem honeſtiſſimis ſuis vſibus impendebant, Deum in tanta familia poſcebat hæredem. Incrementa habuerunt preces ex lachrymis, ex votis lachrymæ. Inter preces Deipara anticipata parentum ſolutione, ipſos antequam eſſet, conſecrauit. Non aliter naſci debuit ANNAE gratiæ nimirum Filia, quam ex conceptu precum, ſponſione votorum, puerperio lachrymarum. Futura tamen erat IESV Mater, maior parens gratiæ, quam partus. In Cæleſti Curia gemitus oratores nullā non cauſam feliciter perorant. Poſt MARIAM terris e Cælo impetratam, quid vnquam precibus negari poterit? Nunquam exile eſt præmium magnarum precum. IOACHIMVM dixiſſes & ANNAM geminum amoris æthnam, vt Cælum expugnarent in pelago doloris ardens pectus euiſceraſſe. Nec auſpicia generis in IOACHIMO, & ANNA defuerunt, quæ MARIAM tacitè loquerentur. Regum Nepotes, & Sacerdotum omni Sacro, & prophano iure magnā prolem auſpicantur. Vt Dominam rerum omnium Sanctiſſimam conciperent cum coniugio Iudæorum Sacerdotia copulantur, & Regna. Non aliter naſceretur, ſi Sanctitas cum imperio naſceretur. Ex maternis Infulis, paternoque ſceptro monſtrum expectandum eſt: nobilis pietatis, piæ nobilitatis MARIA prodigium. Affuit itaque legatus e Cælo, ille idem corporatæ Diuinitatis, & virginei partus nuncius Archangelus Gabriel, cum Cæleſtibus pro-

miſſis,

miſſis, & certò magnæ prolis oraculo; qua vnica recreatum ſterile vtriuſque ſenium potuit non populos tantum filiorum, ſed reliquam totam Adami protoparentis poſteritatem poſthabere. Summa felicitas fuit parentes Filiæ dici, quæ Deum Nepotem pareret, & IESV Chriſti Auos inter Minores maximum numerare, quem poſt breuem in ſinu Abrahæ moram triumphantem rediuiuum ad Cæleſte capitolium ſequerentur, ipſi quoque æternum Victores, ac triumphales. Hac felicitate e IOACHIMI & ANNAE terra ſterili, vacua, & inani ad Mundi totius delicium germinauit Paradiſus voluptatis; preces conceperunt, ac pepererunt VERBI parentem: Sacrificia homini Deum æternũ placarunt: inuentus eſt in Mari lachrymarum portus felicitatis: ieiunijs Cæleſtium Conuiuiorum fuit empta ſatietas, & votis infinitæ beatitatis immenſitas impetrata. Nemo tamen miretur de IOACHIMO, & ANNA Sacras litteras ſiluiſſe. Siluerunt fortaſſe, vt nobis ſemper loquentibus in eorum commendatione nullum ſeculũ mutum eſſet, veræque, ac nouæ in dies laudes huius etiam decrepiti Mundi infelix ſenium recrearent. Magna humilitas fuit, quæ potuit tam grandes animas tegere tot virtutibus illuſtres. Hæc vt homines amare neſciat, amat ab hominibus neſciri. Supra Tubicinis famæ præconia fuere: ſileri debent. Aui HOMINIS DEI Heroes dicendi ſunt non homines. In ſuis diuiſi nominibus IOACHIMVS, & ANNA, vnius nominis in MARIA leguntur. Vt de MARIA omnes loquerentur, anteceſſor etiam totus Orbis ſileatur. Nemo dubitare

poteſt Ciuitatis Dei, de qua glorioſa ſeculis omnibus vbique locorum dicta ſunt, cuius Plateæ aureæ ſunt, ſapphyrinum illuminatum aſtris pauimentum, ipſa quoque fundamenta gemmaſcere. Omnis IOACHIMI, & ANNAE laus VERBO Infante concluditur, in quod nobilis linea cadens, in infinito centrum inuenit, & in hoc vno puncto infinitam panegyrim



ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de SS. Ioachimo, & Anna.

SYNOPSIS.

1 Etymologia nominum IOACHIMI & ANNAE. 2. Origo. 3. Sterilitas, & impetratio prolis. 4. Conceptio, & generatio prodigioſa. 5. Conditio. 6. Omnigena pietas. 7. Et laus præſertim a Filia in Dei Matrem electa.

Etymologia nominum Ioachimi, & Annæ.

I.

IOACHIMVM & ANNAM Sanctiſſimę Dei Genitricis parentes, eorumque nomen magnis laudibus celebrat in illuſtri orat. de laud. Virg. S. Epiph. quæ extat to. 7. Bibli. SS. Patrum. *Huius* inquit *parentes fuerunt Ioachim, & Anna, qui quidem in vita ſua Deo placuerunt, atque etiam fructum huiuſmodi germinarunt, Sanctam Virginem Matrem, templum ſimul, & Matrem Dei. Ioachim porrò & Anna & Maria, hi tres Trinitati palam Sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo. Anna rurſus ſimiliter gratia interpretatur propterea quod Ioachim, & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talem fructum germinarent Sanctam Virginem adepti. Ioachim ſiquidem precabatur in Monte, Anna in horto ſuo.* Similia his habet non ſolum idem Epiph hær. 70. aduerſus Collyrid. ſed And. Cret. S. German. Conſtant. S. Greg. Myſſ. in natali Dom.

 & alij

& alij præſertim S. Io. Damaſc. de fide orthod. l. 4. c. 15.

Origo.

II.

DE Sancti IOACHIMI gentilitate iam ſatis, ſuperque diximus. De Sancta ANNA Dei Genitricis Matre hæc habet Hyppol. Martyr apud Nicephor. l. 2. c. 3. *Tres fuere Sorores Bethlemiticæ filiæ Mathan Sacerdotis, & Mariæ coniugis eius, ſub Cleopatra, & Caſoparis Perſæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum. Prima Maria, ſecunda Sobe, tertia Anna nomen erat. Nupſit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomem obſtetricem. Nupſit quoque ſecunda ibidem in Bethleem Sobe, & genuit Elizabeth. Poſtremo nupſit & tertia Anna in terra Galilea, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis Chriſtus natus eſt.* S. ANNAM fuiſſe ex genere Sacerdotali de Tribu Aaron, & radice Prophetica domus Dauidicæ affirmat S. Germ. Conſt. apud odoricum Rinaldum in appar. n. 40.

Sterilitas & impetratio prolis.

III.

MARIAM Deiparam ex ANNA ſterili, & Patre iam ſene prodijſſe teſtantur ferè omnes Scriptores Eccleſiaſtici. Vnde ſenio repubeſcente, & ſterilitate nouam ſobolem enitente gemino miraculo natura ſuperata eſt & Sanctiſſimorum Coniugum virtus coronata. B. Virgo ait Chriſtophorus a Caſtro in hiſt. Deip. c. 2 *procreata fuit prope annum ſexageſimum ſuorum parentum*; & videtur hauſiſſe ex D. Hieron. ſiue vero, ſiue putato, de ortu

Virg.

Virg. Hoc elegantiſſimè exprimit aureis verbis S. Pe. Chryſolog. ſer. 91. *Partus* inquit *non ablatus eſt, ſed dilatus donec tranſiret tempus carnis, paſſio Corporis, coniugij neceſſitas, voluptatis cauſa, cupiditas ſenſus, & totum quod humanam confundit, onerat, grauat conſcientiam. Mundabatur longo tempore domus, Sanctitatis hoſpitium &c. mundabatur longo tempore aula Spiritus Sancti, Chriſti domus, ac templum Dei Patris*. At cur ex ſterilibus Deus voluit B. Virginem procreari? *Vt eſſet* inquit Io. Damaſc. loco iam alleg. *filia gratiæ, & non naturæ*. Eadem ferè ratio redditur a ſupra relato Pe. Chryſol. ſ. 91. quando ait *Probatur maior homine, quæ in ortu ſuo excedit legem natiuitatis humanæ*. De S. Io. Baptiſta ex ſterilibus parentibus orto idem Pe. Chryſ. ſ. 89. ad eos alludens dicit. *In illis parabatur, vnde tota Sanctitas naſceretur &c. & ibidem, In vno fætu naſcebatur numeroſitas congeſta virtutum &c. Sterilitas iſta non erat maledicta, ſed myſtica, non erat negata pignori, ſed ſeruata myſterio*. Hæc de Præcurſore dicta iure optimo in Matrem cadunt, de qua idem ſ. 92. aureum illud dictũ protulit. *Miratur natura, & ex apparatu manſionis hoſpitis meritũ, & dignitas innoteſcit*.

3 Emiſiſſe votum dicandi Deo prolem, quam ſuſcepiſſent IOACHIMVM & ANNAM teſtantur inter Veteres S. Greg. Nyſſ. in or. de nat. Mar. ac Niceph. l. 1. c. 17 & inter recentiores Caniſius l. 1. ſui Mar. c. 12. & Pe. Morales l. 1. tract. 6. exorata fuit a Deo peculiari Sancti Spiritus inſtinctu magna Deip. Virg. proles, & prodigioſè ſuſcepta, tum quia IOACHIMVS & ANNA, vt docent cum S.

Epiph. in laud. Virg. S. Germ. Conſt. or. de præſent. And. Cret. or. 1. de Aſſ. ſenes erant, & ad gignendos filios inepti propter ætatis granditatem, tum quia ſteriles vt notat liber de ortu Virg. Sancto Hieronymo adſcriptus, & Simon de Caſſia l. 2. in Euang. c. 1. Iure ergo S. Io. Damaſc. or. 3. de nat. hæc habet. *Meritò Vir diuinus Ioachim, & Anna eius vxor diuina prouidentia vocati, orationis fructum perceperunt hanc inquam Reginam &c.* vnde eodem titulo quo Io. Baptiſta a Pe. Chryſ. dicitur *Filius Orationis*, B. Virgo *filia Orationis* apellari debet, imo potiori titulo, ac iure. Addidiſſe precibus ieiunia S. Germanus, qui ſupra teſtis eſt: adiunxiſſe ieiunijs eleemoſinas cõfirmat hiſt. de ortu Virg. S. Hieron. adſcripta, vnde tenuem, ac mediocrem Regiæ alioquin familiæ cenſum trifariam diuiſum partim diuino templo, Deique Miniſtris alendis dicabant, partim egenis erogabant, partim honeſto vſui reſeruabant. Cumulaſſe tandem omnia interpoſito voto conſecrandi Deo prolem, quam ſuſcepiſſent præter iam ſupra allegatos Doctores, teſtantur Io. Damaſ. l. 4. de fide c. 15., & ex ipſo Alcorano Dyoniſ. Carthuſ. l. 1. de laud. Deip. a. 5. Sed præcipuè magni beneficij magnes fuit iugis oratio, cui iuxta S. Epiph. iam relatum IOACHIMVS in Monte, & ANNA in horto continenter vacabant. Eadem habent S. Io. Damaſc. ſupra relatus, & Antiochus hom. 107. Ita in ſpem contra ſpem nitentes ſenes, & ſteriles incentore, & impulſore afflatu diuino Sancti Spiritus per longa ieiunia, largas eleemoſinas, ſacra vota, diutinas preces, beatiſſimam prolem impetrarunt,

rũnt, inde ipſi beatiſſimi, nam ſicuti Deus nulli vnquam Angelorum præter IESVM Chriſtum dicere potuit Filius meus es Tu, ita nulli præter IOACHIMVM & ANNAM dicere potuit Auus meus es Tu, Auia mea es Tu. Adieciſſe precibus etiam gemitus Sanctos B. V. parentes cum prolem a Deo exorarent, probat illa S. Io. Damaſc. apoſtrophe or. 1. de natiu. Virg. *Caſtiſſimum ratione praditarum Turturum par Ioachim, & Anna!* Obtuliſſe diebus feſtis duplò maiora alijs Sacrificia IOACHIMVM, & ANNAM affirmat S. Euſtatius in exam. Eorum etiam quadraginta dierũ ieiuniũ commendat.

Conceptio, & generatio prodigioſa.

IV.

IMpetratam diuinitus prolem Angelum SS. Parentibus nunciaſſe auctor eſt. Hieron. in hiſt. de ortu Virg. & S. Euſtatius ſupra relatus. Addit Pantaleon Diaconus apud Metaph. hunc Angelum non alium fuiſſe, quam Gabrielem Incarn. Diuini Verbi Legatum, confirmatque ſuo ſuffragio S. Birgitta orat. 1. his verbis. *Gloria ſit tibi Domina mea Virgo Maria Mater Dei, qua ab illo Angelo, quo Chriſtus tibi nunciatus fuit, ab eodem etiam Tu Patri, ac Matri tua nunciata fuiſti.* An fuerit B. Virgo concepta a SS. Parentibus abſque vllo motu concupiſcentię in extaſi diuini amoris, & contemplatione Cæleſtium, quod affirmat Dyon. Carthuſ. l. 1. de l. Virg. a. 6. recitans S. Birgittæ reuelationem l. 1. c. 19. & innuere videntur S. Hildeph. ſ. de nat. & Fulbert. ſ. 3. de eadem, cum neque Sacrarum litterarum tabulæ neque SS. Patrum ſuffragia his mi-

raculis adſtipulentur omnino reijciendum eſt. Idem dicendum eſt de ſubita poſt conceptum animatione, ſine vllo Cæli, aſtrorumque concurſu; licet hoc etiam miraculum ſuos patronos habeat. Non indigent nouis miraculis Sanctiſs. Parentes, qui in beata ſua prole *Sacratiſſimum*, *& Cæleſte prodigium* vti apellat Ignatius Antioch. in epiſt. ad Io. Euang. omniumque miraculorum miraculum ediderunt. Impletos fuiſſe Spiritu Sancto IOACHIMVM, & ANNAM poſt conceptam B. V. aſſerit Fulb. Carnot. ſ. de nat. Virg., Angeloſque tum parentum, tum prolis cuſtodiæ addictos veluti prætorianes milites imperatorio Auguſtali adſtantes elegantiſſimè deſcribit his verbis. *Haud dubium eſt, quin vtrunque parentem, viuificus & ardens Spiritus Sanctus ſingulari munere impleuerit, quodque ab eis SS. Angelorum cuſtodia, ſeu viſitatio nunquam abfuerit*. Et paulò poſt. *Quanta putamus præuiſio fuerit SS. Angelorum circa tam Deo gratos parentes ab initio procreationis, & excubatio ſuprà tam ingentem ſobolem?* Ipſa Deipara S. Birgittam ſic alloquuta fuit l. 1. c 9. *Parentes caſtiſſimos habui, nec in actum matrimonij conſenſiſſent, niſi reuelante Angelo*. Ibidem etiam hæc habentur. *Caro mea* (ſic B. V. loquitur) *ex ſemine illorum* (ideſt parentum) *diuina charitate fabricata eſt, & ſtatim inexplicabilis lætitia occupauit Matrem meam*. *Eo modo in actum coniugalem conſenſerunt* inquit Galatin. l. 7. c 8. *Ioachimus, & Anna quo primi parentes, ſi ante peccatum in terreſtri Paradiſo illum exercuiſſent*, nimirum vt explicat Bened. Pererius in Gen. q. 1. Sine perturbatione rationis.

Hinc Io. Gerſon dicit ſerm. de conc. Virg. virtutes animam, & corpus formaſſe B. Virginis, & Io. Geometra hymno 3. illã ſalutat *vt Virgineum ex virtutibus ortum, virtutum exemplar viuidum, & eximium.*

Conditio.

V.

ALij circa diuitias ad ſummam tenuitatem S. IOACHIMVM, & S. ANNAM redigunt, alij copioſiſſimos, ac ditiſſimos prædicant. Euſeb. Cæſar. inter paſtores ouium numerat in epiſt. quam ex eo refert Fr. Ximenez l. 2. c. 143. ſed reijcitur ſcitè a Caniſ. l. 1. de Deip. c. 4. Aliqui recentiores, vt inde perperam augeant pretium laudum B. V. locupletiſſimos comminiſcuntur, ſed etiam iſti a Pelbarto l. 7. Stell. p. 2. a. 3. c. 10. a Rich. a S. Laur. l. 4. de laud. Deip. & ab alijs meritò refutantur. Fuerunt, vt docet Pe. Bleſ. ſub initium tract. de peregrin. Hieroſol. iure Hæredes Dauidici regni; at certè non fuerunt poſſeſſione, vnde cum Pe. Dam. ſ. 2. de nat. B. V. mediocrem illis cenſum, & ad tenuitatem accedentem, adſcribendum eſſe cenſeo: Sic ille concludit loquens de B. V. *Ante conſtitutionem Mundi in conſilio æterna Sapientia electa, & praelecta, licet de Regali fuerit ſtirpe progenita nulla tamen humana dignitatis altitudine floruit, nullis rerum temporalium diuitijs abundauit.* Certè Virgenum MARIÆ cum IOSEPHO paupere fabro coniugium, oblatio turturum, ſiue columbarum, non Agni in templo in redemptione Filij, & alia multa, tenuis, ac mediocris patrimonij argumenta ſunt in

IOACHIMI, & ANNAE familia, cujus vnica hæres fuit B. Virgo. Imo hanc vnicam filiam habuiſſe, & reliquo toto tempore IOACHIMVM & ANNAM caſtitatē ſeruaſſe affirmant S. Th. Theophil. Euthym. Caniſius, Ianſenius, Lippomanus, Canus, Suarez, Salmeron, Baronius apud Maſellum in vita B. V. l. 1. c. 2. vnde ex hoc titulo etiam, iure dicit S. Io. Damaſc. or. 1. de dorm. Deip. *illam Sanctis parentibus non ex libidine, ſed munere diuino datā.*

In tenui cenſu non defuit tamen IOACHIMO, & ANNAE ſumma nobilitas. Vtranque tribum Regiam, ac Sacerdotalem ad B. V. nobilitatem conſpiraſſe præter allegatum Germ. Conſtant. tradunt D. Greg. Nazianz. S. Ambroſ. S. Epiph. S. Hilarius, S. Auguſt. D. Th. D. Bonau. Eucherius, Honorius, Cedrenus, Theophil. apud Carthag. tom. 2. de Sacris arc. hom. 1. Erat enim futura Mater illius, qui omni titulo CHRISTVS, Rex, & Sacerdos eſſe debuit. Iſtas Tribus Sacerdotalem, ac Regiam ſæpius iunctas fuiſſe conſtat ex pluribus locis Sacrarum Scripturarum. Illa maximè nobilitas non defuit, quæ eſt ex ſplendore virtutum. *Sola apud Deum nobilitas eſt* inquit S. Hieron. ad Celantium *clarum eſſe virtutibus iuxta illud ſatyrici Poetæ dictum.*

Tota licet veteres exornent vndique ceræ.
Atria; nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus.

Hinc vt notat Mag. Baſil. c. 4. in exam. *extra Paradiſum vir factus eſt, & mulier iuxta Paradiſum, vt ſcias quod non loci, non generis nobilitate, ſed virtute vnuſquiſque gratiam ſibi comparat.*

Omnigena pietas.

VI.

SAnctiſſima parens dicitur S. ANNA per excellentiam omnium ferè Patrum titulo. *S. vero Ioachimus, vir inſignis, & optimus* apellatur a Greg. Myſſeno hom. de hum. Chriſti genealogia. & a Io. Damaſc. orat. 3. de natiu. *Vir Diuinus*. Idem Io. Damaſc. vocat *Annam lectiſſimam, & ſummis laudibus dignam mulierem*. & or. 1. de nat. Virg. ac 3. vtrunque *beatum par coniugum prædicat, & Spirituales Montes dulcedinem ſtillantes*. IOACHIMI, & ANNAE fides, ſpes, charitas, multiplici SS. Patrum elogio commendatur apud Nouarinū in vmb. Virg. excur. 131. 132. 133. His verbis explicat S. Vincet. Ferr. ſ. 2. de nat. Mar. vtriuſque virtutem. *In principio creauit Deus Cœlum & terram ſimul. Iſta ſimultas terræ, & Cœli figurabat ſimultatem coniunctionis matrimonij Ioachim, & Annæ. Ioachim dicitur Cœlum, Anna dicitur terra. Ita toti Mundo terrena quidem concretionis, ſed Cœleſtium virtutum Maria Mundo edita eſt*. Idem ſ. 2. hunc beatiſſimum partum hoſpitalitati parentum attribuit, & in hac cum Abrahamo, & Sara comparat Pet. Bleſ. epiſt. 27., qui ex S. Ambroſ. l. 2. de off. c. 2. pro hoſpitalitatis mercede fructum poſteritatis receperunt. At quibus pietatis ſtudijs Filiam Deiparam impetrarint SS. Parentes egregiè deſcribit S. Germ. Conſt. or. de Virg. præſ. his verbis S. ANNAM loquentem inducens? *Ego cum eſſem ſub die in horto meo oculos in Cœlum tollens pectus autem meum manibus verberans clamaui ad Deum, qui*

eſt in Cælis; meus autem Coniux cum eſſet Solus in Monte, & ieiunaret quadraginta dies eadem a Deo ſupplex petebat. Sic ergo flexus, qui eſt paratus ad miſericordiam, & benignus Dominus amborum precibus, miſit diuinum Angelum prænunciaturum meæ Filiæ conceptionem. IOACHIMI, & ANNAE tum ſanguinis, tum morum nobilitatem celebrat Niceph. l. 1. hiſt. Eccl. c. 7. *Ioachim* inquit, & *Anna parentum erant nomina. Ambo accuratiore iuxta præſcriptum legis vita præſtantes, & clari, nec non primis quibuſque, & ſplendidiſſimis, nobiliſſimiſque genere commemorati.*

Sed illud glorioſiſſimum eſt quod teſtatur S. Birgitta in ſerm. Ang. c. 10. IOACHIMI & ANNAE coniugio nullum ſanctius, nullum vnquam honeſtius fuiſſe. Sic Angelo de Chriſto Domino loquitur. *Dum vniuerſa iuſta, & honeſta coniugia, quæ a primi hominis creatione vſque ad diem nouiſſimum fieri debebant proſpiceret nullum ſimile Ioachim, & Anna coniugio in omni diuina charitate, & honeſtate præuidit, & ideò ei placuit de hoc Sancto Coniugio ſuæ Matris Corpus generari.* Lib. quoque 1. reuel c. 9. ſic ipſa Deipara loquitur. *Filius meus coniugium Patris mei, & Matris tanta caſtitate coniunxit, vt tunc non inueniretur caſtius coniugiū. Vita eorum* inquit Fulb. Carn. ſ. de ortu B. V. *ante Deum, & homines pia erat, & irreprehenſibilis.* Huius excellentiſſimæ Sanctitatis ratio redditur ab eodem Fulb. illis verbis, quæ licet de S. ANNA ſint, in S. etiam IOACHIMVM cadunt. *In vtero Virginis tota diuinitas cum humanitate verſata eſt. Ideò Mater huius Sanctæ ſuperauit omnes Matres, generando eam, quæ*

ſuum

ſuum generaret Creatorem. Et certè omnis excellentia Sanctitatis IOACHIMI & ANNAE, omniſque fons meritorũ, inde eſt, quod electi fuerint MARIAE Deip. parentes, nam in hoc loco argumentum Angelici Doctoris 3. p. q. 27. a. 5. quod B. V. excellentiam, & admirabilem Sanctitatem euincit propter propinquitatem inter Matrem, & filium pro IOACHIMO etiam & ANNA Auo, Auiaque etiam aliquo modo militat. Meritò ergo concludit S. Io. Damaſc. or. 3. de nat. *Vir Diuinus Ioachim, & Anna eius vxor diuina prouidentia vocati precationis fructum perceperunt, hanc in quã Reginã &c.* Ab vtero fuiſſe Sanctos IOACHIMVM, & ANNAM Auendagnus aſſerit f. de S. IOACHIM diſc. 4. & ſubſcribunt Spinellus in Throno Dei c. 18. morales l. 1. in Matth. tract. 6. & alij. Ego non audeo ſine Sacrarum litterarum, aut Sanctorum Patrum teſtimonio hoc magnum illis priuilegium adſcribere, licet patronis ſuis non careat. Illi certi audiendi non ſunt, qui aſſerunt B. Virginem ſine vſu coniugij fuiſſe conceptam, quam fuiſſe multorum ſententiam ſuo tempore ſcribit Pelbartus l. 4. Stell. p. 1. a. 1.

Et laus præſertim a Filia in Dei Matrem electa.

VII.

IPſa IOACHIMI, & ANNAE ſterilitas fæcunda laudũ Mater eſt. *Si* inquit Io. Chryſoſt. hom. 49. in Gen. *conceptus variorum antiquorum ex ſterilibus parentibus referri debent ad conſilium Dei viam aperientis ad fidem myſterij natiuitatis Filij ſui ex Virgine naſcituri id maximè de eius Matre dicendum eſt*. Hoc admirabile

rabile conſilium Dei aperiunt Io. Damaſc. or. 1. de nat. & Germ. Conſt. de eadem, cum dicunt *ideò ortam eſſe ex ſterilibus parentibus B. Virginem, vt per miraculorum gradus ad miraculum omnium maximum aſcenderetur*. Ipſum quoque de IOACHIMO & ANNA Sacrarum litterarum ſilentium laude non vacat. Omniū laudum epitome eſt Deiparæ Virginis parentes fuiſſe. Vnde exclamans ſic eos ſalutat Fulb. Carnot. ſ. 3. de nat. Virg. *O felix Sancta coniugalis Societas, quæ tale, ac tantum ſpecialeque, & ſingulare decus profudit in Orbe!* Io. Baptiſta Nouatus t. 1. c. 2. q. 7. a. 6. IOACHIMI, & ANNAE nomina in Sacris litteris expreſſa nō fuiſſe ait, vt B. Virginis Conceptio non cōmuni modo per contractionem primigeneæ labis facta innoteſceret. Toti tamen ſunt in laudibus Sanctorum parentum Deiparæ Virginis Sancti Patres, alijque ſcriptores Eccleſiaſtici S. Cyprian. l. de laud. Virg. S. Io. Damaſc. 4. de fid. c. 15. or. 1. ac 3. de nat. B. V. S. Greg. Nyſſ. or. de Sancta Chriſti nat. S. Germanus Conſtant. in encomijs Virg. S. Epiph. hær. 78. Fulbert. Carnot. ſ. de nat. Virg. Antiochus hom. 107. quæ habetur t. 7. bibl. PP. col. impr. an. 1618. S. Vinc. Ferr. ſ. de nat. Virg. S. Anton. 1. p. hiſt. t. 4. c. 6. Baron. in appar. ad annal. ſ. 23. & in notis ad Martyr. ad diem 20. Martij & 26. Iulij Pet. Galeſin. in notis ad Martyr. Suarez t. 2. 3. p. d. 4. ſ. 2. Chriſtoph. Caſtro in hiſt. Deip. Pet. Ribad. in vita S. Ioach. & S. Ann. Caniſ. l. 1. de Deip. c. 4. Nouarinus in vmbra Virg. loco iam alleg. Io. Baptiſta Nouatus proximè relatus, Sergius Hagiopolita or. de nat. Mar. Steph.

Binett. in vita S. Ioſephi & alij innumeri. Plures refert, & ſequitur Sebaſt. Barrad. l. 6. in concor. Euang. c. 3. Spinellus in Trono Dei c. 18. & Pe. Mor. tract. 7. His addendi ſunt Petrus Lintrenſis in actus Apoſt. c. 1. Balduinus Iunius in ſuis Chronicis moralibus æt. 5. præter Nicephorum, Euſebium, & alios veteres. Vnde ſtat veritas inconcuſſa, quod B. Virginis verè parentes fuerint Sancti IOACHIMVS, & ANNA contra Centuriatores Magdeburgentes, contra quos acerrimè pugnat magnus hæreticorum hoſtis Caniſ. lib. 1. ſui Marial. c. 14. Quia tamen tota B. Virginis nobilitas deriuari debebat a diuina prole non ab humanis parētibus, propterea, putat Ambr. Cathar. fuiſſe magnum diuinæ prouidentiæ conſilium quod IOACHIMI, & ANNAE nomina Sacræ litteræ præterierint. Nobis tamen nefas erat in hac vitæ Marianæ deſcriptione illaudata parentum nomina præterire. iuxta S. Ambroſ. dictum lib. 1. in Lucam *Non enim inquit ſolum mores in ijs, qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari, vt veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas ijs, quos volumus laudare, præcellat.* De S. IOACHIMO, & ANNA illud Ezechiel. c. 3. aliqui interpretantur. *Hæc eſt lex domus in ſummitate Montis: omnis finis eius in circuitu Sanctum Sanctorum eſt.* Alia etiam verba Iſ. 55. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus Mons Domini in vertice Montium, & eleuabitur ſuper colles* de B. Virgine intelligit S. Greg. in 1. Reg. c. 1. & fortaſſe alluditur ad nomina IOACHIMI, & ANNAE parentum, quorum alterum *præparationem Domini*, alterum *gratiam* ſonat.

ſonat. *Omnipotentis Dei gazophilacium* dicitur S. Anna apud Sanctam Birgittam in ſer. Angelico c. 10. *quia theſaurum ſuper omnia Deo amabilem recondebat*, vnde ſubditur: *O quam prope erat iugiter cor Dei huic theſauro, qui poſtea in Euangelio dixit vbi eſt theſaurus tuus ibi eſt, & cor tuum*. Iure ergo in laudem S. Annæ Rodulphus Agricola tetraſticho illo eleganti ludit.

Conſpicuos præſtant alios benefacta parentum:
Tu contra Nata nobilitate nites.
Magna quidem, meritiſque tuis, pietate, fideque
Quis neget? at Nata hæc ſplendidiora facit.

Illam quoque pius Poeta hac ſtrophe alloquitur:

Salue parens Sanctiſſima
Sacro Beata Coniuge,
Sacratiore Filia,
Nepote Sacratiſſimo.

Aliæ Matres dote prius diuites ſunt quam prole; at Sanctiſſima Dei genitricis parens dotem maximam, ac ditiſſimam in prole habuit. Vnde vbi dixerat Fulb. Carnot. loco ſupra relato *Felix partus de cuius ſubſtantia aſſumpta eſt talis Virgo, quæ orbem concuſſum releuaret*, hæc etiam habet. *Tali dote donata es ò Anna, quæ nulla ante te, vel poſt meruit antecelli*. Hæc omnia ſecundum aliquam proportionem in Sanctum IOACHIMVM cadere poſſunt;

At reuera totus veſtræ domus ſplendor, Sanctiſſimi Dei genitricis parentes non eſt gentilitia ab orbe condito maiorum veſtrorũ nobilitas, ſed Filia Deipara, & Deus nepos. Vnde iure occinit pius ille Poeta apud Theophil.

phil. Raynaudum in Diſp. Marianis parte 1. punto 1. imò totus Orbis ſic rerum Dominæ Hoc hymni fragmẽto ęternis cantibus plaudit.

Domo quid hac illuſtrius,
Ornatiuſue? quæ altera
Tam multiplex habuit decus?
Tantum vna monſtrorum tulit?
Hic hic maritum annis grauem
Effeta anus facit Patrem.
Eſt Virgo facta Filio
Nepos, Dei VERBVM, ac Deus.

INTAMINATA CONCEPTIO
Sine vlla labe peccati.
HOROSCOPVS.

ELOG. IV.

Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te. Cant. 4.

Ipſe creauit illam in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt. Eccl. 1.

Apagite venales fatorum Iudices Aſtrologi
rei læſæ humanæ, diuinæque Maieſtatis!
Infra homines diuini eſtis
diuiuatione brutali.
Horoſcopum Marianum nemo inueniet
niſi ſupra Cælum, etiam ſine Stellis illuſtrem.
Monſtrum eſſet innocentem
non eſſe eius genituram,
quę ſola ſub horoſcopo cõcipitur innocentiæ.
Vna hæc Puppula in horizonte naturæ habuit
GRATIAM ASCENDENTEM.
Aurora Dei concipi non debuit
in Angulo noctis,
nec in Domo mortis omnium vita.
Imò fruſtra MARIÆ architectamur
Cælites domos:
Ipſa ſibi DOMVS DEI eſt,
ad libellam Archetypi Amoris
ſine Cælo etiam Cæleſtis.
Non ſunt prophetides Stellæ
conſulendæ de Cælo
VERBI Matri.
Huic terrarum Aſtra Agiographi Vates
certò

certò certius auſpicia diuina cecinerunt.
Tolle etiam fatidicos Vates:
in hoc vno VERBO,
quod ipſa edet licet Infante
ſine libertatis iactura
totus explicatur fatorum liber.
Dei Mater prædicatur diuinitate,
non diuinatione prædicitur.
Homo diuinus eris,
vbi de ea diuina dixeris, non humana.
Edens de ſuo diuinum VERBVM
ipſa ſibi oraculum eſt.
Imperatrix Empyrei
ſupra omnem auſpicis Cæli fortunam regnat.
SIGNVM MAGNVM
totum implet Zodiacum ſuum.
Fuit hæc illuſtris Dodecamoria Sanctitatis
per innoxia radiantium monſtra virtutum.
Imò mutuata a moribus innocentia
totum Cęlum, ſed innocens in ſe vna explicat,
in fronte Stellas ſine erroribus,
Solem ſine maculis in pectore,
Lunam in pedibus ſine defectu.
Ante abyſſos concepta
non contraxit filia hominum eam labem,
quam ſumma felicitate
facta Dei Mater extinxit.
Naturæ ergo leges in MARIÆ
CONCEPTIONE ne quæras:
ANNÆ filia, gratiæ partus fuit ex legis.
Supra homines fuit,
cum cepit inter homines eſſe.
Imo ferè nec MARIAM parentum
hominum conceptum dicas,
ſed Dei filij,
præpo-

præpoſtero retrogradæ cognationis miraculo
Filio ad ſui imaginem Matrem concipiente.
Si ſpeculemur Matrem in Filio
parelia humana inueniemus diuini Solis,
ſicuti omnis ſerenitatis,
ita nullius maculæ.
Talem voluit verus Galilæus
nouo teleſcopio amoris illam intuens.
Iſtæ ſigiziæ diuinæ
Marianum feliciter Horoſcopum illuſtrant.
Ita geminato miraculo Deum paritura
ex ſterilitate naturæ concipitur,
& ex fæcunditate Gratiæ.
Non ſine Deo Magna Virgo concipi debuit,
quæ ſola potuit Deum concipere.

Quæritis qualis Mater? quærite prius qualis Filius. S. Eucher. in vig. nat.

Quotquot ex ipſa nati ſunt propagine exceptis dumtaxat mediatore Dei, & Hominum Chriſto Ieſu, & eius Matre ſub hac peccati lege conditi ſunt. B. Laur. Iuſtin. tract. de caſto connub. c. 7.

De illibata Conceptione.

CAP. IV.

MAgnum fuit Almam Virginem antiquata naturæ communis Legislatricis lege ex ſterilibus Parentibus naſci; ſed longè maius immunem concipi a communi labe, quam omnis Adami Protoparentis poſteritas contrahere debet. Per miraculorum nimirum gradus ad ſummum miraculũ aſcenſum

ſum eſt. Hoc ſingulare MARIÆ Deiparæ priuilegium fuit, ac pene diuinum, quo æternus Pater Primogenitam rerum, Sanctus Spiritus Virginem Sponſam, Verbum diuinum magnã ſuam Matrem ſupra omnes voluit eminere mortales, vt nunquam eſſet emanatio omnipotentis Dei, quin ſimul eſſet *candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius*. Nec tantùm iam ab ipſo cõceptu obumbrata Altiſſimi virtute Virgo Sponſa a Cæleſti Sponſo nullam parricidæ humani generis anguis halitu peſtilenti corruptam ſenſit vmbrã arboris infelicis, ſed ijs omnibus naturæ, & gratiæ bonis, atque Empyrei donis, quæ illam ſupra omnes in rerum apice, infra vnum Deum eueherent, anticipato rationis illuminatiſſimæ vſu, illuſtris radiauit, Cælum ipſum in ſui admiratione ſuſpendens. Hinc in Mariano conceptu dicere poſſumus ex omnium coniugio virtutum omnia concepta fuiſſe prodigia gratiarum. Deus nimirum vt dignam ſe in terris domum conduceret, omnium ferè bonorum ſuorum pretium impendit, amoris aurum, gemmas virtutum, gratiæ theſaurum. Nunquam non ſtipata fuit omnium Charitum Cæleſtium ſatellitio Angelorum, & Hominum Imperatrix. In editura diuinum Verbum magna Matre altius impreſſos decuit eſſe Diuinitatis caracteres omnes, & apices rerum nobilioribus typis elegantius inuſtos, vt innocenti duello in ea exornanda natura, & gratia certantibus, ipſa triumphatrix non ſolum omniũ Virtutum ideas haberet, ſed omnium eſſet idea virtutum. Auguſtiſſimus magnæ Deiparæ conceptus, in quo ad immortalitatem concepta

eſt

eſt omnium mortalium vita, terras beauit ſexto idus Decembris ſeneſcente anno ab orbe cõdito quater milleſimo trigeſimo ſeptimo, ante DEI-HOMINIS ortũ decimo ſexto, eo ferè tempore, quo Auguſtus, cui Patris Patriæ deinde titulus datus fuit ludos ſeculares extra ordinem inſtituit. Saturnalibus diebus Xenia miſit Deus in terras omnium maxima Matris Conceptionem, Filij Natiuitatem. Certè MARIA concepta nullũ apophoretum pretioſius idus Decembres ditauit. Plauſit conceptæ Reginæ rerum Regina orbis Roma non volens. Non exhibiti ſunt ab Auguſto extra ordinem ludi ſeculares, quia illos diuinorum faſtorum ordo poſcebat, & quidem maiori pompa, quam antea, vt in concepta diuini Verbi Matre ſeculum felicitatis non aureum tantum, ſed diuinum naſci teſtarentur. Maximus hoc anno ſeculari omnium edictus eſt Iubileus. Cepit ſui in Matre Deus facere terris indulgentiam. In libro aureo vitæ primus hic annus numeratur Mundi renaſcentis. Hoc initio Deus creauit Cælum, & terram, nimirum Virginem terram, quæ Cælum æquaret, vt inde ſupra primum Adamum de terra terrenum ſecundus formaretur de Cælo Cæleſtis. Iure etiam hoc tantum anno datus eſt Patris Patriæ titulus Magno Auguſto; ſeculum enim ſalutis licet neſciens auguſtiſſima Conceptione Magnæ Deiparæ conſecrauit, & in ludis inanibus vero Mundi gaudio præluſit. Hiſce auſpicijs primum inter mortales in Magnæ Deiparæ conceptu Cælum ſpectauit horoſcopum innocentiæ gratia in ſolis diuini domo ex ipſo horizonte naturæ ad Cæli api-

cem feliciter Aſcendente. Et certè quid aliud auſpicatò concipere poterant IOACHIMVS, & ANNA in Vrbe florum Nazareth nomenclatura diuina *Præparatio Domini*, & *Gratia* quam innocentem ſine fatali carnificis omniũ hominum Serpentis veneno, Paradiſum deliciarum, quem non Damaſcenus Protoplaſtus, ſed Protoplaſtes Nazarenus ſemper florentem incoleret. Eua nocens prima peccatum concepit: Eua innocens prima ſine peccato concipitur. Vtraque vt ſine exemplo fuit, ita nulli exemplum eſſe potuit. Non primi Adami filia MARIA, ſed ſecundi Mater omnem iure felicitatem contraxit. Deitas falsò Euæ promiſſa verè in MARIAM cum æterno Verbo tranſcribitur, nec edit impiè diuinum fructum, ſed piè edit. Excludi a Paradiſo non poteſt, quæ illum germinat. Niſi indelebile Verbum in ea ſcriptum deleas nulla illam ratione a loco voluptatis proſcribes. Antequam inimicus anguis pugnaret, iam ipſa vicerat. Vincere idem fuit, ac viuere. Ne tamen veterator Serpens a MARIA ſe victum gloriaretur, illũ intumeſcentem vincendo calcauit. Illud venenum, quod poterat ex ore euomere Amazon Empyrei eliſit in gutture. Fregit ſimul victore pede virgineo in coronati draconis capite totius ſtygij regni contumax vulgus. Aliæ Matres adnatum conceptui commune ſcelus humani generis pariunt: infelices, cum fœtum prius cædunt, quam pariant, parentes ſimul, & parricidæ. Ita gemina morte vita clauditur, dum mors & prodroma eſt, & pediſequa vitæ. Prima ANNA quia GRATIA ſine iniuria Dei, & hominum inno-

cens Mater fuit, nec in ortu occidentem gemellam cum morte vitam concepit. Feliciſſima Matrum, quæ ſola in communi ſcelere concepta immaculatam prolem ſanctè concepit. Non debuit Auguſta damnari legibus populorum. Amico Numine Mundum intrare debuit non irato Magna Dei, & hominum Conciliatrix, nec tantus Cæli amor primo deſcenſu in odium peruerti. Iure Sereniſſimus æternus Sol, quem nullæ maculæ inficiunt coronatam Abrahamici Cæli Aſtris, ſuorum ſplendorum Genitricem, & Nunciam innocentem prorſus ſine maculis præmiſit Auroram. Iure beatum vterum, qui Sanctum Sanctorum tulit paſcentem inter lilia in horto concluſo, cum hyems abijt, & receſſit proſcriptis primi horti deliciarum ſpinis non niſi vallatum lilijs candidiſſimæ innocentiæ Cælum exhibuit, tellus ſuſpexit. Infra Reginæ Superum Maieſtatem fuiſſet vel in ipſo primo vitę momento inferno tyranno ſeruire. Ita ſine tonitru, ac fulmine inter fulgetra amoris Magna Deipara Cęli filia in Cęli, terræque vnionem concepta concreuit.

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis. De illibata Dei Genitricis Conceptione.

SYNOPSIS.

1 Illibatæ Conceptionis Marianæ tempus ſtatuitur. 2. Puritas, & Sanctitas. 3. An cum iuſtitia originali? 4. An cum exemptione a debito peccati? 5. Illibata Conceptio B. Virginis non excludit eius redemptionem.

Illibatæ Conceptionis Marianæ tempus ſtatuitur.

I.

ANnus fortunatiſſimus Conceptionis illibatæ B. Virginis ſtatuitur a nobis cum Iacobo Saliano poſt natum orbem quatermilleſimus trigeſimus ſeptimus, ſextæ ætatis quingenteſimus vigeſimus ſecundus, Romani Imperij trigeſimus ſecundus, Auguſti vigeſimus ſeptimus, Herodis vigeſimus primus, vel vigeſimus quartus, Simonis Pontificis octauus, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartus, vrbis cōditæ ſeptingenteſimus trigeſimus ſextus, Actiacæ victoriæ decimuſquintus, Iulianus vigeſimus nonus, Conſulibus Caio Furnio, & Caio Iunio Silano. Huic anno tribuit Eminentiſſimus Baronius B. V. Natiuitatem reuocata ad annum antecedentem Conceptione ſub conſulatu. Gn. Cornelij Lentuli, & Pub. Cornelij Lentuli Meſſalini. Angelum Domini annuuciaſſe Conceptionem puriſſimam MARIÆ Deiparæ præter iam dicta his magnificis verbis teſtatur Fulb. Carnot. ſ. de Natiu. qui habetur

habetur tom. 9. bibli. PP. *Euolutis ergo ait tot annorum curriculis miſſus eſt Angelus Domini prius ad Ioachim, demum ad Annam nuncians ei naſcituram Filiam nomine Mariam, cui ſimilis Sanctitate, nec antea nata fuerat, nec poſtea naſceretur*. Similia habet S. Germ. Conſtant. in encom. B. V. S. Hieron. ſiue alius in lib. de or. Virg. & alij, quos refert Morales l. 1. in c. 1. Matt. tr. 6. Imò addit S. Birgitta l. 1. reuel. c. 9. *ex verbo Angeli nunciantis, non ex concupiſcentia aliqua conueniſſe* Sanctiſſimos Coniuges ad ſobolem procreandam. Suffragantur huic veritati S. Io. Damaſc. or. 1. de nat. Virg. Niceph. in ſua hiſt. Arnol. Carnot. l. de laud. Virg. Pet. Galat. l. 7. de arc. Cathol. verit. c. 8. Spinellus in Thr. c. 18. & alij. Rationes ob quas decebat ita fieri, quia præſertim caro Mariæ futura erat caro Chriſti adducit Io. Bapt. Nouatus t. 1. de emin. Deip. c. 3. q. 2. *vt oſtenderetur* inquit Io. Damaſc. loc. cit. *ex ſterili Matre Virginem non ex carnis concupiſcentia, ſed ex diuina gratia mirabiliter operante fuiſſe ortam*. Ibidem vocat *Mariam miraculorum abyſſum*, & exclamat. *O miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maximè admiranda. Siquidem par erat vt ad Dei Incarnationem omnis ſermonis facultate ſuperiorem iter per miracula muniretur*. In eis nimirum Ioachimo & Anna *voluptas mortua erat* inquit S. Birgitta loc. iam alleg.

Puritas & Sanctitas.

II.

ELecta ab æuo in Dei Matrē MARIA ſextò idus Decembris anni ſupra relati ante

IESV Chriſti Filij ſui ortum decimi ſexti tandem concepta eſt. Anima itaque illa puritate ipſa purior veluti adamas micanti auro illibato corpori eſt indita, tanto gratiæ fulgore radians, aliorumque donorum Cæleſtium, vt nulla ei in ipſo conceptionis momento generis noſtri e primo parente hæreditaria labes adhæſerit. Acceſſerunt cumulo gratiæ, quæ in ipſo Conceptu feliciſſimo peccatum originale excluſit in ea affluentia, ac plenitudine, quæ Dei Matris dignitatem altiſſimam decebat, infuſio virtutum omnium eidem magnitudini gratiæ, menſuræque non impar, vſus acceleratus illuminatiſſimæ rationis cum omnibus Spiritus Sancti donis, & gratijs gratis datis eo ſaltem modo, qui illi ſtatui conueniebat, vnde in apice rerum Hominibus omnibus & Angelis ſublimior conſtitueretur. Sanctam fuiſſe Dei Matrem antequam naſceretur certum eſt inter Catholicos Doctores, atque indubitatum. In hoc omnes Theologi conſpirant cum Mag. in 3. d. 3. D. Tho. hic q. 6. a. 1. ac 2. In liturgijs SS. Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi vocatur *Maria incontaminata Mater Dei noſtri*. Imò in prima *ſemper beata, & Sanctiſſima, immaculata, ſuper omnes benedicta glorioſa Domina noſtra*. *Inuenta eſt* inquit Niceph. l. 6. c. 1. *Beata Virgo Maria dignum, Deumque decens Dei domicilium etiam ante Natiuitatem Deo conſecrata*. De his fuſè, & ſcitè agunt Suarez t. 2. in 3. p. d. 1. ſ. 1. & Salazar c. 42. ſ. 1. Certum etiam eſt Deum in lege generali ad poſteros Adami lata de contrahenda prima illa labe, in ſua Matre potuiſſe diſpenſare. An reuera infuſa fuerit in ipſo momen-

to

to creationis animæ beatiſſimæ gratia excludens omnem maculam primigenei peccati, cuius rei nos omnes concipimur, negotium theologicum eſt. Pia ſententia peccatum originis noſtræ non admittens in illibata Virgine non placere non poteſt. Sed hæc mihi Sparta in hoc loco defendenda non eſt. Conſulendi ſunt Suarez t. 2.3. p diſp. 35. Vaſquez 3. p. d. 117. Bellarm l. 4. de amiſſ. grat. Caniſ. l. 1. de Deip. c. 7. Spinel. in Thr. Dei c. 7. Morales l. 3. in Matt. tr. 1. Salazar toto ſuo cruditiſſ. lib. de Concept. B. V. & alij multi, quos ipſi referunt. Si momentis rationum ſtandum eſt plura inclinant ad immunitatem ab originali labe Dei Matri concedendam, vti ſunt diuinæ cognationes, quod veriſſimo titulo fuerit, & peculiari ſupra alios omnes æterni Patris Filia, Verbi Mater, & Spiritus Sancti Sponſa, plena gratia, atque in ea plenitudine toto vitæ tempore confirmata, immunis ab omni labe actuali etiam leuiſſima, carens illis effectibus, quos ſecum traxit originale peccatum, & alijs excellentiſſimis priuilegijs cumulata, vnde potuerit *& ſpeculum ſine macula* prædicari a Sponſo Cæleſti & illi dici ab eodem *Vna eſt columba mea, vna eſt immaculata mea. Tota pulchra es Amica mea & macula non eſt in Te*. Illæ tres rationes quibus S. Th. 3. p. q. 27. a. 4. probat ab omni veniali labecula mundiſſimam fuiſſe Dei Genitricem, munditiam ab originali ſuadere videntur. Prima eſt, *quia Virgo non eſſet idonea Dei Mater ſi peccaſſet aliquando, quia honor parentis redundat in prolem* iuxta illud Prou. 17 *Gloria filiorum patres eorũ* Secunda eſt *quia ſingularem affinitatem habuit*

 ad

ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. ad Cor. 6. *Quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Addit tertiam, *quia ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Dei Sapientia in ipſa habitauit non ſolum in animo, ſed etiam in vtero*. Dicitur autem Sap. 1. *in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Inde concludit his verbis. *Et ideò ſimpliciter fatendum eſt, quod B. Virgo nullum actuale peccatum comiſit, nec mortale, nec veniale, vt ſic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in Te*. Hæc verba, quæ Sanctus Doctor adhibuit ad euincendam munditiam in B. Virgine ab omni labe actionis, ad immunitatem a labe originis tranſtulit Sapiens Idiota in contempl. Virg. c. 3. dicens. *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima, & macula non eſt in Te; Tota pulchra es in tua Conceptione ad hoc ſolum effecta, vt templum eſſes Dei Altiſſimi*. Et infra: *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima non in parte, ſed in toto, & macula peccati ſiue mortalis, ſiue venialis, ſiue originalis non eſt in Te, nec vnquã fuit, nec erit*. Illibatam quoque ſuadent ab omni peccato puritatem illæ Sacrarum litterarum veteris teſtamenti admirabiles figuræ, quibus prædicatur *Paradiſus voluptatis* in quo Deus deliciatur, *Arcus Cæleſtis* Sacro fœdere Cælum, terramque complectens, *Arca Noe* naufragi Mundi ſeruatrix, *Rubus incombuſtus*, innocentibus flammis hoſpitium Diuinitatis, *Virga Aaron* æterno vere florens, *Nubes Eliæ* fœcunda gratiarum, *Columna* ductrix, & ſoſpitatrix Iſraelitici populi, *Thronus* veri Salomonis principis pacis, *Hyericuntina Roſa*, *Liliũ*

inter

inter ſpinas, Hortus concluſus, Fons ſignatus, Ciuitas Dei, Mons Sion, Sol electus, Stella Iacob & glorioſiſſimis alijs apellationibus celebratur. Nec deſunt in nouo teſtamento encomia, quæ gratiæ, & gloriæ plenitudinem mirè extollunt, vnde ſignum magnum, & miraculorum miraculum ipſis Angelis, ne dum Hominibus videri poſſet. Accedunt SS. Patrum ſuffragia, & Sacrorum Doctorum, qui illibatæ Conceptioni Deiparæ Virginis fauent. Hos per omnia iam elapſa Chriſtiana ſecula vſque ad hoc decimum ſextum inchoatum enumerat, expenditq; Salazar l. de Conc. c. 42. Recenſet etiam antiquiſſimas Liturgias, & plura Concilia. Plurimi alij Sacri Doctores referuntur apud Baltaſſarem Porregum in opuſc. de Concept. B. V. Afferuntur etiam plures Vniuerſitates a Nouato t. 1. c. 3. quæ neminem laurea Doctoris donant, niſi præuio iureiurando de non impugnanda Conceptione illibata B. V. Pariſienſis, Colonienſis, Moguntina, Valentina, Salmanticenſis, Complutenſis, Oſmenſis, Saguntina, Neapolitana, fauent quoque mirum in modum verba S. Birgittæ l. 6. reu. 55. Sic eam Deipara ipſa alloquitur. *Scito quod Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod ſicut ante legem ſcriptã preceſſit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & poſtea venit lex ſcripta, qua cohiberet omnes inordinatos motus, ſic placuit Deo, quod Amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareret in tempore praeordinato.* Iſtæ S. Birgittæ reuelationes, quæ in libro, quem commentus eſt Conſaluus Durandus circum-

 feruntur,

feruntur, fueruut approbatæ a Gregorio X. Vrbano VI. & Martino V. vt teſtatur Cardinalis Turrecremata in prol. ad eundem librum reuel. & confirmatæ a Bonifatio IX. Multas inſignes Eccleſias in Hiſpanijs a Summo Pontifice petijſſe definitionem Conceptionis B.V. ſine peccato teſtatur Malderus p. 2. q. 51. a. 3. An Eccleſia poſſit definire Deiparam Sanctiſſimam fuiſſe ſine originali peccato conceptam ego definire non audeo. Affirmanti ſententiæ fauent Suarez 3. p. t. 2. d. 3. ſ. 6. Valquez in 3. p. t. 2. d. 117. c. 14. Iacobus Granadus in opuſc. de imm. Conc. d. 3. c. 22. Sed hæc ſupra conſilium ſunt, finemque huius breuis Marianæ vitæ deſcriptionis.

An cum iuſtitia originali?

III.

AN acceperit in ſua Conceptione MARIA Deipara iuſtitiam originalem adhuc inter Doctores ſub Iudice lis eſt. Affirmant Caniſius in ſuo Mariali lo. Mar. Zamorus l. 2. de em in. Deip. perf. Perlinus l. de Concept. d. 11. c. 7. & alij apud Salazar l. de Conc. c. 10. Negant Vaſquez 3. p. d. 119. c. 2. Corduba l. 1. q. 46. opin. 1. & alij. Lis eſt omnino de nomine cum certum ſit Dei Matrem habuiſſe beatam illam Deo ſubiectionem, quam tanquam Principem prærogatiuam ſtatus innocentiæ importabat; ſubiectam tamen fuiſſe morti, quod in illum felicitatis ſtatum non cadebat.

An

An cum exemptione a debito peccati?

IV.

ILlud etiam controuerſum eſt apud Doctores an B. Virgo non ſolum a labe originali, ſed etiam a debito illam cōtrahendi exempta fuerit. Excludunt hoc debitum primigenei peccati Salmeron in c. 5. ad Rom. d. 45. Iuſtinianus in c. 1. ad Tim. 2. Perlinus in apolog. pro Concept. d. 3. c. 8. Salazar de Concept. c. 41. Io. Mar. Zamorus l. 2. c. 27. Celada in Iuditha figurata a n. 96. ad 110. Emin. Card. de Lugo de Incarn. diſp. 6. & alij. Ingenioſè deinde diſpoſitis diuinis decretis pluribus modis eam propugnant. Mihi animus non eſt refragari pijs hiſce Doctoribus, pro quibus tamen nec ſuffragium fero. Certum eſt hanc debiti excluſionem ad tuendam illibatam Conceptionem B. Virginis neceſſariam non eſſe. Multò minus neceſſarium eſt dicere fuiſſe conceptam B. V. ex materia Adami innocentis, quod commentitium priuilegium excogitauit Chriſtophorus Auendanus in Marial. agens de Nat. eiuſdem diſc. 1. Exiſtimat hic Deum in Adamo innocente rerum Domino, antequam e ſtatu felicitatis excideret, & Principis tenebrarum mancipium eſſet reſeruaſſe de eius carne materiam, vt inde formaret puriſſimum MARIÆ Deiparę corpus. Hanc opinionem reijcit eruditiſſimè Theoph. Raynaudus in dipt. p. 1. p. 1. n. 14. Sed de his hactenus. Qui plura velit apud Doctores præſertim B. Virginis encomiaſtes inueniet. Doctiſſimus Suarez, cuius feliciſſimus calamus nihil in theologicis controuerſijs ferè intactū

reliquit, omnia, quæ ad B. V. Conceptionem pertinent breuiter, & clarè euoluit tom. 2. 3. p. d. 3. ſ. 5. Fuſius hoc argumentū MARIÆ glorioſiſſimum proſequitur Salazar l. de Conc. affuſa ex Sacris litteris, SS. Patribus, & momentis rationum magna luce. Omiſſis Patribus quos permultos refert Suarez & innumeros Salazar vnus audiendus eſt B. Laur. Iuſtin. ſ. de Ann. Ibi de B. V. ſic loquitur: *Ab ipſa Conceptione in benedictionibus eſt preuenta dulcedinis & damnationis aliena chirographò; prius eſt Sanctificata quam nata.* Vt enim l. de grad. perf. c. 1. aſſerit. *Ab originali delicto nullus excipitur præter illam, quæ genuit Mundi Saluatorem. Aue ergo* (ſalutabo Te magna Deipara cum Tui amantiſſimo Fulb. Carnot. quem refert Caniſ. l. 1. c. 7. *Maria electa, quæ immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius Sanctitatis.*

Illibata Conceptio B. Virginis non excludit eius Redemptionem.

V.

ILlibata Conceptio Deiparæ Virginis, ſiue per exemptionem a labe originis, ſiue per exemptionem etiam a debito non excludit eius Redemptionem; ſed importat maximè copioſam. A Matre ſua Filius Redemptionem inchoauit. *Non mirum,* inquit, S. Ambroſius *ſi Dominus redempturus Mundum operationem ſuam inchoauit a Matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima ſalutis fructum hauriret in pignore.* Neque copioſa, & prima tantum fuit Redemptio, ſed excellentiſſimo modo exercita iuxta S. Dyoniſ. c. 8. de diu. nom. cum illam non lapſam erexit, ſed a

lapſu præſeruauit, certò lapſuram, niſi fuiſſet præſeruata, Deo intuitu meritorum Filij ſui in primo illo beatiſſimo conceptu gratiam infundente, quæ commune illud humani generis probrum, & infelicitatis ex primo parente traducem impediret.

Atque hæc pauca de Conceptione illibata B. Virginis ſufficiant. Qui plura velit legat Doctores Scholaſticos Suarez, Salazar, Velaſquez, & alios, qui fusè de ea ſcripſerunt. Angelos turmatim in vtero Sanctæ Annæ cuſtodijſſe B. Virginem conceptam teſtatur S. Birgitta ſibi reuelatum fuiſſe ſer. Angel. 7. SS. Patres adhuc in materno vtero latentem MARIAM vt Dei Matrem agnouerunt a Verbo diuino electam, atque ibi gratiarum omniũ cumulo circumfuſam. Vnde ſunt pulcherrima illa verba B. Laur. Iuſtin. ſ. de Nat. B. Mariæ. *Illam profectò adhuc in Matris vtero decubantem adamauit Verbum, ſibique in Genitricem elegit, vtpote iam ſuperabundanti benedictione prauentam, iamque Sancti Spiritus magiſterio deputatam*, & aurea illa Petri Chryſol. ſ. 146. *Quomodo non ante conceptum Mater, qua poſt partum Virgo? Mater aut Genitrix quando non, qua ſeculorum genuit Auctorem?* Itaque addam pro clauſula ſalutationem Adami de S. Victore, qui ad explicandam illibatam B. Virginis Conceptionem his eam verſiculis alloquitur, & ſalutat.

Salue Verbi Sacra Parens
Flos de Spina Spina carens
Flos ſpineti gloria.
Nos ſpinetum, nos peccati
Spina ſumus cruentati:
Sed Tu Spina neſcia;

FAVSTISSIMA NATIVITAS. GENETHLIACON.

ELOG. V.

Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt. Eſther 8.
Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens. Cantic. 6.

Genethliacon Mariæ ſcribendum erat,
ne Deum crederes;
licet ipſa etiam fecerit,
vt Deus naſceretur.
Qualis parens futura eſſet
magna hæc Puppula,
antequam eſſet Parentes docuerunt.
IOACHIMVS præparationem Domini
ANNA gratiam loquebatur.
Ita ſæpe Sacri Heroes Cælo nomenclatore
numen geſtant in nomine.
Sed vtcunque auſpicia habuerit
a parentum nomine,
Felicitatem illi attulit maiorem,
VERBVM Filius;
& plura dixit VERBVM infans,
quam nomina eloquentia.
Expectate immortalem
quamprimum Solem mortales;
Aurora exoritur;
Et quia Sereniſſimi Regij generis aurora eſt,
Regina dierum hæc vocetur,
qua non lux in Mundum,
ſed Mundi Imperatrix venit in lucem,
Prima hæc natalis dies

ſæculi

ſæculi innocentis feliciſſimas
Kalendas inſcribit,
felicius quam natus fuerit
Mundo renaſcente.
Omnem anni
infantis puberis, adulti, ſenis ætatem
æternis MARIÆ honoribus debemus.
Hyemem concepta, autumnum naſcens,
Ver Sponſa, moriens dedicauit æſtatem.
Filius oriens ſterilem hyemem:
Mater fæcundum nobilitauit autumnum.
Innocenti inter Matrem, Filiumque duello
gemino vtrinque prodigio certatum eſt.
Ille ſub hyberno ſolſtitio
ſummam æſtatem accendit amoris:
hæc ſub æquinoctio autumnali
primum ver gratiæ aperuit.
Et iure iam iam in Cælis iuſtitia regnante
noua Aſtræa in terris naſcitur,
factura aurum ferreo ſæculo
moribus ſuis.
An non poterit Deipara Virgo
Mundum ſtelligeris librare lancibus,
quæ manus habet vbi creuerint
etiam ferendæ Diuinitati pares?
Iurequoque Cæleſtis agricola Ieſſæam Virgam
in autumno plantat, vere concepturam
florem ſuum.
MitioraCęlo, terriſque ſperanda ſunt tempora
in Cælo Sol,
in Terris Deus,
ex Leone Virginem intrat;
Nous hic autumnus Paradiſum reſtituit
cum Euam innocentem,
& lignum Deificum.

Supra

Supra calcatum anguem
bonis non malis coronatum.
Nec mirum vnicam eſſe
ſuorum parentum prolem:
orbi renouando altera Eua par erat
Mundo maior.
Ab ipſa vnitate
metiri poſſumus ſingularitatis magnitudinem.
Vnigenita eſſe debuit,
quæ parem habere non poterat.
Auſpicia etiam fuerunt e templo diuina
renaſcente templo MARIAM naſci.
Futura nimirum erat omnium maximum
Dei templum;
quaſi de architectura diuinæ domus
architectus omniſ Deus cum Herode certaret.
Abſiſte Herodes quid veterem reſtituis,
dum ſibi nouam Deus inſtituit domum,
non templo tantum tuo
ſed ſuo Mundo, maxima Dei domo, maiorem?
Impiè pius iiſdem machinis templum ſtruis,
& deſtruis religionem.
Quaſi Deus ſine templo eſſe non poſſit,
& poſſit templum ſine Deo eſſe?
Sed Genethliacon magnæ Matris
ſolius Filij panegyricus eſſe poteſt.
Plaude terra in MARIA Cælum futura,
vbi Deum conceperit.
Plauſus quos impendis naſcenti,
iure geminare poteris parienti.

Proinde factor hominum, vt homo fieret, naſciturus de homine talem ſibi ex omnibus, debuit deligere, imo condere Matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram. S. Bern. hom.

hom. 1. ſuper miſſus eſt.

Felix partus, & ortus, de cuius ſubſtantia aſſumpta eſt talis Virgo, quæ tolleret veternas parentum offenſas, & releuaret concuſſum orbem, qui ſub ſæuo duri erat hoſtis dominio. S. Fulbertus de ortu Virginis.

De fauſtiſſima Natiuitate.

CAP. V.

AB ipſius temporis exordio certarunt centuriati quadraginta ſæculorum veluti annatarum Chiliadum, anni, quinam de magnæ Deiparæ ortu gloriari, & annorum Rex, Marianis ſplendoribus illuſtrius purpuraſcens, & coronatus, quam ſuis, iure dici poſſet. Is tandem fuit ad totius æternitatis inuidiam omnium glorioſiſſimus annus ſupra quattuor Myriades annorum nati Mundi 37. ſextæ ætatis 522. Auguſti Cæſaris 27. Romani Imperij 32. Herodis 21. Simonis Summi Pontificis 8. Olympiadis 190. quartus, Vrbis conditæ 736. Actiacæ Victoriæ 15. ante DEI-HOMINIS ortũ 15. Fortunatiſſimus ſiquidem hic annus ex IOACHIMO, & ANNA Dauidicæ Proſapiæ Regio per Salomonem, & Pontificio per Nathanem genere illuſtribus, ſed illuſtrioribus ſplendore Sanctitatis, inter Cæli, terræque plauſus, aligeris Superũ Choris genethliacon canentibus Adamo protoplaſto, cæteriſque Patribuspatratis humani generis, & reliquis pellitis, clamydatis, purpuratis, coronatis naſcentis Pupulæ

Auis

Auis in ſinu Abrahæ acclamantibus, MARIAM Auguſtam Empyrei Infantem, futuram Dei Matrem in florentiſſima Vrbe Nazareth ad omnium felicitatem Mundo dedit. Si non inueniſſet MARIA feciſſet Cælo lucem, & diem principem terris, ſuis radijs coronatam. Se tandem prodigium felicitatis Deipara naſcens probauit, cum inter vota concepta ex ſterilibus parentibus obſtetricantibus miraculis naſcitur. Nunquam magis admiranda miracula ſunt, quam vbi tranſeunt in naturam. Dixiſſes Cælo ex oculis parentum antelucanum rorem lachrymante, ex puerperio lachrymarum inter ſteriles ſcopulos, qui Deum in ſe homini vniuit gemmaſcere in ipſo exortu pretioſiſſimum vnionem. Innocens monſtrum fuit, ſed exuberante gratia, non deficiente natura, fæcunditatem Dei ex ſterilibus parentibus naſci. Si tamen legitimus ſterilitatis partus Virginitas non fuit, quæ libera quædam ſterilitas eſt. Ignota prius virginitas eodem cum MARIA partu gemella in lucem venit. Angelica ſiquidem virtus ab omni corporum concretione ſecreta generari non debuit, ſed creari ex nihilo ſterilitatis. Si tamen magna non fuit fæcunditas, ipſa ſterilitas enixa Dei, & hominum Matrem. Incidere fauſtiſſimi Magnæ Virginis natales in ſextum idus Septembris diem, olim in profanis Græcorum faſtis Mari, nunc iure in Chriſtianis MARIÆ Sacrum, Mari maximo gratiarum, & miraculorum abyſſo. Signata fuit fortunatiſſima dies non candido lapillo, ſed gemma inæſtimabili candidiſſimæ virginitatis primùm in orbem terrarum inuectæ, vt non immeritò adaman-

tinæ Cæli tabulæ inter ephemerides ſuas illi tribuant principatum. Sol ſerenior purpura auguſtiori lucis paludatus inceſſit, mutuato a Dei aurora, Solis æterni parente, nouo diademate radiorum. Inclinato Altiſſimi Matri Cælo, ſalutarunt aſtra ridenti vultu fatorum arbitram, adorarunt Dominam rerum ambitioſo ſeruitio elementa, ſtetitque natura vniuerſa in tantæ pulchritudinis, quam in Cæli, terræque Regina ſuſpiciebat, admiratione ſuſpenſa. In hac totius Mundi lætitia ex ſterilibus parentibus lachrymarum, precumque puerperio, quaſi ex votorum,& miraculorum coniugio prodijt maximum omnium ſæculorum votum,& Mundi miraculum. Obſtetrix naturæ gratia fuit,& omnium tum noſtratiũ, tum Cæleſtium Charitum flore ſpirantem Paradiſum deliciarum beauit, architectata elegantiſſimi Corporis regiam, non indignam tam grandis animæ Maieſtate. Imò innocenti duello gratia,& natura certantes in Cæleſti puppula dubium reliquerunt an maior eſſet forma Sanctitatis, an Sanctitas formæ, an dignum magis ſe animo corpus, an corpore animus probaret. Vtraque tandem vicit, dum totam MARIAM Deo dignam finxerunt, & illius immenſitatis capacem, quam Cælo excelſiorem, Mundoque maiorem nihil præter Magnam Matrem capere poteſt. Naſcere igitur Deum paritura veriſſimo titulo non heroica tantum, ſed diuina Soboles. Ille idem ſeptimus menſis, quem Tu Hebræa Cæli, terræque Imperatrix ſupra Iulios,& AuguſtosRomanos Cæſares tuis natalibus dedicas auſpex eſt felicitatis, in profanis etiam faſtis lætitiæ

Sacer.

Sacer. Iure prodis inter æſtatis, autumnique confinia de æſtate charitatis autumnum allatura ſalutis. Indicauit in ſua criſi ſeptimus menſis, magnum ſummæ felicitatis arcanum, vnde ſcias contrariam ſuperſtitioni eſſe religionem. Synphoniacæ concordiæ ſeptenarius numerus lætum exordiri debuit pacis exortum, cum prima in conciliatrice Dei, hominumque MARIA concors Cæli, terræque ſynphonia naſceretur. Prope iuſtiſſimum autumnale æquinoctium æquali dierum, & noctium iure cepit veritas de terra oriri, cum iuſtitia de Cælo proſpexit. Exauthorato Baccho autumnum conſecrat MARIÆ abſthemia virginitas, quæ illud tantum vinum ſitit, quod germinat Virgines Empyrei flores. Æternam hanc Marianæ autumnitatis beatitatem, nulla vnquam infelicitatis hyems excipiet. Eiuſdem felicitatis auſpicium fuit MARIA naſcente Iudæum templum ad Idumeo Tyranno Herode inſtaurari. Sanctius templum IOACHIMVS, & ANNA e Dauidica familia Zorobabelis hæredes de ſuo Deo condunt MARIAM nimirum nunquam nō Sacrum Dei templum, in quo nihil præter Sancta Sanctorum & diuinum Verbum in infantia ſua adhuc oraculum loquens inuenies. Ipſa Domina orbis Roma, & Iudaici regni Princeps Hieroſolyma ludis ſuis, & Sacrificijs primogenitæ rerum Reginæ auſpicatò ſeruierunt. Auguſti Romanis ludis ſæcularibus intra Mariani conceptus, ortuſque interuallum, maiori quam antea celebritate exhibitis addidit Marcus Agrippa hecatombem celeberrimam in templo Hieroſolymitano, confluentibus ad illud

vnde-

vndequaque populis. Sed longè maiorem felicitatem orbi terrarum auſpicatur æterni Patris ſeculorum Mater, quam annus ſæculi Pater. Maiori hecatombe litauit Nazareth, quam Hieroſolyma in hac vna lactenti victima, quæ licet vna, omnem numerum excellentię ſuę ſingularitate compenſat. Ita Cæli, terræque Reginæ fauſtiſſimis natalibus, totus orbis terrarum plaudit Occidens ludis; Oriens Sacrificijs.



ELE-

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis SS. Patribus Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de fauſtiſſima natiuitate.

SYNOPSIS.

1 INgentia gaudia fauſtiſſima B. V. natiuitas peperit. 2. Et probabiliter nullum dolorem Matri parienti. 3 Naſcentis Deiparæ tempus decernitur. 4. Aliquibus prodigijs illuſtre. 5. Patria. 6. Et Angelica cuſtodia. 7. Eiuſdem perfectiſſimum temperamentum. 8. Perpetua ſanitas. 9. Eximia pulchritudo. 10. Sed quæ ad amorem puritatis, cultumque excitabat. 11. Admirabilis ſplendor. 12. Singularis fragrantia. 13. Pulcherrima totius corporis lineamenta. 14. Et alia nobiliſſima decora celebruntur. 15. An naſcens ſordibus. 16. An nata lachrymis, & vagitibus caruerit. 17. In hoc primo ſuo ortu Regina rerum piè ſalutatur.

Ingentia gaudia fauſtiſſima B. V. natiuitas peperit.

I.

ANgelus S. IOACHIMO in Eremo apparuit teſte S. Epiphanio her. 9. aduerſus Collyrid. & dixit *Vxor tua concepit*. Ad hæc ſuauiſſima verba; quibus Angelica legatione nunciata eſt conceptio illibata B. V. & prædicta fauſtiſſima natiuitas quantam Sancti Parentes conceperint lætitiam, quantum in eis ortum fuerit gaudium nec ipſo Legato Angelo oratore explicari poſſet. Eandem reuelationem factam fuiſſe S. ANNÆ ſeparatim teſtatur S. Hieronym. de natiu. S. Mar. Tunc ait *de mutua ſua viſione læti, & promiſſæ prolis certitudine ſecuri adorato Domino domum regreſſi, diuinum promiſſum certi, & hilares expectabant.*

AN-

ANNÆ prægnantis lætitiam ipſa B. Virgo expreſſit S. Birgittam l. 1. reuel. c. 9. his verbis alloquens. *Cum autem anima mea Sanctificaretur, & corpori coniungeretur tanta Matri meæ aduenit lætitia, vt impoſſibile eſſet dictu.* Imo ipſi etiam SS. Angeli vt teſtatur S. Vincent. Ferr. ſ. de concept. *vt conceptam in vtero ANNAE conceperunt* (eius verba ſunt) *Virginem Matrem, per quam eorum ruina repararetur, inceperunt tripudiare, & facere feſtum magnum.* Hæc fortunatiſſimi coniugij ſingularis dos fuit, quæ vtrunque parentem ditauit, vnde hoc nomine ſalutat magnę Deip. genitricem ANNAM. S. Fulb. ſ. in ortu Virg. *Gaude, & lætare o felix pro tali Filia, quoniam tali dote donata es, qua nulla ante Te, vel poſt Te meruit antecelli.* Et iure ingens cum MARIA naſcebatur lætitiæ ſeges, nam ANNA vt ait Lanſpergius ſ. in eius feſto *Matrem miſericordiæ, & totius conſolationis genuit. Aue* inquit S. Ephrem. ſ. de laud. Virg. eandem alloquens *pax, gaudium, & ſalus Mundi: Aue humani generis lætitia.* Hinc iure cecinit Regius Pſaltes Pſ. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei noſtri, in Monte Sancto eius. Fundatur exultatione vniuerſæ terræ Mons Sion.* Et S. Eccleſia canit *Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerſo Mundo.* Vniuerſa SS. Patrum, imo omnium ſæculorum vota de Incarnatione diuini Verbi erant etiam vota de B. V. ortu fauſtiſſimo, vnde de Matre veriſſimè dici poterat, quod de Præcurſore. *Et multi in natiuitate eius gaudebunt.* Hinc S. Epiph. & S. Io. Damaſc. verba ſunt apud Maſellum in vita B. V. l. 1. c. 1.

quod

quod frequens oratio Mariam Mundo peperit.
Rationes cur B. Virginis natiuitas gaudium vniuerſo Mundo attulerit explicant luculentiſſimis ſententijs Patres præſertim S. Io. Damaſc. ſ. 1. de Aſſ. Arnoldus Carnot. relatus a Salaz. in Prou. ad c. 8. S. Bonau. in ſpec. c. 7. S. Anſel. l. de excell. Virg. c. 10. Io. Hieroſolym. Carmelita l. de inſtit. Monac. c. 32. Rupertus Abb. l. 6. in cant. And. Cret. or. de dorm. Deip. B. Pe. Dam. ſ. de Aſſ. S. Anton. 4. p. t. 15. c. 14. Alijs omiſſis mellifluus Doctor Bern., & doctiſſimus Idiota audiendi ſunt. Primus ſerm. 2. de Pentec. ſic ait B. V. alloquens *Meritò te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in Te & per Te, & de Te benigna manus omnipotentis quidquid creauit, recreauit*. Alter in contempl. in prol. ſic inquit. *Inuenta Maria inuenitur omne bonum*.

Quod ſi vniuerſis communis lætitia fuit, Deipara naſcens, quo cumulo gaudiorum parentes Sanctiſſimos in ſuo ortu beaſſe par eſt. Hinc mirum non eſt S. Germ Conſt. de eius natali ſic loqui, *Commune gaudium ex iuſtis hominibus Ioachim, & Anna hac die naſcitur*. Auxit gaudium ex ſterilibus parentibus conceptam obſtetricantibus veluti miraculis naſci, quia vt dixit Eunomius in paneg. *Magna proferto eſt vis poſt diuturnam mæſtitiam, ſucgentium gaudiorum*, & Caſſiod. l. 8. var. lect. *bonum inſolitum plus amatur, & ſequenti gaudio confert dulcedinem præmiſſa triſtitia*. Nec ingrati fuere de tanto munere caſtiſſimi Coniuges prodigioſa prole per tot miracula donati, nam vt loquitur S. Hieron. de ortu Virg. *de mutua viſione læti debitas Deo humilium exalta-*

 tori

tori gratias agerunt. De gaudio quod ipſi Deo attulit Deipara naſcens ſic philoſophatur Oſorius com. de nat. *Condito hoc vniuerſo requieuit Deus die ſeptima ideſt gauiſus eſt vt hebræa vox ſonat, & placuit Deo opus, quid fecerat. Si autem lætatus eſt cum feciſſet terreno Adamo domum conuenientem quid mirum ſi delectetur conſtructa domo ſecundo Adæ Cæleſti?*

Et probabiliter nullum dolorem Matri parienti.
II.

IMprobabilis ſententia non videtur Stephani Mendez docti ex Sacro ordine Prædicatorum Theologi in Marial. l. 4. c. 3. §. 1. in partu nullam Matrem Sanctiſſimam ANNAM dolorem ſenſiſſe. S. Hildeph. ſ. de nat. Virg. *Non ſic* inquit *eſt nata, ſicut ſolent pueri & puellæ naſci*. Et rurſus loquens de partu B.V.I. de Virg. hæc habet, quæ eius natiuitati in partu S. Annæ conuenire poſſunt. *Non poteſt ait fieri, vt qui iuxta vocem Angeli gaudium vniuerſorum affert tormenta in ortu ſuo Matri attulerit. Inter Angelorum excubias & laudes non credo quod Matri gemitus, & dolores, triſtitiaſque Euæ contraxerit*. Ingentem lætitiam, qua S. ANNA perfuſa fuit in ortu B. V. deſcribit S. Birgitta ex reuelatione ſibi facta ab ipſa Deipara Sanctiſſima l. 1. reu. c. 9. Et certè quid expectari debebat ab ea, quæ iuxta S. Io. Damaſc. or. 1. de dorm. *eſt pelagus gaudij inexhauſtum*. Huiuſmodi priuilegium alijs matribus conceſſum inter miracula B. Stanislai Coſtkę, vt in eius vita conſtat, italico idiomate Romæ conſcripta, & S. Virginis Tereſiæ vt refert Fr. Io. a IESV MARIA, numeratur. Quomodo

do in ſtatu innocentiæ nullus futurus eſſet dolor in partu Matrum qui iuxta illam ſententiam latam diuinam *in dolore paries* eſt pæna peccati, docet doctiſſimus Suarez de op. ſex dier. l. 3. c. 1.

Naſcentis Deiparæ tempus decernitur.

III.

OMnia ſæcula ex Io. Damaſc. or. de nat Virg. *certarunt quodnam Mariæ ortu gloriaretur*. Annus in controuerſia eſt apud Hiſtoricos Eccleſiaſticos Salianum Baronium & alios. Illum decernere placuit iuxta Saliani chronologiam. De eo Caniſ. l. 1. de Deip. c. 11. & Caſtro in hiſt. Deip. c. 2. fusè diſputant. Abul. in cap. 1. Matth. q. 91. incidiſſe natalem B. V. aſſerit in annum ab orbe condito 3947. a tranſmigratione Iſraelitarum Babylonem 576 ab vrbe condita 738. qui 22. fuit Auguſti Romæ imperantis Marco Druſo Libone & Lucio Calpurnio Piſone Coſſ. Aliter Baronius tempora diſtribuit feliciſſimi ortus Mariani nimirum ſub Conſulibus Furnio Nepote, & Iunio Silano. In conſulatu Lucij Domitij Ænobarbi, & Pub. Cornelij Scipionis contigiſſe opinatur Salianus cum annorum ſupputatione vt ſupra. Aliæ etiam calculationes annorum iuxta varias chronologias legi poſſunt apud Nouatum t. 1. de em. Deip. c. 4. q 1. Ego cùm non habeam vbi certũ pedem figam non amplius immoror.

De menſe, & die non ſinit nos dubitare Eccleſiaſtica traditio, ex qua habemus natam eſſe B. V. octaua Septembris poſt exactam nonimeſtris ſpatij à Beatiſſimo Conceptu per-

iodum. Accidiſſe eo menſe natalem Deiparæ, quo iuxta multorũ ſententiam natus eſt orbis terrarum Dei verbo Creatore omnia momento enitente non ſine auſpicio fuit, cum MARIA ſit vti appellatur à S. Bernard. hom. 2. de laud. Mar. *creaturarum reparatrix*. Autumnum beatiſſimum, non vini noſtratis, ſed nectaris cæleſtis fæcundiſſimum, quo B. V. nata fuit, atque inde totius orbis manauit hilaritas exprimit his egregijs verbis S. Io. Damaſc. or. 1. de nat. Virg. *Vinea vberrima ex Anna pullulauit, atque vuam Sanctiſſimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam*.

De hora magis dubia res eſt. Nocte natam eſſe aſſerit Gullielm. Durand. l. 7. ration. c. 28. atque illam illuminatam fuiſſe à tribus natiuitatibus Ioannis Luciferi, MARIÆ auroræ, Chriſti Solis. Congrũentius vt myſtica elogia MARIÆ, quæ vt aurora conſurgens terris irradiauit veritati ortus confouent Innoc. ſer. 2. Aſſumpt., Hugo Victorinus ſer. 24. S. Bonau. in ſpec. c. 9. Rupertus l. 8. commentar. in cantica, Richardus à S. Laur. l. 7. de laud. Deip., & alij ferunt aurora illuceſcente natã eſſe *Aurora de qua naſcitur. Sol iuſtitiæ ſolius Solis claritati ſuccumbens* dicitur B. Virgo à B. Pe. Dam. ſer. de Aſſ. & à Pet. Cluniac. in proſa de B. V. *Aurora ſolis præuia, & dies noctis neſcia*. Illuſtribus etiam Auroræ titulis celebratur ab Hug. de S. Vict. ſ. 34. S. Bern. in Sal. Reg. Innoc. 3. ſ. 2. de Aſſ. Ecberto in deprec. ad B. V. S. Bonau. lect. 11. ſpec. Rich. à S. Laur. l. 7. p. 463. Raym. Iord. p. 14. c. 18. & alijs.

Aliqui.

Aliquibus prodigijs illuſtre.

IV.

IN exortu Beatiſſimæ Infantis MARIÆ non tantum clementius illuxerunt mitiores, & hilariores Cæli faces, riſitque vniuerſa natura e diuturno veluti ſqualloreRecreata, ſed vt habetur in ſer. Angel. S. Birgittæ c. 7. *Angelicæ mentes feſtiuè plauſerunt, gloriam in Excelſis Deo, & pacem hominibus tunc primum concinentes*. De prodigijs, quæ acciderunt in natiu. B.V. Peibartus de Temmeſuuar. l. 1. p. 2. a. 2. ſic loquitur. *Mariæ natiuitas fuit portentis, & ſignis clarificata, quoniam ſecundum Theophilum hiſtoriog. ipſo die, quo nata eſt Maria plus ſolito Sol refulſit in duplo, & illa nocte Luna clarior coruſcauit, adeò quod pene ſolari ſplendore radiauit, & illa nubecula, quæ Lunam offuſcat per tempus à die natiuitatis Mariæ non comparuit, ſed circa globum ſolarem medium quaſi vna Stella magna claritate apparuit. Non multò ante exortum B. V. circulus circa Solem aureus apparuit* anno à Roma condita 710. vt refert Paulus Oroſ. l. 6. c. 18. ex Suetonio Seneca, Plinio, Dione, & alijs. Anno inſequenti Sol maximè illuſtris vt refert Dio. lib. 45. inter tres circulos radiauit, quorum vnus ardenti ſpina coronatus erat. Primo etiam anno triumuiratus ex Plinio l. 2. nat. hiſt. c. 31. tres Soles apparuerunt. Hæc omnia prodigia Soli Iuſtitiæ in ſua aurora iam radianti proludebant. Admirabile quoque fuit diuinæ prouidentiæ conſilium eo tempore MARIAM Deiparam naſci, quo Herodes Iudæorum Ty-

rannus maximè nitebatur omnem Dauidicæ familiæ poſteritatem e medio tollere. His verbis rem explicat doctiſs. Caniſ. l. 1. de Deip. c. 11. *Quam verò pulchrè, quam commodè tunc Maria naſcitur, quo furibundus, & ſtolidus ſimul diuini conſilij impugnator Herodes Regium Dauidis genus extinguere, ne quiſquam Meſſias procreetur, ſumma vi conatur. Vnde in communi fere omnium deſperatione, & cum Sathan diuinum perturbare decretum maximè nititur Ioachim, & Anna ex Dauidis ſtirpe ſuperſtites coniuges diuinitus eliguntur, qui Meſſiæ Matrem lectiſſimam vel inuitis Herodianis in lucem proferunt.*

Patria.

V.

FOrtunatiſſimam Patriam vbi concepta, & nata eſt B. Virgo communis ſenſus fidelium præter innumerabiles Doctores putat eſſe Nazareth Galileæ Prouinciæ Vrbem. Ita auctor lib. de ort. Virg. qui S. Hieron. adſcribitur. Natam B. V. Bethlemij, communemque Matri cum filio patriam fuiſſe cenſent Chriſtianus Druthmarus in c. 1. Matth. & Theoph. in c. 2. Luc. Abul. in c. 2. Math. q. 91. putat Dei Matris patriam ſephoram fuiſſe, pagum tres leucas à Nazarena Vrbe diſtantem. Non defuere Doctores qui B. V. conceptam, & natam fuiſſe Hieroſolymis affirment, inter quos eſt Adrycomius in deſcript. Hieruſ. nu. 37. nec diſſentit Barrad. t. 1. l. 6 c. 5. cum alijs. Hanc eſſe communem traditionem orientalium præſertim incolarum terræ Sanctæ, quæ conſtructione

Magni-

Magnifici templi, ac Monaſterij Sanctimonialium in loco, vt aiunt Concept. & Natiu. eiuſdem B. V. ad honorem S. ANNÆ eius Matris confirmata eſt, teſtatur Fr. Quareſmus c. 2. ſuæ eluc. l. 4. c. 12. per. 3. De hac domo, quam probaticam appellat, S. Io. Damaſc. l. 4. de fid. c. 15. Sic idem loquitur. *In lucẽ editur Virgo in domo probatica Ioachimi*, & or. 1. de Nat. B. V. *Fauſta tibi ſint omnia o probatica Regina domiciliũ!* Adſtipulantur huic ſententiæ præter relatos Gulliel. Tyrius l. 11. de bell. ſac. c. 1. Bonifacius l. 2. de per. cult. terræ Sanctæ, auctor epitomes bell. Sac. Vitriacus, Sannutus, Gulliel. de Baldenſel in ſuo Hodæpotico, & alij. Huius templi in domo probaticæ conſtructi deſcriptionem affert alleg. Quareſmus loc. cit. An de hac domo probatica intelligenda ſint verba quæ habentur lib. 5. reu. S. Birgittæ dubium eſt. *Ergo qui ad locum* inquit *iſtum Sanctum vbi Maria nata & educata fuit, venerit, non ſolum mundabitur, ſed & erit vas in honorem meum*. Cenſeo probabilius in illis verbis ſignificari Nazarenam domum non ſolum natiuitatis Matris, ſed conceptionis Filij patriam. Subſcribo lubentius ſententiæ agnoſcentium tanquam Deiparæ naſcentis patriam Nazareth, non Hieroſolymam, & videtur eſſe communis veterum, ac recentiorum, vt iam non ratione tantum Filij, ſed Matris aboleri debeat boni Nathanaelis dictum. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?*

Porrò Nazareth, prout illam terræ Sanctæ Topographi deſcribunt eſt parua Ciuitas in Galilea inferiori in Tribu Zabulon Monti imminens, & ſterilibus rupibus coronata. Eam

claudunt ab ortu Syria, ab occaſu Phænicia, a ſeptentrione Libanus Mons, a meridie Samaria. A voce Hebraica NEZER deducitur, quod virgultum, ſiue florem ſignificat. In eo quod Lucas c. 1. IESVM Chriſtum in vrbe Nazareth conceptum aſſerat & Matth. c. 2. Nazaræum vocet alluditur ad illud Iſ. c. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet* vt docent S. Hieron. in hunc locum, & Nicol. de Lyr. ad ea verba *cui nomen Nazareth*. Nam vbi legimus *& flos de radice eius aſcendet* textus Hebraicus legit. *& Nazaræus de radice eius aſcendet*. Nazareth deinde Hieroſol. diſtat 30. leucis itinere trium dierum vt docet Aranda in prol. l. de ter. ſancta cum alijs. Eſt inter Mare Galileæ & mediterraneum 25. milliaribus vtrinque diſtans; prope Montem Thabor glorioſiſſimis ſplendoribus diuini Solis illuſtriſſimum. Iure in vrbe florũ Nazareth nata eſt B. V. quæ *Paradiſus nouus* dicitur a Rup. Abb. l. 4. in cant. *Paradiſus immortalitatis ſemper vigens* a Greg. Neocæſ. tr. 2. de Ann. *Paradiſus deliciarum, totiuſque amœnitatis* a S. Ephrem. in laud. B. Virg. *Paradiſus voluptatis* a B. Pet. Dam. ſ. de Annunc. Nec ſolum B. Virgo, ſed eius Virgo Sponſus Sanctiſſimus Ioſephus flos virginitatis Nazareth vt patriam ſuam agnoſcit. Neque obſtat Iuſtinus Martyr in dial. cum Tryphon. vt oſtendit Fr. Quareſmus t. 2. l 7. c. 5. per. 2. At nihil magis condecorat, extollitque ad Cælum Nazarenam vrbem, quam concepti Dei Filij patriam fuiſſe, eius præſentiæ beatiſſimæ luce, exemplíſque diuinis, a primis annis vſque ad trigeſimum conſecratam, & factam totius

tius Mundi Metropolim ipſi Cælo inuidendam.

Et Angelica cuſtodia.

VI.

ANgelum Cuſtodem datum eſſe a Deo almæ Virgini ab ipſo ortus exordio ferè ab omnibus receptum eſt, communiſque eſt SS. Patrum, & Sacrorum Doctorum ſententia. Id diſertè tradunt ex SS. Patribus S. Hildeph. ſ. 5. de Aſſ. S. Bernard. epiſt. 77. & alij: ex Sacris Doctoribus Abul. in c. 8. Matth. q. 6. & Suarez l. 6. de Ang. c. 17. cum alijs. Negant Angelo in natalibus ſuis concreditam fuiſſe Deip. Virginem Mayro, & eam ſequutus Pelbartus ſ. 5. Stell. p. 2. a. 1. Hi contendunt obijſſe munus Cuſtodis Angeli ipſum Deum. Admittitur tamen Angelus ab iſtis non ad cuſtodiam, ſed ad famulatum. Cum Angelica cuſtodia nullam importet imperfectionem, nouum hoc priuilegium exemptionis in B. Virgine ſine neceſſitate adſtruendum non eſt. Rationes cur debuerit deputari Cuſtos Angelus vti etiam contrariæ ſententiæ affert Fr. Mendozza in viridario l. 2. probl. 9. ſed ait etiam ipſe non fuiſſe illi *Rectorem, ſed ſeruum*, vnde approbat opinionem Cedreni in comp. hiſt. Gregor. Nicom. hom de obl. Virg. & Ambroſ. lib. 2. de Virgin. quod ab Angelo, & vt ipſe putat cuſtode, dum in Sacro Templi Parthenone degeret, alimoniam cæleſtem receperit.

Hunc Angelum Cuſtodem fuiſſe ex ordine ſeraphico putat idem Mend. loc. alleg. imò omnium Angelorum primum. Sed hoc omnino caret fundamento efficaci, licet reddatur

minus improbabile in ſententia Scoti in 2. d. 10. q. 1., & Durandi ibidem q. 1. dicentium mitti in miniſterium hominũ, Angelos omniũ ordinum, iuxta Apoſtolum ad Heb. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus*. Ad quem locum alludens S. Bern. ſ. 1. de S. Michael. ait. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi, neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipſe quoque Creator, & Rex Angelorum venit non miniſtrari, ſed miniſtrare*. Aſſeritur a multis cuſtodem hunc Marianum fuiſſe Gabrielem magni deinde Conſilij Incarnationis diuinæ legatum Chriſtophor. Caſtro l. 2. hiſt. n. 9. Ferardo in append. ad V. Angelus, & alijs. Archangelum fuiſſe Sanctum Gabrielem ex penultimo ordine cõmunis fert ſenſus fideliũ. At S. Bern. hom. 1. in miſſus eſt S. Greg. Mag. hom. 34. in Euang. Scotus Durandus, & alij in primo Seraphinorum ordine collocant. Imo Mendozza problem. alleg. primatem omnium Angelorum fuiſſe opinatur. Illud non placet quod aſſerit Abul. in c. 18. Math. q. 60. mutatos fuiſſe Angelos Cuſtodes B. V., & attributum fuiſſe Angelum infimi Ordinis à natiuitate vſque ad conceptionem Diuini Verbi, quia priuata perſona erat, deinde vſque ad mortem ãlij vnum e Supremo Ordine Seraphico, quia tunc publica perſona erat, ex qua ſalus hominum mediatè dependebat. Non eſt adſcriptus cuſtodiæ Deip. Sanctiſſimæ Angelus, vt eſſet Antagoniſta Satanæ internas ſuggeſtiones inſerentis, atque ignea tela inimici repelleret; nam his internis ſuggeſtionibus caruiſſe illam docent Mag. in 2. d. 8. & D. Th. 1. p. q. 111. cum alijs Theologis communiter. Cum hoc

Angelo

Angelo Cuſtode non negarim plures Angelos fuiſſe, vt docet Fulb. ſ.3. de natiu. B.V. Reginæ ſuæ veluti latus ſemper ſtipantes, & famulantes, cui ille cuſtos præerat.

Eiuſdem perfectiſſimum temperamentum.

VII.

EX Filij temperamento maternum perfectiſſimum quam ſimillimum conijcere licet, cum præſertim Virgo Mater ſingulari inter alias priuilegio totam materiam, ex qua Spiritus Sanctus Sanctiſſimum Ieſu Chriſti corpuſculum formauit, ſola ſuppeditarit. Quis porrò de virgineo corpore altè non ſentiat, quod futurum erat aliquando portio corporatæ Diuinitatis, vt piè conſiderat B. Pet. Dam. ſ. 1. de natiu. Virg. cum alijs? Non tamen dixerim in elegantiſſimo Magnę Virginis corpuſculo fuiſſe temperamentum omnino ad pondus, vt contendit Zamorrus l. 2. de emin. Deip. perfect. c. 29. quia Philoſophi communiter illud eſſe ineptum ad humanam vitam pronunciant. Verius eſt temperamentum ad iuſtitiam perfectiſſimum habuiſſe, quod probat Dyoniſ. Carthuſ. l. 1. de laud. Deip. a. 32. multis modis.

Perpetua ſanitas.

VIII.

APpendices temperamenti perfectiſſimi fuere ſanitas corporis, & formæ dignitas. Prima omnem morbum excluſit, vt probat Suarez t. 2. in 3 p. d. 2 ſ. 2. cum alijs multis. Vnde nec morbo laborauit, vt ſuo loco dicemus cum ex hac vita migrauit in Cælum ani-

mo, corporeque tranſcripta. De ſecunda plura dicenda ſunt ex SS. Patrum teſtimonijs.

Eximia pulchritudo.

VIIII.

EXimiam virginei corporis pulchritudinem ſic exprimit Ricch. a S. Laurentio l. 5. de Deip. *Si quis* ait *quærat de pulchritudine corporali Diuæ Virginis congruentiſſimè mihi videtur poſſe dici, & credi eam præ filiabus hominum ſpecioſam, quæ ſpecioſum forma non ſolum præ filijs hominum, ſed etiam præ millibus Angelorum ſuæ carnis ſubſtantia veſtiuit vnigenitum Dei; non enim conuenienter tota pulchra, & ſine macula apellaretur, niſi ſecundum diſpoſitionem, & figuram corporis, & colorem faciei pulcherrima, & ſine macula appareret.* Similis eſt Philipp. Abb. l. 2. in cant. c. 1. nobiliſſima ratiocinatio. Præluſerunt his Patres luculentiſſimis teſtimonijs S. Epiphan. in Encom. *Mariam totam ſpecioſitate plenam apellat:* And. Cret. or. de Aſſ. *a Deo ſculptam ſtatuam rectè deſcriptam viui Archetypi imaginem:* S. Io. Damaſc. or. de natiu. *totius naturæ venuſtatem.* Illuſtria de eius eximia pulchritudine elogia leguntur apud And. Hieroſol. ſ. de Aſſ. D. Anton. t. 15. c. 10. Niceph. in comp. hiſt. l. 2. c. 23. Alb. Mag. ſuper miſſus eſt c. 45. Viegas in cap. 12. Apoc. tom. 2. ſ. 3. & Benzonius in magnif. l. 3. c. 34. Mariani corporis formam, ac venuſtatem in ſingulis membris celebrant. Sed a nullo luculentius deſcribitur ſingularis pulchritudo Deip. Sanctiſſimæ, quam a Cæleſti Sponſo in Sacris Canticis, dum illi dicitur *ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra*

es;

es: oculi tui columbarum. Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias. Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Oſtende mihi faciem tuam: Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quam pulchra es amica mea quam pulchra es! Oculi tui columbarum abſque eo quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut greges Caprarum, quæ aſcenderunt de Monte Galaad. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro. Sicut vitta coccinea labia tua. Sicut fragmen mali punici ita & genæ tuæ. Sicut turris Dauid collum tuum. Quam pulchræ ſunt Mammæ tuæ Soror mea Sponſa? Pulchriora ſunt vbera tua vino. Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum. Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis? Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliјs, quam pulchra es, & quam decora chariſſima in delicijs? Pulchra es amica mea ſuauis & decora ſicut Hieruſalem ac Tandem *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te*. Salazar. in Prou. ad c. 31. eximiam B. V. pulchritudinem non ſolum naturæ, ſed miraculo tribuendam eſſe aſſerit. Ricchar. Victor. c. 26. in cant. vultum ei Angelicum adſcribit. Dyoniſius Areop. planè diuinum appingit; nam in epiſt. ad Paulum Mundi Doctorem, ac prçceptorem ſuum commendat *Deiformem præſentiam* (eius verba ſunt) *Altiſſimæ Virginis* ſupra omne Angelicum decus, & gloriam, quam ipſe concipiebat beatorum, aitque ſe in ſuſpicionem adductum ex tantæ pulchritudinis Maieſtate, corporatæ alicuius Deitatis, & aſſenſurum planè, niſi fides renuiſſet. Etiam S. Auguſtin. & S. Hieron.

apud

apud Salaz. c. 42. pronunciant *pulcherrimam Dei formam*. Subſcribant vnanimi ſuffragio SS. Patribus Doctores Scholaſtici cum D. Th. in 3. d. 3. q. 1. a. 2. Omnia collegit Io. Gerſon Alphab. 82. litt. A. B. Virginem tanquam epilogum totius pulchritudinis prædicans, & venerans ex Principis Theologorum Dyon. Areop. doctrina his verbis. *Pulchritudo & ſpecialitas qualibet reperta in creaturis omnibus ſparſim tota colligitur in Beata, & Pulcherrima mulierum, vel formaliter, vel eminenter. Hac eſt enim regula D. Dyon. Hierarchias ordinantis.* De eximia pulchritudine MARIÆ fusè agunt, & magnificè S. Epiph. or. de laud. Virg. Ricch. de S. Vict in cant. c. 26. ad illa verba *Tota pulchra es*. Alb. Mag. l. 1. de laud. Virg. a. 3. S. Bonau. in ſpec. c. 14. Dyoniſ. Carthuſ. l. 1. de laud. Virg. a. 35. & alij. Huius vltimi verba omittere non debeo. *A planta* inquit *pedis vſque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine neque in corpore, neque in anima indecens, reprehenſibile, in decorum, imo totum fuit diuina Sapientia circino formatum*. Ipſe Dei Filius, qui æterna ſapientia eſt, oraculum veritatis, & vnicum Verbum, in quo omnia a Patre dicta ſunt, Matrem ſuam pulcherrimam ſuper omnia, S. Birgittæ prædicauit l. 1. reuel. c. 5. his verbis. *Angeli conſiderant alter alterius pulchritudinem, & pulchritudinem omnium animarum, & omnium corporum admirantur, ſed anima tua pulchritudinem vident eſſe ſuper omnia, qua creata ſunt, & corporis tui honeſtatem excellere omnes homines, qui creati ſunt; & ſic omnes Angelos; & omnia, qua creata ſunt excellis pulchritudo tua.*

At

At eminentiſſima hæc, & fere inexplicabilis pulchritudo corporea B.V.a ſpirituali longè ſuperata eſt; nam eſt *gloria filiæ Regis ab intus*. Certè iuxta Ambroſ. l. 2. de Virg. ſi de vllo alio, de B. Virgine potuit dici. *Species corporis ſimulacrum eſt mentis, figura probitatis.* Hanc interiorem elegantiam piè, & fusè deſcribit ſapiens Idiota in l. contemp. c. 3. De ea etiam egregiè philoſophantur S. Bern. hom. 3. ſuper miſſus eſt S. Auguſt. ſ. 6. de temp. Rup. Abb. l. 3. in cant. & alij innumeri. Hanc Deus vnam concupiſcit, vt commentatur ſuo more ſapientiſſimè S. Greg. Mag. l. vlt. mor. explicans illud Iob. 42. *non ſunt inuentæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Iob in vniuerſa terra*. Et alludens ad illud Pſ. 4. *concupiuit Rex ſpeciem tuam*, & ad id quod paulò poſt ſubditur. *Gloria, Filiæ Regis ab intus*. Eſt vt ſcripſit S. Auguſt. tract. 32. in Io. iure, & merito *decus corporis animus, decus animi Deus*. Fuit vt teſtatur Henricus de Haſſia apud Dyon. Carthuſ. l. 2. de laud. Virg. a. 2. his verbis *Maria plena gratiæ, optimæ compaginis naturalis, ſingularis pulchritudinis corporalis, decentiſſimæ habitudinis moralis*. Liceat ergo mihi eam glorioſiſſimis titulis Georg. Nicom orat. de Obl. Salútare. *O pulcherrima pulchritudo pulchritudinum! O Dei genitrix pulchrorum omnium ſummum ornamentum!*

Sed quæ ad amorem puritatis, cultumque excitabat.

X.

EXimiam B. Mariæ pulchritudinem ad amorem, cultumque puritatis excitaſſe ſpectatores

ẽtatores ſuos docet S. Th. in 3. p. d. 3. q. 1. a. 2. ex D. Ambroſ. de inſtitut. Virg. c. 7. vt infra dicemus. Hæc eſt communis SS. Patrum, & Doctorum ſcholaſticorum ſententia. Pulchritudo reuera, vt ex protophiloſophi Pythagoræ documentis habemus videtur *quid reuerendum, & admiratione dignum*. Eam *mutam commendationem* appellauit Publius Syrus, *Regnum abſque ſatellitio* Carneades, *ſilentem fraudem*. Theophraſtus, *crudelem Tyrannum* Socrates, *natura priuilegium* Plato apud Carthag. t. 2. l. 2. hom. 5. & *Dei donum* magna græcæ, & latinæ Eccleſiæ lumina Io. Chryſ. in Pſ. 50. & Auguſt. l. 15. de Ciuit. Dei c. 12. Sed hic Sol ſuas maculas habet, nam illicit frequentiſſimè ad turpes amores. Beatiſſima Virgo *ſicut myrrha electa dedit odorem ſuauitatis*, vnde forma elegantiſſima a libidinis corruptione intuentes præſeruabat. Omnium SS. Patrum inſtar, mihi ſit Chriſtianus Plato, Ambroſius. *Tanta* ait ipſe de inſtit. Virg. c. 7. *erat eius gratia, vt non ſolum in ſe virginitatem ſeruaret, ſed etiam ſi quos inuiſeret integritatis inſigne conferret.* Idem docent vtriuſque magnæ Schuolæ Principes S. Th. & S. Bonau. Angelicus Doctor loco iam alleg. hæc habet. *Gratia Sanctificationis non ſolum repreſſit in Virgine motus illicitos, ſed etiam in alijs efficaciam habuit, ita vt quamuis eſſet pulchra corpore a nullo concupiſci potuerit.* S. Bonau. ſic ait. *Quidam Iudæi aſſerunt hoc mirum fuiſſe in Virgine quod cùm eſſet pulcherrima, tamen a nullo vnquam viro fuerit concupita.* Idem conteſtantur Gerſon, Maior, Alenſis, Gabriel, Dyon. Carthuſ. apud Carthage. loco iam ſupra adnotato,

tato,

tato, & Simon de Caſſia, Cantiprat.Henricus de Haſſia, Malonius, Matth. Naueus, alijque apud Raynaudum in Diptycis Marianis p. 1. puncto 2., ſed in re perſuaſiſſima ſuperuacaneum eſt teſtimonia cumulare.

Admirabilis ſplendor.

XI.

AVctarium natiuæ pulchritudinis Beatiſſimæ Virginis fuit quidam ſplendor ſupra naturæ merita vultui virgineo cęlitus affuſus, qui S.Dyon.Areop.ſupra relato quendam diuinitatis ſenſum iniecit. Exemplum Moſaicum ad hunc admirabilem ſplendorem Marianum confirmandum adducit Dyoniſ. Carthuſ. l. 1. de laud. Virg. a. 36. Rich a S.Laur. l. 5. de Deip ex Euangelio etiam Nazaræorum id probat, dicitq; Virginem Sponſum S. Ioſephum poſt Verbi Diuini Incarnatione n non potuiſſe in eam oculos defigere. Non fuit incongruum MARIÆ ſaltem identidem conferri ſplendorem, qui fuit Iuditæ illi Hebreæ Amazoni, alijſque conceſſus. An Mater ea luce careret, quæ ſeruos ſæpius circumfulſit? De Rachele legimus Gen. 24. *erat decora facie, & venuſta aſpectu*: De Eſthere 1 Eſth. *erat formoſa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis amabilis & gratioſa videbatur. Multæ filiæ congregauerunt diuitias*, ſed Dei Mater *ſupergreſſa eſt vniuerſas*, vnde ait Io. Damaſc. or. 1. de natiu. *Eſt pulchritudo Mariæ ornamentum Eccleſiæ Dei*, & alludit ad illud Eccleſ. 26. *Sicut Sol Oriens Mundo in altiſſimis, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus eius.*

Singu-

Singularis fragrantia.

XII.

INſignem a primis natalibus fragrantiam corpori Beatę Virginis attribuunt Fernandius in c. 49. Gen. Carthag. l. 2. de an. B V. hom. 5. ex Dyoniſ.Carthuſ.l. 1. de laud. Virg. a. 36. cuius hæc verba ſunt. *Cur non putetur credibile, quod Virginea eius caro dulcem ſit ſortita odorem?* Admirandam hanc ſuaueolentiam teſtatur S. Dyon. Areop. in epiſt. quam ad Paulum ſcripſit relatus a Ferreolo l. 5. de Mar. Aug. c. 6. *Tanta* ait *etiam omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet totius, ac tantæ felicitatis inſignia ſuſtinere.* Indicare poſſent hanc fragrantiam illa, quæ dicuntur cantic. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Sed hæc, & ſimilia, quæ habentur in Sacro Epithalamio communiter a SS. Patribus in ſenſu myſtico de odoramentis virtutum explicantur. Hic odor, ſi fuit in B. V., iuxta doctrinam Ariſtotelis in problem. q. 12. & Galerni l. 4. de ſimplic. medicam. c. 22. ſuperat vires naturæ. Ille odor in B. Virgine admittendus non eſt, qui in alijs coemptus, & arte quæſitus molliciem ſapit, ac vitio vertitur iuxta illum verſiculum ab ipſo S. Hieronym. adductum *non bene ſemper olet qui bene ſemper olet.* Alium odorem identidem expirantem, *cuius emiſſiones Paradiſus* admittere ab horto concluſo, quem ſemper viuificus diuini amoris auſter perflabat, incongruum non eſt.

Pulcher-

Pulcherrima totius corporis lineamenta.

XIII.

ALmæ Virginis lineamenta omnia, & elementa elegantiſſimæ corporeę pulchritudinis minutè explicant Pe. Ribaden. Maſellus, & alij Marianæ vitæ ſcriptores. Omnibus præiuit S. Epiph. nobiliſſima hypotipoſi apud Niceph. l. 2. c. 23. ſic B. V. totam deſcribens. *Erat in rebus omnibus honeſta, & grauis; pauca admodum, eaque neceſſaria loquens: ad audiendum facilis, & per quam affabilis: honorem ſuum, & veritatem omnibus exhibens: ſtatura mediocri, quamuis ſint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem exceſſiſſe dicant. Decenti dicendi libertate aduerſus homines omnes vſa eſt, ſine riſu, ſine perturbatione, & ſine iracundia maximè. Colore fuit triticum referente, capillo flauo oculis alacribus, ſubflauas, & tanquam olea colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, naſus longior, labia florida, & verborum ſuauitate plena; facies non rotunda, & acuta, ſed aliquanto longior, manus ſimul, & digiti longiores. Erat denique faſtus omnis expers, ſimplex, & minimè vultum fingens, nihil mollitiei ſecum trahens; ſed humilitatem præcellentem colens. Veſtimentis, quæ ipſa geſtauit coloris natiui, contenta fuit, id quod etiam nunc Sanctum eius velamen oſtendit. Et vt paucis dicam in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia.*

Et alia nobiliſſima decora celebrantur.

XIV.

INter alia decora nobiliſſima B. V. aliqui numerant vim quandam electricam in

vultu

vultu virgineo, qua veluti magnes cordium omnium ſibi amorem puriſſimum conciliabat. Ipſa cum Filio ſimilitudo Matris id ſuadet. De Chriſto Domino ſunt luculentiſſima elogia Theodor. in or. de charit. D. Anſ. l. 1. cur Deus homo c. 21. Origenis l. 1. contra Celſum S. Auguſt. in Pſ. 127. D. Bern. ſ. 61. in cant. *Niſi* inquit S. Hieron. in epiſt. ad Princ. *Chriſtus habuiſſet in vultu quiddam ſidereum, nunquam eum ſtatim ſequuti fuiſſent Apoſtoli.* Alibi etiam nimirum in cap. 9. Matth. vultui diuino magneticam cordium vim attribuit. Hanc vim omnino diuinam apellat S. Io. Chryſ. hom. 13. in Marcum his verbis. *In vultu Saluatoris fuit aliquid diuinum, quod videntes homines ſequebantur.* Similem Filium fuiſſe Matri, & e conuerſo, fidem faciunt illa, quæ habet Niceph. l. 1. hiſtor. c. vltimo, cui conſonat D. Ambroſius l. 3. de Virgin. dicens. *Chriſtus Matrem corpore, virtute referebat Patrem.*

De virtute conſolandi miſeros, eorumque mala releuandi loqnitur S. Birgitta in ſerm. Angel. c. 13 his verbis. *Quemadmodum Deus, & Angeli de Virginis anima venuſtate gratulabantur in Cælis, ita etiam gratiſſima eius corporis pulchritudo, omnibus eam cernere cupientibus vtilis fuit, & conſolatoria in terris.*

Inter alias perfectiones B. Virginis hanc enumerat Io. Carthag. t. 1. l. 2. hom. 5. ex Galatino l. 7. de arcanis eo ſpiritu prophetiæ donatam fuiſſe Deip. Sanctiſſimam, *vt ſi forte aliquid illicitum viſura, vel auditura eſſet, ſtatim eius oculi, & aures clauderentur, ita vt eius membra, & ſenſus omnes non niſi voluntati diuinæ deſeruire viderentur.* Huius priuilegij fundamen-

damentum efficax non video, vti etiam dotum, quæ eius corpus, vt aſſerit Io. Gerſon tract. 4. ſuper Magnificat not. 1. beatum ſecundum quid redderent in hac vita mortali.

An naſcens ſordibus.

XV.

ILlibatam ex materni vteri adytis prodijſſe, ac nitidam, non illitam ſordibus iuxta communem naſcentium legem aſſerit S. Hildephonſus ſ. de natiu. cuius initium eſt Audite Fratres, his verbis. *Non ſic eſt nata ſicut ſolent pueri, & puellæ naſci, ſed Mundo corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta eſt.* Addit l. 3. tract. 9. c. 4. ſed non de ſuo, & ſine fundamento prodeuntem in lucem B. Virginem inſolito fulgore radiaſſe. Hoc nouum priuilegium adſtruere non audeo, quod in omnium mortalium oculos, tanquam inſolens prodigium, incurriſſet. Ingens fuit miraculum ex parentibus ſterilibus MARIAM naſci, quod ſumma deinde mundities conſequuta eſt in partu, & formæ nitor, vt ſupra celebrauimus. De his tantum prærogatiuis S.Hildeph. & alij Patres loquuti ſunt. Eodem calculo reijcio, quæ de conſtantia Marianæ pulchritudinis nunquam ſeneſcentis, cum eodem ſemper primigeneo flore vſque ad vltimam ætatem aliqui comminiſcuntur. Summa fuit MARIÆ pulchritudo, ſed annis conſona, & ſuas ætates habuit. Sicut enim mortua eſt ita conſenuit, neque his mortis præludijs caruit. Nihil hoc tamen de eius amabilitate detraxit, cum ſit cuique ætati pulchritudo conueniens.

An

An nata lachrymis, & vagitibus caruerit.
XVI.

INfantulam Deiparam lachrymis, & vagitibus caruiſſe primis naturæ vocibus, Mundum, in quo tantam molem miſeriarum, cum primùm in lucem editur, ſpectat auerſantis, affirmat Chriſtoph. Auendanius ſer. de natiu. diſc. 5. Probat ex ſtatu innocentiæ feliciſſimo, in quo vti dolore Matrum, ità prolis lachrymis, & vagitibus, doloris teſtibus ex S. Auguſt. 14. de Ciu. Dei c. 26. & S. Th. 2. 2. q 164., & alijs puerperia caruiſſent. Hoc miraculum Patrono fulcitur, ſed ratione deſtituitur, nec ſine fundamento adſtruendum eſt. Omninò gratis dicitur cauſas naturales lachrymarum, & vagituum fuiſſe impeditas diuinitus, quo minus ſuos effectus haberent. Et certè ſi lachrymas, & vagitus Infantis Dei agnoſcimus, ſuauiamur, veneramur, adoramus cum SS. Patribus præſertim Anſelmo lib. de excell. Virg. c. 4. Auguſt. in ſer. de nat. Dom. Gryſ. hom. 2. in Luc Leone ſer. 2. de nat. & alijs, canente etiam S. Eccleſia *Vagit Infans inter arcta conditus præſæpia*; cur amolimur à Matre, quod admittimus in Filio? Conceſſæ ſunt B. Virg. illæ prærogatiuæ ſtatus innocentiæ, quę ad Sanctitatem pertinebant. Aliæ ſine auctoritate SS. Patrum, & rationis pondere inuehendæ non ſunt. Ad illas tamen quantum ſine nouis miraculis fieri poterat, vt Pelbartus notat l. 5. Stell. p. 2. a. 2. c. 2., maximè inter homines Deipara Virgo acceſſit.

In

In hoc primo ſuo ortu Regina rerum piè ſalutatur.

XVII.

SED hæc ſufficiant de feliciſſimo B.V. MARIÆ ortu, quæ quanquã vt canit Eccleſia *Sancta, ex regali progenie exorta refulget*, poteſt tamen cum Filio ſuo illud Io. 5. de ſe prædicare *claritatem ab hominibus non accipio; generoſitatem enim eius*, vt habemus ſap. 8. *glorificat contubernium Dei*. Theogenia veriſſima, non genealogia laudanda eſt in Dei Matre, de qua, vbi diximus *Natus eſt Ieſus* omnium elogiorum epitomem dedimus. Hinc *illam beatam dicunt omnes generationes*. Ipſam mihi quoque liceat nunc primùm naſcentem inter Angelicos Choros, totiusque Cæli, ac Terræ feſta hillaria ſalutare, & hoc qualecunque genethliacon balbutire. *Aue Eua innocens nuſcituri Dei, & renaſcituri orbis magna Mater, quæ naſcens progrederis quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*, vt cum S. Bern. loquar ep. 174. Reſtauratrix ſeculorum, vt in Hym. græc. canitur apud Bute. p. 111. *releuatio Adami, ſolutio maledictionis*, & vt Theophanes ſcripſit hym. de annunc. *receptaculum Dei, reuocatio Adæ, Euæ redemptio. Aue* (S. Greg. VII. verba ſunt l. 8. ep. 22.) *Regina Summa Cæli, ſuper omnes Choros Angelorum exaltata, decus, & gloria omnium mulierum, ſalus, & nobilitas omnium electorum, caput, & vita omnium bonorum. Aue mortalium beatiſſima* cum S. Germano loquar or. de præſent. Deip. *pretium, pretiorum præmium præmiorum, exaltatio exaltationem. Aue* vt verbis vtar Giſel. c.

19.

19. alterc. *radix æterni floris, flos, & fructus æternæ benedictionis!* *Aue* quo nihil ſublimius dici poteſt vt ſalutat Seraph. Doctor Bonau. in ſpec. *requies Sanctiſſimæ Trinitatis quæ te* (liceat mihi prophani Poetæ verſiculos 1. En. conſecrare.

tam læta tulerunt.

Sæcula, qui tanti talem genuere parentes?

Vale o valde decora ſpecie tua & pulchritudine tua intende proſpere procede, & regna. Iam impletum eſt in Te lætiſſimum Euangelici Prophetæ c. 11. oraculum. *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Nam ex S. Ambroſio hic *radix, familia Iudæorum, Virga Maria, flos Mariæ Chriſtus. Meritò in Te* (mellea Bern. melliflui verba ſunt ſ. 1. de Pentec.) *reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in Te, & per Te, & de Te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit.* Habetis hunc diem mortales vt ex. 12. dicitur *in monimentum, & celebrabitis eum ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno:* Ab hac die verius, quam per adulationem fingere magnus Poeta potuerit aurea ætas gratiæ auroram habet, *auroram* vt loquar cum Hug. de S. Vict. ſer. 34. *de qua naſcitur Sol iuſtitiæ, ſolius Solis claritati, ſuccumbentem.*

Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt ſaturnia regna.

Vnde concludere libet cum piiſſimo Pet. Dam. de nat. Deip. ſer. 3. *Exultemus, & ſicut gaudere ſolemus in Natiuitate Chriſti; ità etiam gaudeamus in Natiuitate Matris Chriſti. Hodie nata eſt Regina Mundi, feneſtra Cæli, Ianua Paradiſi, Tabernaculum Dei, Stella Maris, Scala*

Cæleſtis

Cæleſtis per quam ſupernus Rex humiliatus ad ima deſcendit, & homo, qui proſtratus iacebat ad Superna exaltatus aſcendit. Hodie apparuit Stella, per quam Sol iuſtitiæ illuxit Mundo, illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur orietur Stella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael. Hodie nata eſt ſplendidiſſima illa Virgo, ex qua proceſſit ſpecioſus forma præ filijs hominum tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo. Hodie prodijt ex vtero Matris, quæ templum fieri meruit Diuinitatis.

INDITVR
Sanctiſſimum Mariæ nomen.
ETYMON.

ELOG. VI.

Et videbunt Gentes Iuſtum tuum, & cuncti Reges Inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui. Iſa. 62.
Et nomen Virginis Maria. Luc. 1.

Aſſurge Grammatice ſcientiarum infima:
vbi huius nominis Etymon explicueris,
ſuprema eris.
Vna hæc triſyllabæ vocis
philoſophia nominalis
ad veram theologiam manuducet.
Fallor in etymo nominis ſummè laudabilis
interpres, oratorem agit, non grammaticum.
Imò ſunt ipſius nominis litteræ
inſolenti prodigio ſine vocibus eloquentes,
IOACHIMO & ANNÆ legatus Angelus,
Vt omnia naſcentis auſpicia explicaret
arcanis notis;
MARIAM dixit,
& hac ſola nominis Maieſtate
magnam legationem impleuit.
Maiorem tamen adornabit,
cum e nomenclatore ſalutator
MARIÆ nomini
VERBVM Dei coniunget.
Angelus e Cælo primus nomenclator

nomen MARIÆ
Angelorum idioma eſſe demonſtrat.
Ab Angelis translatum inter homines,
homines cum piè profertur transfert
in Angelos.
Inquilinum Cæli, patria lingua editur
cum Angelica:
barbariſmus erit ſi humanè loquaris.
Vt Angelico more MARIAM homo dicas;
cum illam dicis, moribus Angelum indue.
Nunquam erit ſcitè prolatum,
niſi cum terrenum exemplum
cæleſti reſpondebit autographo.
In MARIA numen potius quærerem,
quam nomen;
niſi ipſum nomen numinis
hieroglyphicum eſſet.
Vti MARIÆ nomen ſolus edidit Deus,
ita ipſa ſola edidit Deum VERBVM,
& authoritatem quaſi fecit
Authori ſuo.
Dominam MARIA ſonat & ſtellam:
Domini Stellam, Stellarum Dominam.
Nihil prorſus in MARIA terrenum inuenies;
ne quidem nomen.
Nec immeritò in eius nomine Cælum ſtellat,
in cuius ſinu Deus habitat.
In ſolo MARIÆ nomine habemus
ſolidum etiam in terris firmamentum.
Idem Cælum diuiſis officijs
in Matrem, & Filium
Filij gloriam lingua flammarum
orator enarrat:
Matris nomen amanuenſis
ſcribit calamo lucis.

Vt

Vt nomen MARIÆ propriè
ſine metaphora daret
translatum in terras Cælum eſt.
Fictor omnium Deus
vnius nominis onomatopeia
ſuos amores ſcripſit.
Et vt ſcias MARIAE nomen
anagrammatiſmum amoris eſſe
in amoris ipſius archetypi
typographia impreſſum
earundem litterarum, & rerum veritate
MARIA non AMARI non poteſt.
Orbis terrarum totus primi hominis
nomen compoſuit
quadrifido ſuarum partium tetragrammate
ANATOLI DISI ARCTO MESEMBRIA
litteratis ſuis capitibus ADAM conflante.
MARIAE nomen
ipſi ſuis ſtellis ſcribunt cæleſtes orbes.
Idiotiſmum Paradiſi,
Sola poterant aſtra explicare.
Indelebile ſcias æternis voluminibus
inſcriptum nomen:
non poterit niſi cum ſtellis expungi.
A pagite anatomici nominum Cabaliſtæ!
MARIAE nomen
ſine veſtris numeris
prodit numeris omnibus abſolutum.
MARIAM dicat:
Vna voce Chriſtianus Orator
omnem eloquentiam implet.
In exordio tantæ beneuolentiæ
apud Supremum Iudicem cauſam perorauit.
Non opus eſt alijs argumentis,
vbi triumphalem hunc torſit

triſyllabum ſyllogiſmum.
Imo huius vocis pura grammatice
omnium ſcientiarum enciclopediam claudit.
Si hæc tibi ſapit,
faciet te abundè ſapientem.
Sed ingens præſertim fuit MARIAE nomen,
vbi additum eſt diuinum VERBVM.
Non aliæ ſint mortales veſtræ partes orationis,
quam hoc NOMEN, & VERBVM
MARIA, IESVS.

Verè beata es, ac ter beata, quæ beatitudine donatam à Deo Infantem hoc eſt Mariam nomine quoque ipſo magnoperè venerandam peperiſti, ex qua Chriſtus vita flos extitit, cuius Virginis & glorioſus fuit ortus, & partus mundo ſublimior. S. Io. Damaſc. or. 2. de natiu. B. Mar.

Nomen hoc prophetiæ germanum eſt: hoc renaſcentibus ſalutare; hoc virginitatis inſigne: hoc pudicitiæ decus: hoc indicium caſtitatis: hoc Dei Sacrificium: hoc hoſpitalitatis virtus: hoc Collegium Sanctitatis S. Pe. Chryſ. ſerm. 146.

De impoſitione Sanctiſs. nominis MARIAE.

CAP. VI.

ELogia MARIÆ quiſquis legis, vbi MARIAM legeris, h bes Encomiaſtes Deus in breui Mariani nominis titulo immensā eius laudum c'auſit epitomem. Auſpicia tanti nominis fauſtiſſima octauam à natali diem decimam ſextam Kal. Octobris illuſtrarunt,

runt,non alio albo ſignatam lapillo,quam hoc candidiſſimo nomine, ſummi, cæleſti gemma candoris, vt huius radijs coronatus Sol properaret ad Virginem in cęlo,& virgo in terris prodiret in Solem. E cælo detulit IOACHIMO, & ANNAE Sanctiſſimis Parentibus MARIAE nomen, idem ille magni conſilij legatus Angelus, qui ex eodem Dei authographo IESV nomen prolaturus erat, vt ſcias vtrumque eiuſdem authoris eſſe, & quiddam diuinum ſonare, quod patria empyrea lingua rectius pronuncietur, quam noſtrate peregrina. Hac ſola voce glorioſam legationem inſtiuxit, adornaturus glorioſiorem, cum MARIAE nomini ad perfectam orationem, qua in communi hominum cauſa feliciter peroraretur, Dei VERBVM adiunget. Eodem vſum nomenclatore Matris & filij cælum nefas eſſe docuit IESVM à MARIA deuidi. Fortunatiſſimi IOACHIMVS, & ANNA, qui auſpices fortunæ ſuæ, omnem ſuam felicitatem explicuere, vbi poſt Deum, & Superos, omnium mortalium primi, MARIAM dixerunt. Hoc habuit ſupra cæteros magna Deipara, vt nomen à Deo acciperet ſuarum laudum Hieroglyphicum, & rebus ipſis litteratum. Idem nimirum fuit nomen, & titulus, cum MARIA Dominam ſonet, ac Stellam, ſupra omnem ſereniſſimorum titulorum Maieſtatem glorioſiſſimus, inſigni documento pro eodem habendam eſſe terrarum Dominam, Maris Stellam, ac MARIAM. A primogenita rerum illuſtre hoc imperium iure ſeiungi non poterat,ac titulus dominij luculentus. Vt ſe ipſam agnoſceret humilis Virguncula, vt eam tellus

cælumque adoraret, Deus ipſe MARIÆ ſplendidæ, & imperatricis nomenclaturæ nomen inſcripſit. Imperatorio nomini nemo non ſeruiet: Stelliferum nemo non leget. Iiſdem etiam litteris MARIA ſcribuntur & MARIA. Regina rerum, Helice cordium, abyſſus gratiarum MARIA omnem magni nominis menſuram implet, titulum numerat. Imperij nomen, & lucis Sereniſſimæ Orbis Reginæ coronam e ſtellis capiti imponit. Si hæc deeſſet poſſet Magna Virgo Stelligero ſuo nomine coronari. Prius terram, Cælumque in ſuo nomine MARIA coniunxit, vt deinde reipſa ſuo vniret in VERBO. Salue nomen ſupra Augusti titulum, qui tunc illum cum imperio Orbis terrarum gerebat, cælo, terriſque auguſtiſſimum. Salue nomen triumphale non lauris coronatum, ſed Stellis, Cælo Sublimius, Mundo maius, nominum Rex, Poſphorus gratiarum, Iris pacis, Auſpex felicitatis, Soſpitator calamitatum, Superum amor, terror Inferorum, artifex Miraculorum, oris ſanctitas, cordis ſuauitas, ſerenitas mentis, victoriarum teſſera, viuentium beatitas, morientium vita, clauis Empyrei. Auſpicatò florentiſſimum nomen ex Altiſſimi Ore in Paradiſo germinans; Superûm manibus e Cælo delatum, in vrbe Nazareth patria florum, magnæ Virgini horto concluſo omnium deliciarum, cum roſis, lilijſque natum eſt, vt ſemper ad omnem beatitatem floreret, & omnium nominum flos vbique vernaret. Nullus ſuauior cantus in Cæleſti odæo beatorum ciuium aures implet, quam vbi melleum MARIÆ nomen liquatur in melos. Nullæ iucundiores

choreæ

choreæ aureum gemmeæ Vrbis pauimentum ſignant, quam vbi illud pedibus inſcribunt cælituum Chori. Tonitru fulminatore Tartara quatiuntur vbi in canis abyſſi ſpeluncis ſola Echo tanti nominis ſonat. Nulla vi felicius, quam innocenti huius nominis magiæ ſibilans infernus anguis ſopitur. Æternus adamas, qui conchyliatas pretioſiſſimarum margaritarum aggeſtu empyrei portas claudit, nulla alia arte, quam inuento, quo litteratus eſt MARIÆ nomine, beatas valuas reſerat immortalis gloriæ candidatis. Dehiſce ad hoc Sanctiſſimum nomen, quod iam coronatis in frontibus orbi terrarum imperat, & Reges regit, altaria dedicat, templa conſecrat, auras cum dicitur recreat, paginas cum ſcribitur ditat, Cælumque, ac terram beat, infanda hæreſis, & crinalium anguium in furiali capite hiantia ſemper ora compeſce. Apagite naufragi luctus, laruati timores, & omnia noxia mortalibus malorum nomina, vt primùm ſuauiſſimum hoc nomen intermixtum æternis ALLELVIA cæleſtium deliciarum fauſtiſſimo ſuo ſono vos verberat. Inſcribatur glorioſiſſimum nomen Chriſtianorum exercituum labaris, ſed laureatis, nec inter plauſus locum habeat, niſi ſacros, ac triumphales. Nullo pretioſiſſimum nomen, quod non elementa, ſed aſtra componunt notetur calculo, quam gemmis virtutum, illis nimirum, quibus non oriens occidenti, ſed terris Cælum grandinat tempeſtate pretioſa. Nulla beatiſſimum hoc nomen frequentius aura vehat, quam ille zephyrus, quem Sacer amor excitat de Æolia empyrei; nulli inuratur frequentius paginæ.

quam Virginis pectoris; nulli ferant ad Cælum frequentius Cycni, quam animæ innocentes impolluti candoris. Orationis numerus omnem eloquentiam imbuat, menſura, cantuum omnem poeſim impleat, omnem denique ſcientiarum enciclopediam ambiat, ſæculis omnibus & laudibus coronatum. Sed ſilendum eſt; nam hoc Deipara habet commune cum Deo, vt anonima ſit, & pantonima, nullius nominis, & omnium nominum, quia omnibus maior. Interim mortales, qui ſcriptum in adamantinis tabulis æternitatis aureis caracteribus auguſtiſſimum MARIAE nomen colitis, etiam nunc naſcenti plaudite, & filium in Matre, numen in nomine adorate.

ELECTIORA
Ex Sacris litteris, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis & Doctoribus Scholaſticis de Sanctiſſimi Mariæ nominis impoſitione.

SYNOPSIS.

1 SAnctiſſimi nominis nomenclatura Cæleſtis. 2. Antiquitas. 3. Celebritas etiam apud exteras nationes. 4. Significatio multiplex. 5. Efficacia. 6. Vtilitas omnigena. 7. Venerabilitas, ſuauitas, Sanctitas. 8. Paralella cum Auguſtiſſimo Ieſu nomine. 9. Et omnes aliæ excellentiæ prædicantur. 10. An vtilius ſit IESV nomen nobis imploratum, in MARIAE? 11 Eo die quo nomen impoſitum eſt, accepit MARIA Sacramentum legis naturæ 12. An cum eo augmentum gratiæ ſuſceperit?

Sanctiſſimi nominis nomenclatura Cæleſtis.

I.

IMpoſitum fuiſſe fauſtiſſimum, atque auguſtiſſimum MARIÆ nomen lactenti Infantulæ octaua a natiuitate die, quam nominalem fæminis æque, ac maribus Iudæi eſſe volebant omnia ſuadent. Nec ſine præuia reuelatione hoc actum eſt, vt habemus in lib. de Ortu Deiparæ apud S. Hieronym. apud Fulbertum ſ. 1. de natiuit. Virg. S. Anton. 4. p. t. 15. c. 14. & alios. Fusè id confirmat Benzon. in Pſ. 86. c. 40. S. Hieronym. ſic Angelum legatum loquentem inducit SS. Parentibus IOACHIMO & ANNAE: *Vxor tua pariet tibi Filiam & vocabis nomen eius Mariam.* Et paulò poſt. *Miſſus ſum ad Te o Anna, vt annunciem Filiam naſcituram, quæ Maria vocata ſuper omnes mulieres erit benedicta.* Ne quis dubitet

bitet de diuina nomenclatura nominis Mariani ſic S. Bonauent. in Pſalt. exclamat. *Benedictum ſit glorioſum nomen* (ideſt MARIAE) *quod os Domini mirabiliter nominauit*. Sed expreſſius B. Pe. Dam. ſ. 2. de annunc. copioſius & elegantius MARIAE nomen de theſauris diuinitatis euolutum his verbis celebrat. *Inijt Deus concilium, fecit ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renouatione, ac illis ſtupentibus, & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, ſtatim de theſauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur.* Impoſitum ergo fuiſſe Sanctiſſimum nomen a pijſſimis parentibus non caſu, ſed Cæleſti conſilio, Angelo eiuſdem interprete, & nuncio; imo & nomenclatore nemini dubium eſſe debet. Præter alios iam allegatos id expreſsè docet S. Ambroſ. de inſtit. Virg. c. 5. Sicut enim nomen Iſaac diuinitus prædictum eſt Patriarchæ Abrahæ Gen. 17. & nomen Io. Baptiſtæ Zachariæ genitori Luc. 1. ita hoc ſingularis amoris, & prouidentiæ diuinæ ſignum alijs conceſſum non eſt Deiparæ Virgini denegandum iuxta illud S. Bern in epiſt. ad Canon. Lugdun. *Quod paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum*. Hæc veritas a Suarez t. 3. d. 7. ſ. 1. fuſius explicatur: *Habent* tunc ait S. Ambroſ. l. 2. in Luc. *merita Sanctorum, vt a Deo nomen accipiant*. Ipſa efficacia Sanctiſſimi nominis tum ad vincendas tentationes tartareas, tum ad Cæleſtia beneficia impetranda, & myſteriorum grandium plena ſignificatio de Angelica nomenclatione, diuinoque conſilio dubitare non ſinunt.

Anti-

Antiquitas.

II.

ANtiquiſſimum fuiſſe Hæbræum nomen, MARIAE nomen Sanctiſſimum ex ſororis Moyſi nomine erui poteſt, quam primam inter mortales fæminas virginitatis laude floruiſſe aſſerunt S. Ambroſ. de Virgin. c. 6. S. Greg. Nyſſ. in exhort. ad Virg. & S. Hieron. de nomin. Hæbr. t. 4. c. 15. vt Magnæ Virgini MARIAE Deiparæ nominis Sanctitate, & candoris luce proluderet.

Celebritas etiam apud exteras nationes.

III.

ALiqui Chaldæum nomen eſſe opinantur, & perfectionem ſonare, vnde eadem nomenclatura MARIA, & Perfecta indigitetur. Ipſi Mahumetani in Nomine MARIAE neſcio quid venerabile eſſe fatentur, illudque in magno pretio habent teſte Maſello in vita B. V. c. 11. vt iam lætari poſſint Deiparæ cultores Matris nomen poſt illud Filij, non in Cælis tantum, ſed in terris eſſe ſuper omne nomen. Rabbi Hauados Iudæorum doctiſſimus apud Galatinum l. 7. de arc. c. 13. in reſponſione ad Antoninum Conſulem contendit MARIAE Matris Dei nomen contineri illis verbis Iſ. 9. *& multiplicabitur eius imperium.* Apud Aethnicos quoque celeberrimum fuiſſe MARIAE nomen probat Spinell. in Thr. Dei c. 4. verbis Sybillinis Erythreæ Sybillæ, alijſque, quæ Cedrenus refert in comp. hiſt. quibus iuſſi ſunt Argonautæ ab oraculo Delphico templum excitare Dei Matri. At

hoc

hoc templum, Idolorum cultores neglecto MARIAE nomine, quod ab oraculo acceperant Cacodæmonis conſilio,& impulſu Rheæ pſeudodeorum ſuorum Matri, cuius ſuppoſüerant nomen, impiè dicarunt. Zeno tamen Imperator illud ad Dei genetricis cultum traduxit. Ab eodem oraculo Delphico prænunciatum fuiſſe MARIAE Deiparæ nomen auguſtiſſimum ne mundus idolatra infidelitati ſuæ tanti nominis ignorationem prætenderet, teſtatur Surius t. 4. die 28. Iulij in vita S. Procopij ex qua in Syn. Nicena 11. exemplum quoddam pro veneratione SS. Imaginum depromptum fuit, vt intelligamus quanti huius vitæ authoritas facienda ſit.

Significatio multiplex.

IV.

IAM vero quoad ſignificationem Mariani nominis tot myſterijs refertiſſimum eſt, vt magnæ Deip. excellentia ex ipſo nomine explicari poſſet copioſiſſimè. ANNA inquit S. Greg. Nyſſ. de nat. Dom. *Filiam vocauit Mariam, vt ipſo etiam nomine teſtaretur munus acceptum à Deo*, & S. Pe. Chryſol. ſ. 142. *ante cauſam ait dignitas Virginis annunciatur ex nomine*. S. Hieron. peritiſſimus linguæ Hebrææ, has illuſtres ſignificationes Mariano nomini adſcribit. De nomin. Hebr. in ex. ſic ait *Maria illuminatio mea, vel illuminans eos, aut ſmyrna Maris, vel Stella Maris*. Et in Matth. MARIAM inquit *dicamus ſentire Stellam Maris, ſiue amarum Mare. Sciendum quod Maria Syro nomine Domina nuncupatur*. Similia S. Hieron. etymologiæ habet S. Epiph. or. de

laud.

laud. Virg. his verbis. *Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem; peperit enim Dominum, qui eſt ſpes totius Mundi, nempe Chriſtum.* Rurſum *nomen illud Mariæ interpretatur Myrrha Maris. Myrrham verò (dicet aliquis) quod ego etiam aio de immortalitate, eo quod paritura eſſet gemmam immortalem in Mari, hoc eſt in Mundo. Mare autem dicet vniuerſum Mundum, cui Virgo ſerenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum. Rurſum itaque præclara puellæ Mariæ nomen interpretatur illuſtrata, vtpote quæ illuſtrata ſit a Filio Dei, & cunctos vſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminauerit.* Hæc S. Epiph. cui conſonat S Bonau. ſ. de laud. Mar. c. 3. ſpec. dicens quod Maria Deipara iuxta nominis ſui vim eſt *amarum Mare Dæmonibus, Stella Maris hominibus, illumiuatrix Angelicis Spiritibus, Domina creaturis omnibus.* Speciale Etymon Mariani nominis affert S. Ambroſ. l. de inſtit. Virg. c. 5. illis verbis. *Speciale Mariæ Domini hoc nomen inuenit, quod ſignificat Deus ex genere meo*, vnde ex ipſa nominis notione adhuc infantula B. Virgo agnoſci poterat Dei Mater, & prædicari.

Inter has ſignificationes illa triplex videtur communior, quod MARIA *Dominam, Stellam Maris, & Mare amarum ſonet*, glorioſiſque titulis a SS. Patribus celebratur, vt fusè refert Spinel. c. 4 MARIA inquit Chryſol. *Hebræo ſermone, latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit auctoritas. Domina magna, & bo-*

na

na Domina dicitur à S. Anſelmo alloq. Cæl. 26. *Domina rerum* à credito Bernar. ſer. in Salue Reg. *Domina noſtra* à S. Io. Chryſ. 2. Liturg. *Domina Dei genetrix* in floril. Buteo. & orat. Græcan. Eodem titulo MARIAM Deip. celebrant S. Iacobus, & S. Marcus in Litarg. Guillel. Pariſ. in Rhetor. diu. c. 18. S. Germ. or. de præſ. B.V. & alij. Circa ſecundam notionem Stellæ Maris habemus luculentiſſima verba Stellis ipſis clariora apud S. Hieron. in pſ. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum: in Sole in vtero S. Mar. Virginis. Maria intepretatus Stella Maris. Lumen Solis magis lucet quam Stellarum. Sol iuſtitiæ Dominus vt ait Propheta. Orietus vobis Sol iuſtitiæ quod eſt Chriſtus. Illuminauit Sol iſte Stellam ideſt Mariam, vt eſſet ſicut Sol; ideò poſuit tabernaculum ſuum in Sole, quoniam corpus aſſumpſit ex vtero ſuo.* Hinc Bern. ille mellifluus MARIAE alumnus lacte virgineo totus delibutus B. V. cum Stella polari comparat hom. 2. ſuper Miſ. eſt. Et ſer. de nat. Virg. concludit. *Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum vbi dies? Tolle Mariam iam Maris Stellam, Maris vtique magni, & ſpatioſi, quid niſi caligo inuoluens, & vmbra mortis, & denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?* S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ. B. Virginem cum Lucifero ſidere Solis phoſphero confert. Hac appellatione *Stellæ Maris* Deip. Sanctiſſimam prædicant Fulb. ſer. de Purif. S. Odilo ſer. 14. Adam de S. Vict. proſa 4. de Aſſ. Iord. p. 14 c. 17. Hugo Victor. ſer. 4. Richard. à S. Laur. l. 1. à pag. 29. latiſſimè, & alij. *Stella Solem procreans* apellatur a Pe. Dam. ſ. de Aſſumpt. *Stella vitæ* ab Heſych. or. 2. de Deip. *& Stella*

Stellarum

Stellarum in alter. ſynog. & Eccleſ. c. 7. Non minus glorioſa eſt Maris apellatio. *Congregationem aquarum inquit Alb. Mag. vocauit Deus Maria; locus autem gratiarum vocatur Maria.* Alberto conſonat Seraph. Bonau. in ſpec. c. 3. his verbis. *Mare eſt gratia affluendo, vnde eidem aptat illud Eccleſ. 1. Omnia flumina intrant, ideſt omnia gratiarum genera Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & reliquorum SS. in B. Virginem influunt.* Idem Bonau. Deipara ait loco cit. *Mare eſt amarum diabolum ſubmergendo, quemadmodum Mare rubrum amarum fuit AEgyptijs in ipſo ſubmerſis.* O quam amara; & timenda eſt MARIA Dæmonibus, vnde Bernardus ait *non ſic timent hoſtes viſibiles, quaſi caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aerea poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſollicitam imitationem. Mare ſpiritale habens gemmam cæleſtem Chriſtum* dicitur B. V. à S. Epiph. or. de eius laud. & *Mare demergens intelligibilem Pharaonem* in hym. Græc. apud Bute. p. 122. Aliæ interpretationes ſunt Mariani nominis, ſed valdè ſingulares. *Excelſam* Maria ſonat & *eminentem* apud Canum de loc. no. teſt. c. 13. *afflictam, miſeram, & amaram* apud Hugon. Victor. rel. a Nouato t. 1. c. 7. q. 11. & *Magiſtram* apud Leonardum Marcum in exodum c. 19. v. 20.

Efficacia.

V.

HAbere MARIAE nomen Sanctiſſimum efficaciam ex opere operato, ad aliqua mira

mira facienda ſupra meritum proferentis aſſeruit Auendanius ſ. de nom. Mar. d. 1. quod de IESV nomine in cap. 2. Ioſue dixerat Serarius q. 14. & Grethſerus l. 4. de Cruce c. 44. 45. 48. & 62. negat hoc priuilegium Mariano nomini Raynardus in Diptycis Marianis p. 11 puncto 2. n. 27. Nec audeo doctis, & pijs viris refragari, nec ſine fundamento religioſam nomenclaturam ſupra religionem proferentis efferre.

Vtilitas omnigena.

VI.

DE vtili iuuocatione Mariani nominis mira habent Idiota S. Bern. & S. Bonau. Magni Deiparæ & doctiſſimi cultores. Primus ait *nomen Mariæ ſuper omnia SS. nomina reficit lapſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat feſſos, cingit Agoniſtas, & iugum Diaboli extrudit*. Secundus hom. 2. ſuper miſſus eſt hæc habet, *Si inſurgant venti tentationum: Si incurras ſcopulas tribulationum reſpice Stellam, voca Mariam.* Concluditque *in periculis in anguſtijs in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat a corde*. Vltimus in ſpec. c. 8 poſt multa exclamat. *O celeberrimi nominis Maria, quomodo poſſet nomen tuum non eſſe celebre, quæ etiã deuotè nominari non potes ſine nominantis vtilitate!* Fugere Dæmones ad MARIAE nomen potentiſſimum teſtatur S. Birg. l. 1. reu. c. 9. ex teſtimonio ipſius Deiparæ Sanctiſſimæ his verbis. *Omnes etiam Dæmones verentur hoc nomen & timent*. Sed præcipuè vi ſalutari Mariani nominis arcentur a tentatis Dæmones

nes ſcelerum incentores. Sic B. Virgo ibidem loquitur. *Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei eſt, niſi ſit damnatus, ſi inuocauerit hoc nomen hac intentione, vt nunquam reuerti velit ad opus ſolitum, quod non diſcedat ſtatim ab eo Diabolus. Et nunquam amplius reuertitur ad eum, niſi reſumpſerit voluntatem peccandi mortaliter*. Hinc iure optimo de Maria Deip. de qua tanquam *de Ciuitate Dei glorioſa dicta ſunt* cum Regio Pſalte Pſ. 68. prædicari poteſt illud S. Vrbis Hieruſalem Elogiũ. *Qui diligunt nomen eius habitabunt in ea*, cum præſertim ipſa ex S. Ephrem de laud. B. V. ſit *portarum cæleſtis Paradiſi reſeramentum*. Inter incantationes ſpirituales, quibus tartarei angues ſopiuntur, & fugantur Principes tenebrarum harum, & omnia ſpiritualia nequitiæ MARIÆ nomen potentiſſimum inuenitur à S. Io. Chryſoſ. hom. 8. in c. 4. ad Romanos *Sunt nobis* inquit ipſe *incantationes ſpirituales ipſum Mariæ nomen. huiuſmodi incantatio non ſolum Draconem a ſpeluncis abigit, atque in ignem conijcit, ſed & vulneribus medetur*. Iuuare morientes, vt intrent feliciter in gaudium Domini MARIAE nomen teſtatur S. Bonau. in pſalt. his verbis. *Glorioſum, & admirabile nomen tuum! Qui illud retinent non expaueſcent in puncto mortis*. Augeri Angelorum beatorum gaudia, minui purgatorias hominum pænas a Mariano nomine refert Dyon. Carthuſ. l. 3. ex reuelat. S. Birg. in perſona B. Virginis his verbis. *Audi quantum filius meus nomen meum honorauit. Meum nomen dum Angeli audiunt, gaudent, Deoque gratias agunt, quod per me, & mecum talem gratiam fecit. Et quoniam vident huma-*

humanitatem filij mei in Deitate glorificatam qui in purgatorio ſunt gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger iacens in lecto cum audit verbum ſolatij.

Venerabilitas, ſuauitas, ſanctitas.

VII.

DE reuerentia, qua enunciari debet MARIAE Auguſtiſſimum nomen, de ſuauitate, qua ſcatet, de ſanctitate quam proferentibus confert, quantus nexus Virginitatis, & huius Virginei nominis, quomodo in illo vita lateat, quomodo ſuos protegat, piè, ſuauiter, & eruditè differit Aloyſ. Nouar. in vmb. Virg. magnum Clericorum Regularium, & noſtri ſæculi lumen. l. 4. c. 3., & 31. ab excurſu 120. vſque ad 130. Virginitatem, & Sanctitatem eſſe veluti adiuncta MARIAE nominis teſtatur magnus eius Cultor Rich. à S. Laur. l. 1. c. 2. Idem ibidem eius ſuauitem prædicat; nam aſſerit *Mariæ nomen, vt Ieſu nomen eſſe illud Sacrorum canticorum oleum effuſum*. A Pe. Chryſ. *Collegium Sanctitatis*, quo nihil magnificentius dici poteſt, apellatur. Angelus magni myſterij Incarnationis diuinus Legatus, & MARIAE Salutator non eam ſtatim nominauit ex S. Bern. Sen. t. 3. tr. de B. V. ſer. 1. *volens* (eius verba ſunt) *potius venerari ſilentio, quod non potuit exprimi eloquio*. Non mirum ergo ſi idem Sanctiſs. B. Virginis Amaſius ſ. 2. dicat. *Quis non timeat Mariã pollutis labijs nominare?*

Paralella cum Auguſtiſſimo Ieſu nomine.

VIII.

IESV & MARIAE nominum paralella aliqui perſequuntur, & notant Deiparæ MARIÆ nomen

nomen totidem litteris cum Filij nomine conſtare. Septuag.exod.15.illud reddidere ſex litteris conſtans indeclinabile, quot litteras habet IESV nomen, ſi dyphthongus ſoluatur, vti ſoluit ſibylla in ſua acroſtichide, quam refert S. Auguſt. l. 18. de Ciu. Dei c. 23. Apud latinos vtrunque & IESVS & MARIA quinque litteris ſcribitur. His litteris S Anton. 4. p. t. 15. c. 14. & c. 22. multa myſteria conſonare aſſerit, & inter illa quincuplicem MARIAE dignitatem indicari vnde idem ſit MARIA, & *Mater vniuerſorum, Arca fœderis, Regula viatorum, Iaculum inimicorum,* nimirum *infernaliũ,* & *Aduocata peccatorum*. Imo Viegas in c. 12. Apoc. comm. 2. ſ. 1. obſeruat vt Dei nomen ita IESV & MARIÆ tetragrammaton eſſe, nimirum quadrilitterum, & hoc ad dignitatem Mariani nominis pertinere probat.

Et omnes aliæ excellentiæ prædicantur.
IX.

AT quis recenſere poterit omnem excellentiam Mariani nominis, quod euolutum de theſauro Diuinitatis prædicat B. Pet. Dam. loc. iam allegato? Certum eſt poſt Filium nulli mortalium glorioſius nomen diuinitus contigiſſe, quam Matri vt docet Sapientiſſimus Idiota in cont. c. 5. illis verbis. *Vocabitur tibi nomen nouum o beatiſſima Virgo, quod os Domini, ideſt Filius Dei, qui eſt os Patris per Angelum nominauit videlicet gratia plena. Poſtea vero nomen Mariæ expreſſit dicens. Ne timeas Maria; dedit enim tibi Virgini Mariæ tota ſuperſancta Trinitas nomen, quod poſt nomen ſuper benedicti Filij tui eſt ſuper omne nomen, vt*

in nomine tuo omne genu flectatur, vti manifeſtè patet cæleſtium terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur huius Sanctiſſimi Nominis gratiam, gloriam, & virtutem. Honorem ſibi per Sanctiſſimum nomen collatum teſtatur luculentiſſimis verbis eadem B. Virgo S. Birgittæ l. 1. reu. c. 9. Hoc nomen thaumathurgon eſſe, vitæque plenum probatum eſt in excitatione Lazari a mortuis Io. 11., cui veluti proluſit Martha Mariam ſororem vocans. Ad hæc aureis verbis ludit acutiſſimè S. Pe. Chryſ. ſ. 64. *Martha mittitur ad Mariam, quia ſine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula, vt videat homo Chriſtum virginalis vteri habitaſſe ſecretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de ſepulchris.* Concludo itaque cum Seraphico Bonau. in ſpec. c. 8. Magnam Deiparam hoc vno nomine *nominatiſſimam eſſe & glorioſiſſimam, Deoque optimo maximo ſimilem. Quia Dominus* inquit *nominatiſſimus, ſiue famoſiſſimus famoſiſſimè eſt tecum; ideò & Tu es famoſiſſima, & nominatiſſima ſecum. Sicut Deum ipſum* ait S. Bernar. Sen. t. 3. ſer. 1. de nom. Virg. *non vno tantum nomine nominamus, ſed multis, vt ſic eius incomprahenſibilitatem enunciemus; ſic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus, & nunc lucem, nunc Solem, & huiuſmodi nominare ſolemus; vt ſic ad ſublimitatem eius cognoſcendam aliquantulum pertingamus.* At vtcunque multis titulis in Sacris litteris & apud SS. Patres illuſtris ſit B. V. omnes exprimit vnum MARIAE nomen, quod vbi acceſſit Deiparæ cognomentem, ferè ineffabile euaſit.

An

An vtilius ſit Ieſu nomen nobis imploratum ac Mariæ?

X.

ERuditiſſimè hanc quæſtionem agitat Fr. Mendozza in virid. l. 2. probl. 2. & Morales l. 3. in Matth. tract. 5. Aliquo modo defendunt iſti Doctores ex D. Anſel. lib. de excell. Virg. c. 6. celerius obtineri ſalutem inuocato nomine MARIAE, quam nomine IESV. Non placet hæc propoſitio, ſi intelligant hanc illi ſemper efficaciam ineſſe. S. Anſelmus ibi tantùm docet ſæpius exaudiri celerius eum, qui B. Virginem interpellat, & patrona Matre filium exorat, quam eum, qui ſine hac mediatrice diuinum Tribunal adit, quod veriſſimum eſt, ſed longè diuerſum à propoſitione illa vniuerſali, & indefinita, quod vtilius ſit proferre nomen MARIAE, quam IESV. Vtrumque iuxta proferentis pietatem mira operandi vim, & efficaciam habet. Vnde iure S. Germ. in or. in Hypap. ſiue vt alij volunt Methodius hoc nomen *diuinis benedictionibus vocat & gratijs vndequaque refertum*, & Pe. Chryſol. *Dei Sacrificium*. Idiota verò *tantæ virtutis eſſe*, ait *& excellentiæ, vt Cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, Dæmones contremiſcant, & infernus conturbetur*. Sed infinita eſt huius Auguſtiſs. nominis Elogiorum ſeges. Qui plura velit legat Spinell. in Th. Dei c. 4. de hoc mellifluo nomine plura piè, & eruditè diſſerentem. Subſcribam SS. Patribus illis Caniſij verbis l. 1. de B. V. c. 1. quæ omnia Mariani nominis encomia luculentè conſignant. *Si vllum aliud venuſtum, præclarum, &*

& gratioſum nomen vlli contigit mortalium; quod ſcribi, legi, decantari, pingi, ſculpique mereatur, id Mariæ nomen videri poteſt, dignum ſanè quod in omnium oculos, aures, & mentes incurrat, magnaque cum reuerentia, & priuatim, & publicè nominetur.

Eo die quo nomen Mariæ impoſitum eſt accepit Sacramentum legis naturæ.

XI.

EOdem die nominali à pijs parentibus non circumciſionis, quam ineptè, & ridiculè Strabo l. 15. etiam fœminis attribuit, ſed legis naturæ Sacramentum ſuſcepit. Remedium hoc pro paruulis omnibus in lege naturæ inſtitutum fuiſſe probant multipliciter Doctores Theologi, vt fusè referunt Suarez diſp. 4. de Sacram. ſ. 1. & Vaſquez q. 70. diſp. 165. Idem poſt circumciſionis Sacramentum fœminis ſaltem, vt à primogenea labe mundarentur neceſſarium fuiſſe docent. Adducit rationem generalem Innocentius in cap. maiores de baptiſmo his verbis. *Abſit enim vt vniuerſi paruuli pereant, quorum quotidie tanta, multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire aliquod remedium procurauerit ad ſalutem.* S. Auguſt. à quo omnis Schola Theologorum plura didicit l. 2. de nup. & concup. c. 11. & clarius l. 5. contra Iulianum c. 21. hæc habet. *Nec ideò tamen credendum eſt, & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatrix fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulates fuiſſe paruulis ſuis; quamuis quid illud eſſet aliqua neceſſaria cauſa ſcriptura latere voluerit.*

Idem

Idem habent S. Greg. Mag. l. 4. mor. c. 2. Ven. Beda l. 1. in Luc. S. Bern. ep. 77. Hugo de S. Vict. l de Sacram. p. 11. c. 6. & p. 12. c. 2. Adhibitum fuiſſe aliquod ſignum externum in teſtimonium fidei internæ habemus ex Angel. Doct. q. 70. a. 4. ſi non determinatum, indeterminatum ſaltem. *Probabile tamen eſt, ait, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo exiſtentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam ſignaculum fidei.* Hoc licitè à ſolis parentibus adhibitum fuit, validè tamen ab omnibus. Fidem formatam in exercentibus Sacramentum legis naturæ exigit Vaſquez diſp. 163. c. 4. ſolam intentionem faciendi, quod à Deo fuerat inſtitutum Suarez diſp. 10. ſ. 1. aliquam fidem actualem Eminentiſs. de Lugo de Sacram. d. 3. ſ. 2. Eruitque ex S. Th. S. Greg. S. Bern. & rationibus etiam probat.

An cum eo augmentum gratiæ ſuſceperit?

XII.

Ncrementũ gratiæ ſuſcepiſſe affirmant Suarez l. 2. 3. p. d. 18. ſ. 3. Vaſquez 3. p. d. 119. c. 7. Mendozza l. 2. virid. probl. 7. & alij. Imò ſi recepit augmentum, cum habuerit B. Virgo ſupra omnes ab inſtanti conceptionis vſum rationis perfectiſſimum dicendũ eſt ex nobiliſſima diſpoſitione recepiſſe gratiam ex opere operato cumulatiſſimam, iuxta analogicam proportionem cum Sacramentis nouæ legis in probabiliſſima ſententia Suarez t. 3. 3. p. d. 7. ſ. 5. Vaſquez 3. p. d. 159. c. 5. & aliorum. Nullum crementum gratiæ recepiſſe magna Deiparam

in Sacramento legis naturæ aſſerit, acriterque defendit Raynaudus in Diptycis Mar. parte 2. p. 4. Aliter ſiquidem de B. Virgine nos debere philoſophari docet, & de alijs puellis, quibus vel infantibus, vel adultis in ſuſceptione Sacramenti legis naturæ gratia infundebatur. Illæ ſiquidem immundæ erant, & labe originis inquinatæ, & in proximo damnationis periculo, vnde congruum erat, vt per illud commune remedium mundarentur, & maculam eluerent ita Deo liberaliter proſpiciente humani generis neceſſitati, ſine vllo influxu phyſico, vel morali talis Sacramenti, quod ieiunum, vacuumq; elementum erat, ac pura conditio ad infuſionem gratiæ. At virgo Deipara ab ipſo conceptionis momento ſancta erat, immaculata, munda, nec premebatur illa neceſſitate, cuius intuitu non Sacramenti, quod pura conditio erat, Deus moueretur ad infundendam gratiam ex opere operato. Exemplo circumciſionis ſuam doctrinam de Sacramento legis naturę confirmat. Adulti cum circumcidebantur, quia poterant ſibi conſulere per actũ contritionis, vel amoris Dei ſuper omnia non accipiebant gratiam ex opere operato in circumciſione (eadem eſt ratio de Sacramento legis naturæ) ita B. Virgo, ait ipſe, non ſolum quia ſancta erat, & ipſa puritate purior, ſed quia ex opere operantis poterat mereri gratiam, diuinamque augere amicitiam, & meruiſſe cumulatiſſimam nemini dubiam eſſe poteſt, non illam in hoc Sacramento ex opere operato recepit.

PRI-

PRIMA
Triennis Infantia.
NAENIA.

ELOG. VII.

Soror noſtra parua, & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt? Cantic. 8.

Omnis gloria eius Filiæ Regis ab intus. Pſ. 44.

Ante Infantis Empyrei Sereniſſimæ cunas
omnis Orator næniolam cantet.
Vbi Infantia omnem eloquentiam vincit;
infans etiam grandæua facundia balbutiret.
Imbuere calame non atramento, ſed lacte:
explicabilis Reginam candoris,
ſcriptione concolori.
Quia tamen laudes merito minores
in conuicia degenerant
vtcunque lacteſcas illam denigrabis.
Fallor cum MARIAE infantiam dico;
omni infantia caruit, & iure VERBI Mater.
Imo adulta Cælo, antequam naſceretur,
nec habere infantiam potuit.
Nihil paruum vnquam inuentum eſt
in rerum maxima:
nihil tenerum in Hebræa Amazone,
quæ cum victoria Mundũ triumphans intrauit.
Hoc fere ſolum habuit ſecunda Eua
cum prima commune,
quod infantiam neſciuit;
niſi infantiam ſilentij virginei illi adſcribas,

quam etiam in ſenio virgo Mater retinuit.
Iure deinde neſcias an magna Virgo,
erudita fuerit a natura, an nata a Sapientia.
Cum cæteri diſcunt docta, in primo luſtro
Exhibuit ſapientiam,
quæ ſæcula omnia illuſtraret.
Non educantur exhumatę gemmę vt luceant:
non fingitur indoles euaginatis floribus
vt vernent.
E paternis ſcopulis, & maternis vndis
vix nata in reges lapidum
purpurata coralia gemmaſcunt.
Non eſt maior Sol adultus, quam infans:
Summi ſplendores meridiantur
etiam in aurora.
Quæ non ferebat ætas,
gratia moliebatur ætatem ferens.
Omnium ætatũ illa cum ſit æternitatis parens,
neſcit ætatem,
Fænix ſemper Sacri amoris
in moribundis natalibus,
in funeribus rediuiuis.
Orienti Dominæ rerum pares Mundus
neque cunas inuenit, neque faſcias.
Statuenda erant in cunas Regum ſolia:
explicanda in faſcias diademata.
Reginam omnium manum
non crepundia decebant, ſed ſceptra.
Excipi dignè non poterat niſi vt Sol oriens
in purpura lucis, faſcibus radiorum,
corona ſtellarum.
Expectare lachrymas a magna Puppula
nemo debuit;
Sunt illæ ſeruorum tributa; Mater regnat.
Illachrymari de ſuo nec poterat,
ſpirans

ſpirans Cæli, terræque riſus.
Sicut nunc lachrymis noſtris gaudet;
ita tunc digna lachrymis
ſola noſtra gaudia defleuit.
Suis vagitibus aſtra amanter petijt;
Tartara inimicè.
Ita neque caſſum ſine fulmine
tenerum grandium virgituum tonitru ſonat.
Non alia cæleſtis Infantula elementa didicit,
quam Abecedarium Paradiſi,
ALFA Diuinitatis & OMEGA,
& in hoc digrammate omnem litteraturam.
Addidit rectam diuini nominis
pronunciationem,
vt ad perfectam diuini VERBI
conſtructionem perueniret.
Deſine antiquitas glorioſa mirari
tuum Herculem puſionem:
hiſtoriam habemus tuis fabulis maiorem.
Infantula Nazarena pede lactenti,
ne dum manu
maiorem Herculeis anguibus
coronatum Draconem calcauit,
& coronam excutiens
ſe Reginam, illum Exregem fecit.
Grandior facta pluſquam Herculea manu
non Cæli tantum feret, ſed Dei molem.
Habetis in terris Patres, ac Matres
nouam Galaxiam,
per quam lactentem ſobolem
manuducatis ad Cælum.
Hanc pingit Maria infans candoribus ſuis,
congeſtis in vnum
lacteis omnium virtutum ſtellis.
Felix omnium hominum ſenectus,

ſi Mariæ Infantis crepundijs luſitaret.
Ita defloreſcentibus non pridem Romæ
Mundi Triumuiris
Octauiano Lepido, & Antonio
magnus triumuiratus Sanctitatis
MARIA IOACHIMVS & ANNA
in vrbe florum Nazareth floruit.

Facta biennij puella dixit Ioachim Annæ uxori ſuæ. Introducamus eam in templum Dei, vt reddamus votum noſtrum, quod promiſimus, ne forte a nobis auferat Deus, ſuccenſeatq; nobis. Et dixit Anna. Expectemus tertium annum, & dixit Ioachim. Expectemus. Antiquiſſ. auctor qui Iacobi nomine circumfertur, & citatur à S. Euſthatio.

Maria parentum amor ac deliciæ incredibili Matris gaudio ad vbera vetulæ nutritur, creſcit nouis in dies per ætatem augmentis, ex abundanti ſic lacte diuinitus areſcentibus vetulæ vberibus infuſo. S. Zeno ſer. 2. de Abraham.

De prima trienni Infantia.

CAP. VII.

IN Infantia MARIÆ dolendumne ſit an gratulandum ignoro, quod habeamus infantes hiſtorias, & vagientibus, ac balbutientibus annis concordes mutos annales. Pumili ſæpius, & confragoſi torrentes ſtrepunt: ingentia, & Regia flumina cum tota aquarum ſuarum maieſtate ſilent. Illud vulgare encomium eſt, quod facile vulgatur, &

humana

humana ſunt non diuina, quæ poſſunt homines loqui. Hauimus e fonte lucis etiam Principis ſæpius tenebras, & magna in ipſa ſua magnitudine, in qua luculentius patere deberent, latent. Amittunt ſuum florem virentia coralia, & pudibundo rubore verecundantur, cum ſe produnt. Margaritæ quoque Virginis candoris gemmæ, nunquam tutius degunt, quam inter maternas conchas, cum toto Oceano tumulantur. Antequam edat Diuinum VERBVM, ad quod in ſe proferendum fuit ſilentio humilitatis, & humilitate ſilentij erudita, nulla MARIÆ humana Verba dicantur. Omnes primi parentis filiæ, auitæ magnæ Deiparæ Heroinæ congregauerunt naturæ, & gratiæ diuitias; illa Cæli terræque theſaurus ſupergreſſa eſt vniuerſas, ſed more theſaurorum magnificentius fuit tegi, quam explicari. Vtcunque tamen MARIA in infantia ſua taceat, alioſque omnes victos argumenti magnitudine infantiſſimos efficiat, ſatis vnius VERBI Diuini, quod Pater dixit; Mater factura erat, etiam Infantis, immenſa eloquentia laudatur. Vti totus Matri filius, ita tota Mater filio debebatur. Altiſſimo Filio concipiendo debebatur maternæ conceptionis miranda ſublimitas. Quid ergo mirum ſi anima Stellis purior illapſa eſt in corpus, non infecta fæda illa face, quæ a noſtri generis Authoribus primùm incenſa in totã deinde humanæ Reipublicæ poſteritatem deflagrauit? Quid mirum ſi vt adamas auro illigatus ſine vlla ne quidem leuiſſima macula aucto in immenſum pretio adhæſit. Ipſe Filius Matrem *creauit in Spiritu Sancto, & dinumerauit, & menſus eſt eam*. Ipſe

vnus infinitus bonorum cumulus magnæ Ge-
nitrici fuit : ipſe vnus immenſitate ſua ma-
ternæ magnitudinis menſura. Quid ergo rur-
ſus mirum eſt ſi cum Alma Virgine concepta,
non ſolum conceptæ ſunt virtutes omnes, ac
natæ, ſed iám adultæ, ac giganteæ in eius lu-
cem prodierunt, quæ nondum in lucem pro-
dierat? Hinc Spiritu Dei MARIA prius reſpi-
rauit, quam ſuo, & gemellam ſine morte vitam
inchoauit Animæ, & Amoris. Nnnquam MA-
RIA fuit, quin ſimul eſſet mare gratiarum,
Cælum virtutum, abyſſus miraculorum, ſæcu-
lorum deſiderium, naturæ meta, gratiæ prodi-
gium, Paradiſus deliciarum, Altiſſimi thronus,
Mundi epilogus, Cæli terræque amor, & poſt
Deum, quem nulli fines definiunt, rerum ma-
xima. Anus Sanctitas annos præcurrens ab
ipſis vitæ initijs explicata, ac firmata rationis,
gratiæque vſu, ætatum incrementa neſciuit,
grandis in Puppula, virago in Infantula, in
Virgine Heroina. Aurora Dei in Abrahimico
Cælo tot aſtris coronata, e quot Sacris He-
roibus progenita Sereniſſimi Regij, ac Ponti-
ficij ſplendoris nullum auctarium lucis expe-
ctare potuit niſi ab eo Sole, quem e ſinu Vir-
gine promittebat futurum vnicum, & maxi-
mum Mundi, ac Matris incrementum. Ortam
deinde MARIAM e puerperio gratiæ iure,
nuntrix virtus nectare potius aluit, quam la-
cte. Niſi velis ipſam lac ſugentem in nectar
conuertiſſe, facturam ex vberibus ſuis conui-
uium ſæpius Deo lactenti. Collactanea data
eſt recens cum ipſa nata Virginitas, nec mi-
nus ferè miraculum fuit à fæcunda ſterilitate
Virginitatem naſci, quam Virginem. Adhuc

lactentem

lactentem e Sanctiſſimis ædibus fortunati parentes IOACHIMVS; & ANNA primogenitam ſuam e legis præſcripto Hieroſolymitano templo ſtiterunt diuinum fructum conſecrantes in flore, octogeſima poſt natalem die, quæ in quintam Kalendas Decembris incidebat, redemptamque quinque ſiclis domum retulerunt non deſerto templo, ſed mutato. Sed prius MARIA ſui Antiſtita laſtentem victimam de ſuo numini conſecrarat. Inde primam annorum ſuorum trieteridem non niſi inter cæleſtium Charitum ſerios ludos celebrauit. Feciſſet ſuauitate ſua ſi non habuiſſent paternis, ac maternis ſuauijs nomen, cor floridum Nazarenorum parentum, ita ex eorum ſinu pendens, vt eos animaret. Colens Deum vt parentem, in parentibus Deum coluit, implens vnico ſuo amore omnem humanæ, ac diuinæ pietatis legem. Imo inſolenti prodigio magna virguncula in infantia ſua ferè parens fuit ipſis parentibus ſuis, cum illos exemplis ſuis in ſui ſimilitudinem ſanctiſſimos peperit. Aram eo tempore in capitolio erexerat Auguſtus primogenito Dei. Hæc crepera lux Romana Hebræi Solis vmbra erat, auguſtiorem ſpirantem aram Primogeniti Dei in Vrbe Nazareth Cælo adorante. Illuſtrius etiam in paleſtina tellure tres Soles radiarunt MARIA, IOACHIMVS, & ANNA, quam in Italico Cælo illius temporis hiſtoriæ celebrent. Ita magna Deipara flos omnium Sacrarum Heroidum in Vrbe florum Nazareth æterni Patris Filia, Verbi diuini Mater & Sancti Spiritus Sponſa primum vitæ triennium magnis, & heroicis virtutibus eidem Auguſtiſſimę Triadi

dicans omnem frugiferæ vitæ meſſem in primitijs conſecrauit, & omnium ſæculorum prodigia trimula impleuit. Vtinam ſola MARIÆ infantia totam Mundi in hac vltima ætate ſenectutem erudiret.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de prima trienni infantia.

SYNOPSIS.

1 ILlius lactis, quod B. V. infans ſuxit veræ laudes a fictitijs depurantur. 2. An a lacte MARIA lactens ſæpius ieiunarit. 3. An a vagitibus, & puerilibus tripudijs abſtinuerit. 4. Euoluitur ſcientia multiplex in intellectu B. V. infuſa & aquiſita. 5. Harum ſcientiarum excellentia aliquibus SS. Patrum teſtimonijs illuſtrarur. 6. Ingentia eius merita. 7. Ex ſingulis actibus liberis. 8. Ex iugi exercitio actualis charitatis. 9. Ex intenſione, & nunquam interrupta ſerie ne quidem in ſomno operationum meritoriarum. 10 Ex plenitudine gratiæ habitualis. 11. An creuerint merita Deip. V. ratione maternitatis Dei. 12. An ex voluntate Chriſti. 13. An aliquid de congruo B. V. meruerit hominibus & Angelis. 14. An ſupra omnes Sanctos ſimul ſumptos meruerit?

Illius lactis quod B. V. infans ſuxit veræ laudes a fictitijs depurantur.

I.

EAM efficacitatem, & vim lacti, quo B. Anna lactentem Deiparam aluit, attribuit Chriſtophorus Auendanius diſc. 4. de B. Anna, vt ipſam ab omni morborum genere toto vitæ ſpatio eximiam fecerit, potueritque per quantalibet temporum ſpatia vitam prorogare abſque alio nouo cibo, nullo vnquam aut morbo infectam, aut fame ſollicitatam. Imò addit eam prærogatiuam habuiſſe B. Annæ lac diuinitus illi e Cælo conceſſam, quam habuit fructus ligni vitæ in terreſtri Paradiſo.

Vnde concludit, quod ſicuti ille beatiſſimus fructus iuxta S. Th. 1. p. q. 44. a. vlt. vetuſtatem arcebat, ita B. Virgo vitali illo prodigioſo lacte nutrita nunquam paſſura eſſet imminutionem floridę iuuentutis, ne quidem per mille annos. Hæc doctrina prorſus anomala eſt, & doctiſſimè reijcitur a Raynaudo in Dipt. Mar. p. 1. puncto 2. Concedendum eſt lac B. Annæ iam effætæ ſupra vires naturæ datum fuiſſe, maximè purum, ac perfectum, aptum ad formandum nobiliſſimum in lactente Puppula corporis temperamentum. Fuit tamen eiuſdem ſpeciei cum lacte, quo alij mortales aluntur. En quam diſtorta, & claudicante argumentatione philoſophatur! Fructus ligni vitæ habuit eliminare morbos, arcere ſenium, prorogare vitam per longiſſima ſpatia: Ergo hoc lacti B Annæ concedendum eſt. Si haberet vim, & ſtaret prauus hic, & claudus diſcurſus poſſemus dicere. Aqua in baptiſmo, ſiue phyſicè, ſiue moraliter tantùm Sacramenta concurrant, ad producendam gratiam, confert gratiam ex opere operato: ergo hoc priuilegium concedendum eſt lacti B Annę; quod quam abſurdum ſit nemo non videt.. Hoc dilemmate ſic totam cauſam conficio. Vel fuit naturalis proprietas illa fructus ligni vitæ, vt aſſerunt vtriuſque theologicæ Scholæ Principes, S. Th. 1. p. q. 97. a 4. & Scotus in 2. d. 19. cum alijs multis, vel prærogatiua ſupra naturæ vires e Cælo indita. Si primum: abſurdum eſt eas proprietates habuiſſe lac B. Annæ, quibus polluit lignum vitæ; nam ſine vllo fundamento naturæ rerum confunderentur, ſi eædem proprietates tribuerentur, ex quibus eſſentia-

rum notitiam habemus, & veritatem colligimus. Si ſecundum cum a diuino arbitrio pendeant,& ab omnipotentia obedientiam extraordinariam exigente, effectus ſupernaturales, cauſarum naturalium, illos ſine, aut Sacrarum Scripturarum ſuffragio, aut SS. Patrum teſtimonio adſtruere, prout lubet labentiæ noſtræ, non debemus. Deinde falſum eſt B. Virginem, licet excellentiſſimæ iuxta ætatum proportiones formæ, & valetudinis fuerit,earum incrementa non ſenſiſſe, ac demonſtraſſe. Angelorum miniſterio lac in vberibus B. Annæ fabricatum fuiſſe affirmat S. Zeno ſ. 2. de Abraham, cui refragari non audeo.

An a lacte Maria lactens ſæpius ieiunarit.

II.

ALiqui ieiunaſſe ſæpius a lacte Deiparam lactentem prædicant, eo quod negari non debeat B. Virgini cum vſu rationis operanti, quod aliqui Sancti Viri ſine merito in præſagium futuræ Sanctimoniæ fecerunt, vt de Sancto Io. Firmo ſcribit Iac. Gretſerus l. 1. de diſcip. c. 14. & de SS. Nicolao Siſinio, & Stephano Dienſi narrant, qui eorum acta litteris conſignarunt. Non abnuo ſi loquantur de temperantia in hauſtu lactis, quam exercuiſſe MARIAM infantulam vti in reliqua vita in cibo, & potu nemini dubium eſſe poteſt. Circa diuturna ieiunia, & ſenſibiliter miraculoſa fundamentum non video. Allata ratio inefficax eſt; nam licet B. Virgini concedere debeamus Sanctimoniam ſupra omnes Sanctos; ſingularem, & eminentiorem, non eſt tamen congruum omnia ad Sanctitatem

media illi attribuere; nam nec cataphracta cum Gullielmo Aquitano fuit, nec ſtationaria in columna cum Simeone ſtylita, nec armata trilici ferro cum Dominico loricato, nec diu ægra cum Liduina.

An a vagitibus, & puerilibus tripudijs abſtinuerit.

III.

HVius abſtinentiæ vt ſupra dixi fundamentum non video. Hæc minuſculæ illius ætatis adiuncta ſunt prorſus innocentia, vnde & in Chriſto illa agnoſcit S. Eccleſia vt ſupra vidimus, & Auguſt. approbat ſ. 9. de temp. cui adſtipulatur S. Zeno Veron. ſ. 11 de nat. Dom. qui dicit DEVM-HOMINEM mixtũ humanæ carni ſe finxiſſe Infantem. Et hoc porrò neceſſarium erat ad celandum myſterium. At verum eſt B. V. ſemper in ſua infantia operatam fuiſſe cum ſtatu plenæ rationis, vnde congruum eſt lachrymas, & vagitus, qui lachrymarum Vicarij ſunt plerunque emiſiſſe propter Mundi peccata, exultaſſe propter gloriam Dei in orbe terrarum amplificatam, & ſimiles ſanctiſſimos fines. Negari tamen non debet ea omnia obijſſe ſaltem aliquando, quæ ab alijs infantulis innocenter fieri ſolent, ac poſſunt ſine vlla indecentia morali, quando præſertim non ex infuſo, ſed ex aquiſito lumine intellectus operabatur.

Euoluitur ſcientia multiplex in intellectu B. V. infuſa, & aquiſita.

IV.

ALiquam ſcientiam intellectui B. V. infuſam fuiſſe videtur certum, qua ab initio con-

conceptionis toto vitæ tempore fuit illuſtrata. *Erat* inquit B. Laur. Iuſtin. ſ. de purif. *ſapientia perfecta, Deo coniuncta, Verbo propinqua, myſterijs diuinis imbuta* & S. Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt *plenè de omnibus a principio inſtructa myſterijs*. Alij Patres conſentiunt, & Doctores ſcholaſtici præſertim Suarez t. 2. in 3. p. d. 19. ſ. 3. Concludendum eſt ergo cum Dyoniſ. Richelio cant. 5. *quod ab initio B. V. habuit ſplendidiſſimam, & exuperantiſſimam ſapientiam ſibi infuſam*, vti etiam latè probat Maximilianus Sandæus p. 1. theol. l. 3 comm. 9. exercit. 2. Nec dubitari poteſt de ea, quæ de ſe ait Eccleſ. 4. *In me omnis gratia virtutis, & veritatis*, & Prouerb. 9. *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus*, & a S. Ambroſ. l. de inſt. Virg. *dicitur aula Cæleſtium Sacramentorum*.

Habuiſſe B. Virginem ſcientiam per ſe infuſam a phantaſmatum miniſterio independentem probat latè Io. Baptiſta Nouatus Patrum præſertim teſtimonio D. Bern. in Salue D. Bonau. ſ. 1. de Virg. Mar. tit. 3. Io. Gerſonis ſuper Magnifi. p. 3. S. Bernardini Sen. t. 2. ſ. 51. a. 1. c. 2. S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. Bedæ in cap. 2. Luc. Ruperti l. 1. in cant. B. Pe. Dam. ſ. 3. in natiu. B. V. & aliorum. Vnus Bernardus audiendus eſt qui ſic ait. *Virtutum auctrix, & ſcientiarum ſcientia ſanctarum Maria, quia ſicut Sol vniuerſa Cæli lumina præcellit, ſic ipſa totam rationalem creaturam poſt filium excellit ſplendore virtutis, & ſcientiæ*. Exceſſiſſe hac ſcientia omnem ſcientiam Angelis viatoribus infuſam ex loco ſupra relato S. Bernardi colligi poteſt ſed expreſſius id teſtatur S. Anton.

4. p.

4. p. t. 15. c. 17. *Cognitio* ait *B. Mar. exceſſit omnem cognitionem, & modum cognoſcendi, quem habuit aliqua creatura in tribus gradibus ſcilicet eleuata puritate, qua exceſſit omnem viatorem, medij eleuantis improportionabili qualitate, videlicet gratiæ plenitudine, cui æqualis nulla alia creatura eſſe potuit, & eleuantis qualitate, qua illam præ omnibus dilexit, ac præ omnibus ſecum copulauit.* Ea quæ per hanc ſcientiam cognouit enumerant enucleatè Alb. Mag. ſuper miſſus eſt c. 149. & S. Bernardinus Sen. t. 2. ſ. 51. a. 1. c. 2. alijque permulti. An hæc ſcientia per ſe infuſa fuerit diſcurſiua, an poſſet omnia ſimul obiecta cognoſcere, ad quæ extendebatur, an ceſſauerit vnquam ab actuali contemplatione, nimirum aliquorum obiectorum cognitione, & huiuſmodi piè, & ſcitè philoſophatur Io. Baptiſta Nouatus t. 2. c. 1. q. 10. 11. 12. 13., habentque proportionem cum ijs, quæ de Chriſti Domini ſcientia per ſe infuſa dicuntur. An rurſus hæc ſcientia per ſe infuſa præter ſpecies diuinitus inditas includat eiam habitum ſupernaturalem, & an ille habitus ſit ſimplex qualitas an non, pendet ex alijs queſtionibus philoſophicis, ac theologicis. Si attendenda eſt proportio ad lumen gloriæ admittendus eſt habitus omnino diſtinctus a ſpeciebus etiam ſupernaturalibus. Hic habitus probabilius eſt aliquid ſimplex quidquid ſit de habitibus totalium ſcientiarum naturalium; nam dicit maiorem perfectionem vt probat Nouatus t. 2. c. 1. q. 14. In Chriſto Domino ſimplicem habitum ſcientiæ infuſæ per ſe admittit Suarez t. 1. in 3. p. d. 29. ſ. 3. Ab illo ad habitum ſcientiæ per ſe

infuſæ

infuſæ intellectui Deiparæ argumentari poſſumus.

Aliam ſcientiam ex ſuo genere aquiſitam, & per accidens infuſam admittunt in Deipara Sanctiſſima plures Doctores theologi Caiet. 3. p. q. 27. a. 3. Viguerius in inſtit. theol. c. 5. §. 3. Iacobus Chriſtopolit. in cant. Deip. Dyon. Carthuſ. l. de laud. Virg. a. 22. Franciſcus Pitigianus ad 3. Scoti d. 3. q. 1. a. 8. Barradius t. 1. concord. l. 6. c. 3. Vaſquez 3. p. d. 119. c. 3. Suarez t. 2. ad 3. p. d. 4. ſ. 7. & alij. Hic vltimus expreſsè & clarè explicat obiectum, & conſequenter naturam huius ſcientiæ d. 19. ſ. 5. §. Dico 2. vbi ſic ait. *Veriſimile eſt habuiſſe B. V. per accidens infuſam eam cognitionem rerum naturalium vel moralium, quæ ad perfectam ſcripturarum intelligentiam, & ad perfectionem theologicæ doctrinæ, item ad penetranda, & explicanda, ac ſuadenda fidei myſteria, denique ad conſumatam prudentiam rerum agendarum prout illi fuit neceſſaria, & expediens.* Hinc iure S. Eccleſia vocat B. V. *Sedem Sapientiæ*, & ſapientiſſimus Idiota l. de cont. Deip. c. 4. celebrat vt eam, quam *Sapientia ædificauit ſibi domum* prouerb. 9. Rupertus Abb. illud cant. 1. *introduxit me Rex in cellaria ſua* de B. Virgine interpretatur, & per cellaria intelligit *repoſitionem theſaurorum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*. Idem Rupertus Abb. in cant. l. 4. ſic B. Virginem alloquitur. *Tu fons hortorum, tu puteus aquarum viuentium, fons inquam hortorum ideſt Mater Eccleſiarum, puteus aquarum viuentium ideſt ſecretarum omniũ Scripturarum Sanctarum*. Hugo quoque Cardin. in Eccleſiaſt. c. 24. ad illa verba *profun-*

dum abyſſi penetraui Scientiam B. Mariæ extollit. Mira habent de ſcientia infuſa Mariana Io. Gerſon opuſc. de cantichord. tract. 2. t. 2. & ſuper Magnif. tr. 12. not. 1. S. Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt, Idiota in lib. cont. c. 2. S. Bernardinus t. 2. ſ. 51. a. 1. c. 2. Pelbartus in ſtellario l. 11. p. 1. c. 7. Alb. Mag. ſuper miſſus eſt c. 144. Suarez t. 2. in 3. p. diſp. 19. Sandæus 1. p. theol. l. 3. comm. 9. exerc. 2. & alij. Non ad theologiam tantum, ſed ad philoſophiam moralem, ac naturalem, & præcipuas ſcientiæ mathematicæ partes Geometriam, Arithmeticam, tum deinde Rhetoricam, & Poeſim prout eius ſtatui congruebat, infuſas B. Virgini deſcendit Nouatus, & a queſt. 2. ad 7. egregiè philoſophatur.

Habuiſſe præterea B. Virginem multas reuelationes dubitari nō poteſt iuxta illud cantic. 2. *En dilectus meus loquitur mihi. Fontem qui non poſſit exhauriri diuinarum reuelationum* vocat B. Virginem And. Cret. ſ. de Aſſ. Idem luculentiſſimis elogijs teſtantur B. Laur. Iuſtin. ſ. de purif. S. Anſ. l. de excell. Virg. c. 7. S. Hildeph. de S. Virgin. c. 10. & alij. Illæ reuelationes, quæ fiebant per ſpecies dependentes a phantaſia ſimiles noſtris ad ſcientiam per accidens infuſam pertinebant: illæ quæ per ſpecies Angelicis ſimiles independentes a phantaſia, ad ſcientiam per ſe infuſam. At quomodo dono prophetiæ fuerit prædita B. V. alibi dicetur, vti etiam quomodo magiſtra Apoſtolorum fuerit, & Doctorū orbi doctrix.

Edidiciſſe tandem multa naturalibus medijs B. Virg. præſertim a Filio, cum quo ſemper vixit, & hanc ſcientiam aquiſitam quotidianis

experi-

experimentis, legendi exercitatione, meditandi ſtudio, ſenſuum miniſterio, ratiocinationum vi amplificaſſe nemini dubiū eſſe poteſt. *Erat docilis* inquit S. Epiph. *& amans doctrinam* or. de laud. Virg. Similia habet S. Anſ. de laud. B. Virg. in fine operum. Ei filium multa communicaſſe teſtatur Guarr. Abb. ſer. 1. de Aſſump. his verbis. *Habitauit in ea nouem menſibus, habitauit cum ea, & ſub ea annis pluribus. Habitans in ea replebat eam ſingulari gratia Chariſmatum: habitans cum ea paſcebat eam incomparabili piorum ſuauitate morum, & diuinorum deſiderabili ſapientia ſermonum*: De ſciencia experimentali aquiſita loquutus eſt S. *Anſelmus de excell. Virg. c. 2. cum dixit. Multa in ſe non ſolum ſimplici ſcientia, ſed ipſo experimento didicerat.*

Harum ſcientiarum excellentia aliquibus SS. Patrum teſtimonijs illuſtratur.

V.

APpellatur Deipara Virgo propter ſuarum ſcientiarū eminentiam à Guarrico Abb. ſer. 4. in Aſſ. *magiſtra totius veritatis* à S. Cyrill. hom. 6. *ſceptrum ſanctæ doctrinæ* à S. Greg. Thaumaturgo *Cherubicus Thronus* ab Andr. Hieroſolym. ſer. 2. de Aſſ. *ſumma diuinorum oraculorum*. Idem ſic eam ſalutat in ſer. in ſalutat. Angel. *Salue contemplatiuæ cognitionis intellectuale ſpeculum!* S. Bonau. in ſpec. c. 8. aſſerit *omnes theſauros ſcientiæ, & ſapientiæ eſſe in Maria*, & redditur ratio in ſigillo Deip. quod refertur t. 2. biblioth. PP. his verbis. *Ipſe quippe fons ſapientiæ in ea manſionem fecerat, & ideò omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ*

omnes

omnes abſconditi erant . S. Germ. Conſt. ſic Zachariam Prçcurſoris parentem alloquentem B.V. inducit . *Huc ades &c. perfectio diuinarum ordinationum, huc ades ſignaculum teſtamenti ipſius , huc ades finis ipſius conſiliorum* . *Noſti ò Maria* inquit S. Greg. Thaum. *quæ Patriarchas , & Prophetas latebant : didiciſti ò Virgo quæ adhuc Angelis fuerunt abſcondita : audiſti ò Sanctiſſima , quæ nunquam Diuino Spiritu afflatorum audire meruit Moyſes, & Dauid, Iſaias, & Daniel, cunctique Prophetæ de eo prædicarunt , ſed modum , rationemue ignorarunt , tu verò ſola ò Sanctiſſima Virgo quæ his omnibus fuerunt ignota myſteria nunc ſuſcipis , cauſamque intelligis , nam vbi Spiritus Sanctus , cuncta prompte , ac incunctanter perficiunt* . Sed vnus omnia S. Bern. complexus eſt ſ. in ſig. mag. his verbis . *Iure Maria ſole perhibetur amicta , quæ profundiſſimã diuinæ ſapientiæ , vltra quam credi valeat penetrauit abyſſum , vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur luci illi inacceſſibili videatur immerſa* . Hoc nihil grandius, nihil auguſtius de ſcientiæ Marianæ, omniumque cæleſtium cognitionum excellentia dici poteſt .

Ingentia eius merita.

VI.

INfans Deipara non ſolum præter morem aliorum infantium fuit vſu rationis perfectiſſimo, & nobiliſſimis cognitionibus illuſtrata, ſed plena cumulatiſſima gratia ab inſtanti illibatæ conceptionis infuſa , alijſque chariſmatibus ſupernaturalibus , atque exercitio perpetuo actuum meritoriorum vacans; propterea

propterea aliquid ſummatim prout fert hoc Marianarum laudum breuiarium de eius meritis dicendum eſt. De gratia habituali, ac virtutibus, alijſque celeſtibus donis alius erit dicendi locus. Ab initio conceptionis inchoatus eſt magnus meritorum cumulus, & grandibus augmentis non ſolum in Infantia, cum paruula Altiſſimo placuit, ſed toto tempore vitæ iuxta gratiæ, & charitatis menſuram, pretium, modumque intenſionis actuum creuit fere in immenſum.

Ex ſingulis actibus liberis.

VII.

OMnia generaliter B. V. opera & actus ab incontaminato conceptu vſque ad Sanctiſſimũ eius obitum meritoria fuerunt. Communis, & probabiliſſima ſententia eſt actus omnes, qui poſſent a ratione, & arbitrio pendere fuiſſe in B. V. deliberatos, ac proinde aptos ad gratiæ, & meritorum augmentum. Cum enim ex vna patte perfectiſſimè eſſet Domina ſuorum actuum, & per ſpecies infuſas a phantaſiæ opera, laboreque independentes, ac proinde ſine vlla corporis defatigatione bonum honeſtum intelligeret; & ex alia parte voluntas plena Sancto Spiritu, ac ſupernaturalibus chariſmatis eſſet, nullus actus in B. Virgine erat, qui non eſſet humanus, nullus humanus, qui non eſſet meritorius. Hoc multò certius eſt admiſſa Angel. Doct. ſententia, quod nullus actus ſit in indiuiduo indifferens. Et veriſſimum eſt ſiue ſupernaturalitas in actum refundatur ab obiecto, ſiue a principio ſupernaturali. Si dicatur primum vel obie-

ctum

ctum omnium actuum fuit honeſtum,& ſupernaturale; vel actus circa obiectum moraliter bonum prodibant ab imperio ſupernaturali: Si ſecundum omnes actus ex lumine, vel ſcientiæ infuſæ, vel fidei, & alijs principijs ſupernaturalibus procedebant.

Ex iugi exercitio actualis charitatis.

VIII.

IMmenſa ferè menſura Mariani meriti à nobis inferri debet non ſolum ex gratiæ, & charitatis habitualis cumulo, quē in momento ſui conceptus accepit, auxitque mirum in modum totius vitæ ſpatio, ſed etiam ex continenti charitatis actualis, ſiue elicientis, ſiue imperantis actus intenſiſſimo ſtudio. Hoc perpetuum maximum meritorum augmentum ratione actualis charitatis agnoſcit Alb. Mag. relatus à S. Anton. 4. p. t. 15. c. 5. cui ſubſcribunt duo Societ. noſtræ magna lumina Suarez t. 2. 3. p. d. 18. ſ. 2. & Vaſquez 3. p. d. 119. c. 6. *eadem Dei Genitrix* inquit Vener. Beda in c. 11. Lucæ *& inde quidem Beata, quia Verbi incarnandi Miniſtra facta eſt temporalis, ſed inde multò beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna*. S. Bonau. in ſpec. lect. 14. affert illud D. Bernardi ſ. 1. de Aſſumpt. ex quo colligitur Deiparam Virginem ſemper in ſua voluntate diuini amoris igne arſiſſe. *Quis dubitet* inquit *in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt charitas, nouem menſibus corporaliter requieuit*. Idem expreſſit luculentius S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ. ſit *Mariam velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit vt in ea*

Spiritus

Spiritus Sancti tantum flamma videatur, nec ſentiatur, niſi tantum ignis amoris Dei. Illa verba cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper bracchium tuum* Alanus, quem refert Delrius in cant. 1. ad illum locum de B. Virgine explicat, quæ omnes ſuas cogitationes, & operationes, omnia interna, & externa per charitatem perfectiſſimam ad Dei maiorem gloriam referret iuxta illud Apoſt. 1. ad cor. 10. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite. Aſtitit Regina a dextris tuis* vt habetur in Pſ. 44. *in veſtitu deaurato circumdata varietate*, nimirum varietate virtutum ex S. Cyrill. Alex. l. 1. de ador. in ſpir. Cæli, terræque Regina; in veſtitu deaurato nimirum auri charitatis, nam ex D. Greg. Mag l 34. mor. c. 13. charitas auri nomine deſignatur. Etiam Ioanni MARIA ſignum magnum, & coloſſus Sanctitatis ſe ſe ſpectandam dedit ſtellis coronatam nimirum virtutibus & inſolenti noctis, dieique commercio ſole amictam nimirum charitate. Ita explicat ex D. Bern. & alijs Hieron. Laure. in ſua Sylua verbo Sol & Stellæ. Cum his tamen ſtat alios etiam actus in B. Virgine virtutum infuſarum etiam non imperatos, & elicitos a charitate vt docet S. Th. in 2. d. 40. a. 5. ad 3. & Suarez l. 12. de grat. c. 9. habuiſſe ſuum augmentum meritorium; & vim merendi de cõdigno gratiam, & gloriam. *Ex intenſione & nunquam interrupta ſerie ne quidem in ſomno operationum meritoriarum.*

VIIII.

Etiamſi omnes actus honeſti & ſupernaturales in homine iuſto iuxta probabiliſſimam

mam ſententiam, etiam remiſſiores habitu gratiæ, & charitatis mereantur augmentum gratiæ, & gloriæ, multò maius ſine vlla controuerſia merentur intenſiores. De actuum intenſione in B. Virgine alibi dicemus, nunc ſupponendum eſt ex illa maximum incrementum eius merita accepiſſe. Ingentium meritorum Magnę Dei Matris etiam in ſomno perpetuitas probatur ex D. Ambroſ l. 2. de Virgin. *Dormire* (de B. Virgine loquitur) *non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit, & tamen cum quieſceret corpus vigilaret animus &c.* & ex Rup. Abb. iſ explicat. ad illud cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Etiam in ſomno continenter meruiſſe Deip. Sanctiſſimam per actus pretioſiſſimos tuentur Suarez t. 2. 3. p. d. 18. ſer. 2. & apud ipſum S. Bern. Sen. Bern Buſtus, Dyon. Richel. & alij, Alb. Mag. de B. V. c. 176. D. Anton. 4. p. t. 15. c. 20. Io. Gerſon tract. 4. ſuper Magnif. Spinellus in Th. Dei c. 21 Raynaudus in ſuis Dipt. Mar. p. 2. puncto 5. Io. Baptiſta Nouatus t. 2. de em. Deip. c. 6. q. 4. & alij. Scio aliquos merito MARIÆ dormientis refragari nimirum Abulenſ. in c. 1. Matth. q. 55. Maiorem ibidem dub. 8. Iacobum de Valentia in cant. Deip. ad v. 4. dig. 3. & alios; Sed ego non audeo piæ, & probabili ſententiæ aduerſari, cum præſertim ſcientia infuſa, quam habebat B. V. independens à phantaſmatibus æque in ſomno, & in vigilia prælucere poſſet actibus meritorijs.

Ex plenitudine gratia habitualis.

X.

ADmirabilis plenitudo gratiæ habitualis ab ipſo illibato conceptu infuſæ, auctæque

que toto vitæ tempore in confeſſo eſt apud omnes. Illam *gratia plenam* Angelus Myſterij Incarnationis Legatus ſalutauit: ibi hanc plenitudinem expendemus. Hanc cumulatiorem gratiam conferre ad maius meritum in perſona amiciori, & in maiori dignitate conſtituta affirmant Suarez t. 1. 3. p. d. 4. ſ. 4. Valentia t. 2. d. 8. q. 6. p. 3. Gabriel in 2. d. 29. queſt. vn. a. 1. Granadus in 2. 2. in materia de gratia tract. 11 d. 2. ſ. 2. Alb. cor. 18. ex. 1. princ. compl. & plures alij quos refert & ſequitur Emin. de Lugo de Incar. d. 5. ſ. 7. Suffragatur Martinez de Ripalda de ente ſupernat. l. 4. d. 81. ſ. 1. & apud ipſum præter laudatos Auctores Caietanus, Henriquez Salmeron, Salas, Moncæus, Conink, Tannerus, Meracius, Petrus Hurtadus. Omnes ex ſummo theologiæ ſcholaſticæ Magiſtro Angel. Doct. didicerunt, qui in 2. dict. 29. a. 4. hæc habet. *Ex his tribus efficacia merendi menſurari poteſt ex gratia, voluntate, & obiecto. Quantò enim maiori charitate, & gratia actus informatur tanto magis eſt meritorius.* Eadem habet 1. p. q. 95. a. 4. *Quantitas meriti ait ex duobus penſari poteſt vno modo ex radice charitatis, & gratiæ, alio modo ex quantitate operis &c.* His ſimilia habet in quodlib. 6. a. 11. & in 1. cor. 3. lect. 2. Scio Scotum in 2. diſt. 20. q. 1. & in 4. d. 15. q. 1. cum alijs refragari. Superior ſententia communior, & probabilior eſt. Ratione ſic probari poteſt. Gratia habitualis eſt dignitas, per quam tanquam per partem eſſentialem meritũ fit condignum, & æquale præmio: Ergo vbicunque erit maior, & cumulatior gratia, erit meritum condignius, & æquale maiori præmio: Ergo

meritum maius, & cumulatius: Ex his patet quantum merita B. V. ex plenitudine gratiæ, qua plena erat, incrementum acceperint.

An creuerint merita Deiparæ Virg. ratione maternitatis Dei.

XI.

INclinat in ſententiam affirmatiuam Io. Baptiſta Nouatus tom. 2. de em. Deip. c. 6. q. 6. Sed non audet definire. Iuxta ſententiam aſſerentem maternitatem Dei eſſe formam ſantificantem in B. V. defendi poſſet. Aliter fundamentum ſufficiens ad id adſtruendum non video. Illud Pauli ad epheſ. 4. *In charitate creſcemus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum &c.* omnibus iuſtis conuenit. Illa verba S. Bern. Sen. t. 3. ſ. de glor. nom. Mar. a. 2. c. 1. *B. V. fuit viciniſſima quadrupliciter primo in Incarnatione per carnis identitatem &c.* dignitatem quidem matris Dei mirum in modum extollit, ſed intentum, quod ex ratione præciſa maternitatis eius merita creuerint efficaciter non probat.

An ex voluntate Chriſti.

XII.

CErtum eſt ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 8. omnem vim merendi eſſe in nobis ex Chriſto Domino, & quatenus nobis gratiam impetrauit, & quatenus ſua merita pro nobis obtulit Patri, & ab illo acceptata ſunt. *Omnis* inquit *gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, & in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent,*

habent, ab illo offeruntur Patri, & ab illo acceptantur. Certum etiam eſt Chriſtum Dominum vt probat Suarez t. 2. in 3. p. d. 19. ſ. 4. multorum PP. teſtimonijs plus amaſſe B. Virginem matrē ſuam, quam omnes alios Sanctos. Conſequenter dicendum eſt Chriſtum Dominum in applicandis, offerendis, & ordinandis ſuis meritis magis reſpexiſſe ad matrem ſuam, quam ad omnes alios iuſtos. Addit Nouatus loc. iam alleg. q 8. creuiſſe etiam merita B. Virginis ex eo quod Chriſtus Dominus, & viuens; & poſt aſcenſionem exiſtens in Cælo ea æterno Patri peculiari affectu obtulit. De incremento meritorii B. Virginis ratione præſtantię obiecti, ex qua, vt docet Angel. Doctor in 2. d. 24. a. 4. augetur boni operis meritum, ratione difficultatis operandi, vt docet idem Angel. Doctor p. 2. q. 114. a. 4. & ratione continuationis actuum vt docet l. 12. de gratia c. 21. non ago, quia hoc omnibus iuſtis merentibus per actus honeſtos ſupernaturales commune eſt.

An aliquid de congruo B. Virgo meruerit hominibus, & Angelis.

XIII.

Hominibus B. Virginem viatricem meruiſſe ſufficienter de congruo remiſſionem peccatorum, gratiam Sanctificantem, & omnia alia dona quæ inde conſequuntur affirmat Nouatus t. 2. de em. Deip. c. 6. q. 12. quod extendit etiam ad antiquos Patres q. 13. Addit q. 14. non ſolum meruiſſe de congruo Angelis gloriam accidentalem de reparatione ſuarum Sedium, ſed etiam gratiam, & glo-

riam eſſentialem. Probat deinde omnia multis SS. Patrum teſtimonijs. Abſolutè & ſimpliciter hoc meritum B. Virgini adſcribere non audeo, niſi addamus mediatè, nimirum quatenus meruit non quidem ſubſtantiam Incarnationis, ſed vt docent communiter Doctores theologi, maternitatem ſuam, qua mediante *Verbum caro factum eſt*, & Chriſtus Dominus meruit hominibus gratiam, & gloriam, aliaque dona ad vtrunque ſtatum viatorem gratiæ, & comprehenſorem gloriæ pertinentia. In hoc ſenſu dicitur a SS. Patribus *mediatrix Dei, & hominum, reparatrix ſæculi, redemptrix humani generis*, omnia apud Deum poſſe, & huiuſmodi, vt alibi probabimus. Neque aliud indicant SS. Patrum loca. Vnde S. Ambroſ. t. 6. ſ. 6. de Purif. ait. *Quando non ipſa Mater electorum, quæ Patrem genuit eorum?* Si inquam Chriſtus credentium Pater, cur non ipſa quæ Chriſtum genuit ſit credentium Mater? In Chriſto ergo qui *primogenitus eſt electorum, & caput* omnes electos genuit, & bene dicitur *cauſa noſtræ ſalutis*. Cooperata eſt iuxta doctrinam S. Th. 3. p. q. 26. a. 1. ad vnionem hominum cum Deo diſpoſitiuè, & miniſterialiter, non formaliter & principaliter, vti Chriſtus Dominus; *Vnus enim iuxta Apoſtolum eſt mediator Dei, & hominum Ieſus Chriſtus*. S. Th. conſonat S. Auguſt. de S. Virginitate vbi ait *B. V. charitate ſua cooperatam eſſe, vt fideles in Eccleſia naſcerentur. Omnium ſalutem deſiderauit, quæſiuit* inquit *Ricch. Victor*, c. 26. in cant. *Et obtinuit, imo & ſalus omnium per ipſam facta eſt*; vnde & *Mundi ſalus* dicta eſt. Hinc iure Rup. Abb.

Abb. explicans illud cant. 4. Emiſſiones tuæ Paradiſus ſic eam alloquitur. *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium Mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt*. Non aliter intelligendus eſt S. Anſel. cum ait. *Sicut Deus creando omnia Pater eſt, & Dominus omnium; ita B.V. ſuis meritis cuncta reparando Mater eſt, & Domina rerum*. Et D. Bonau. in ſpec. c. 1. *Per eius benedictionem benedicitur omnis creatura non ſolum a Creatore, ſed Creator à creatura*; nam reuera iuxta Apoſt. ad Epheſ. 1. *Deus benedixit nos omni benedictione ſpirituali in celeſtibus in Chriſto*, & ipſe vnus perfectus Redemptor, & Dei, hominumque Mediator eſt. Hæc de hominibus reſpectu quorum dicitur illi Eccleſ. 24. a Deo *in electis meis mitte radices*.

Alia eſt ratio Angelorum, quibus gaudium accidentale procul dubio meruit iuxta illud B. Laur. Iuſtin. ſ. de Annunc. *Magna profectò fuit Mariæ gratia exuperans, atque completa, quæ Cælis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præſtitit Angelis*. Similia habet S. Bern. ſ. 2. Pentec. & de natiu. Mar. Si loquamur de gratia & gloria eſſentiali Angelorum eadem, quæ de hominibus dici non poſſunt in ſententia S. Th. & aliorum, qui multis rationum momentis, & SS. Patrum teſtimonijs eam probant. Hæc non niſi Chriſtum præfinitum aſſerit vt Redemptorem poſt peccatum primi parentis, & conſequenter poſt electionem Angelorum ad gratiam, & gloriam, vt fusè docet Card. de Lugo in tract. de Incarn. S. Th. ſententiam egregiè illuſtrans.

An ſupra omnes Sanctos ſimul ſumptos meruerit?

XIV.

HOC definiendum eſt ex ijs, quæ de eius gratia & gloria dicentur, & fusè habet Spin. in Th. Dei c. 6. Seraphicus Doctor in ſpec. c. 2. vt explicet eminentiam meriti Mariani ſupra omnes Sanctas animas, & beatorum Spirituum hierarchias hæc habet. *Maria Deus præparauerat, non ſolum magnitudinem, ſed multitudinem bonorum in Cælo, ita vt nullus Angelus, nullus SS. ei æquari poſſit in multitudine, & congregatione bonorum cæleſtium* iuxta illud prouerb. 31. *multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Si filias iſtas intelligamus animas ſanctas vel intelligentias Angelicas nunquid non ſupergreſſa eſt diuitias, omnium, cum ipſa ſit primitiua Virginum, ſpeculum Confeſſorum, roſa Martyrum, regiſtrum Apoſtolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, Regina Angelorum? Quid enim de diuitijs omnium horum defuit?* Hieronymus enim ait. *Mariam ſi diligentius inſpicias nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris & gloriæ quod in ea non reſplendeat.* Aliqui aſſerunt vnum actum B. V. in patria excedere dignitate omnes actus, quos homines, & Angeli comprehenſores eliciunt, & in via vnum actũ charitatis ſuperaſſe valore, ac merito congeſtas in vnum cumulum omnes omnium hominum actiones meritorias. Refutantur iſti ſolidè a Raynaudo in Dipt. Mar. p. 2. puncto 5. Excellentia magnæ Deiparæ, cuius ipſa fundamenta in Montibus ſanctis ſublimia ſunt, non indiget inſanis hiſce ſubſtructionibus, & exaggerationibus monſtroſis, vt attollatur, & celebretur.

PRAE-

PRAESENTATIO in Templo Hieroſolymitano. ENCAENIA.

ELOG. VIII.

Audi Filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. Pſ. 44.

Adducentur Regi Virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis ibid.

Noua Hæbrei Myſtæ Encænia celebraté,
vbi non Templum Deo;
Sed nouum veteri,
Templum dicatur.
Illuſtrius hoc Templum nemo non dicat:
habitat MARIAM Deus non in nebula,
ſed in luce.
Illam Sole amictam Luna calceatam,
Stellis coronatam
voluit toto Cælo ſplendeſcere.
Auferte brutales hoſtias cruenti Poppæ:
humana hoſtia Sacras ędes diuinius conſecrat,
coronata, & Sacra
e Regum ſanguine, & Sacerdotum.
Templum a Salomone
tot gregum, & armentorum cruore luſtratum
ſe ipſa Salomonis Neptis
Sui Sacerdos dedicat.
Numerum compenſat hoſtiæ magnitudo
Mundo maior.
Auito Templo Zorobabelis hæres

plus de ſuo addet, quam inuenerit;
aurum amoris,
candoris argentum,
omnium virtutum gemmas.
Silete etiam cantores chori, & citharædi:
totum huic Sacrificio Cælum
ſymphoniacum plaudit.
In Templo placent Dei auribus magis corda;
quam chordæ,
& fide citius placantur, quam fidibus.
non alius ſonus Tonantem
prouocatum ad fulmina mulcet,
quam qui e concentu virtutum venit.
E parentum ædibus MARIA
in Dei domum translata
non adijt, ſed mutauit gymnaſium probitatis.
Imo vbique cum ſe ipſa mobilem Dei domum
conſtanter circumtulit.
Illuſtrius anathema in Templo
ſuſpici non potuit,
quam hæc ſpirans omnium idea virtutum.
Excepit itaque venientem ad Templum
Summus Sacerdos
per virtutum gradus, non lapidum.
Ad huius etiam Templi diuini honoris adyta
per ſolum Templum virtutis aditus erat.
portam quam grandæuus Petrus
ſuo exornabit prodigio
fecerat hoc primo ingreſſu
MARIA Puppula ſpecioſam.
Sed adytum magis nobilitauit, quam aditum.
Sancta ſanctorum
noua intulit Templo Sancta Sanctorum.
In his poſtea adorarunt
non legis tantum Arcam, ſed Legislatoris,
non

non Angelicum tantum manna, ſed diuinium;
non florentem tantum virgam, ſed Virginem.
Hoc ipſo anno, quo MARIA Infans loqui cœpit
omnes fatorum Interpretes ſiluerunt.
Auguſtus omnes fatidicos libros comburi iuſſit
magno iuris Codice in hac vna lege digeſto.
Hac pœna poſt mortem mulctandi erant
rei læſæ humanæ, diuinæque Maieſtatis
mortui impoſtores.
Matre Diuini VERBI loquente
cætera omnia ſilere debuerunt.
Et a Patre cæleſti, & a terrena Matre
vnico hoc omnia VERBO dicuntur.
Ita MARIA Infantula Templo dicata
tota Sanctuarium Dei facta
eam Diuinitatem altè mente concepit,
quam erat ex vtero orbi terrarum paritura.

Non cunctata eſt Anna eam ad Templum adducere, & Deo reddere, ac promiſſum ſeruare. S. Greg. Nyſſ. or. de Chriſti Natiu.

Trimula cum eſſet in Templo eſt præſentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos vndecim. Euodius Apoſt. ſucceſſor in epiſt. quam inſcripſit *lumen*.

De præſentatione in templo Hieroſolymitano.

CAP. VIII.

ANnus agebatur poſt mundi molitionem 4041. ante eiuſdem reparationem in IESV Chriſti ortu 12. Olympiadis 191. quartus; Vrbis conditæ 740. Auguſti 17.

& magnæ Puppulæ noſtræ MARIÆ beatiſſimæ quartus inchoatus, cum Sanctiſſimi Parentes IOACHIMVS & ANNA hanc Primogenitam ſuam; vnicam non ſui tantum, ſed humani generis ſpem, Ieſſæam virgam in vrbe florum Nazareth vernantem qua feſſam ætatem ſuſtentabant, Iudææ delicium, orbis terrarum felicitatem, vno verbo Filiam ſuam creſcentem in Dei Matrem; & in ea omnes Cæli, terræque amores, exacto primò lactentis Infantiæ triennio 12. Kal. Decembris Hieroſolymam deduxerunt, ac Templo dicarunt. Erat in vtroque Parente iam iam caligantium oculorum communis Sol: erat frigeſcentium iam iam pectorum commune corculum. Amor tamen e Cælo diuinus vtrique addidit alas, vt volantes potius diceres, quam volentes, cum tanto ardore religioſum conſilium implerent. Ipſa etiam antiqua Parentum vota, quibus cæleſtem prolem antequam naſceretur, Cælo dedicarunt, cum recentibus Filiæ votis innocenti pugna, felicique vtrinque victoria certarunt. Noua Encænia vobis Hieroſolymitani, Templi Leuiticæ Tribus Patres & plebs, Tibique Summe Pontifex Sacrorum Rex, encomiaſtes Myſtagogus edico. Iterum Hieroſolymitanum Templum, religioſiori ritu dedicatur, dum in illud, Nazarenum hoc auguſtius infertur, trimula nimirum Infantula, expletis in Templo tribus luſtris futura viuum Dei Templum, imo Templorum omnium ſanctitas. Accurre orbis ſpectator ad Templi Hieroſolymitani limen, & ſupra octauum illud Mundi miraculum, vnum hoc prodigium admirare, nimirum mortuum Templum ab animato,

mato,

mato, lapideum ab aureo conſecrari. Obſtupeſce inter Cæli, terræque canoros, ac ſonoros plauſus ab Antiſtita Parentum religione coronatam omnium gratiarum, & virtutum floribus, Puppulam Nazarenam lactentem victimam Numini litari, Sanctuarium Templo, Arcam Sanctuario inferri, quæ non humanis tantũ vocibus Dei loquentis reſponſa auribus feret, ſed ipſum proferet corporatũ. Diuinum Verbum, oculiſque ſpectandum in luce ſua exhibebit. Affuere certè ſuperi Spectatores, toto Cælo Sereniſſimæ Empyrei Infantulæ illuſtrius ſolitò arridente: accurrit Summus Sacerdos talem, ac tantam virgunculam exporrectis bracchijs, explicatoque ſinu excipiens; acclamarunt Sacerdotes: gratulatus eſt vt piè multi autumant Zacharias ſanguine non tantum ſed ſanctitate cognatus, affulgere primum diuini ſolis auroram e ſua Gente, & in ea ſolem naſciturum adorauit. Sed felicioribus titulis IOACHIMVS & ANNA Cælo, terræ Filiæ, ſibique plauſerunt. Incipit Hieroſolyma viſione pacis nomen ſuum implere, ſpe futuræ inter Deum, & homines pacis in ea, ſiquam lætiſſimis auſpicijs excipiebat Infantula iam tum arridente. Imo breui affutura pax ſperari poteſt, vbi hæc hoſtia pacificorum templum ingreditur, & aras imbuit. Certè nullum purius trimula hac victima in aris holocauſtum exarſit, non inter odoratas arborum, ſed inter adoratas hominum lachrymas, liquidumque thus cordis, non in fumo, ſed in ſuſpirijs religioſi amoris igne ſuppoſito. Primam Olympiadem cæli veri Olympi Stellis coronati Regina abſoluere non debuit, niſi intra Templi

Septa, verum olympicum ſtadium ſanctitatis. Vbi nam diuinius reponi poterat, quam in Templo Arca mobilis Nominis non peregrini in ea, ſed inquilini? Vt exornaret etiam Nazarena virgancula altaria, quæ colebat inter primitias, ætatis ſuæ florem attulit. Nullus flos in aris vernans nō areis, religioſiore cultu ſacrificia coronauit. Florem ętatis virgo candorē ſuum Deo dedit: pignerata fide Deus æternum Virgini ſeruauit, lilio candoris diuina cultura in amaranthum immortalitatis refloreſcente. Adijt Templum media non ſolum inter parentes, vnus vtriuſque amor, ſed inter omnium cæleſtium charitum choros, quas ab ipſo immaculato conceptu anticipato libertatis, & omnis ſanctitatis vſu, ſtudioque, & omnium aliorum bonorum diuinorum poſſeſſione ſecum ferebat. Per quindecim lapideos gradus prodigioſo progreſſu Templum aſcendit; ſed plures iam gemmeos conſcenderat nimirum virtutes omnes, vnde non tantum virguncularum Parthenonem in ſuis moribus aperuit, ſed Aſceterium ſeniorum. A IOACHIMO, & ANNA diſcite Chriſtiani Patres & Matres omne educandæ veſtræ prolis magiſterium, & infantiæ enciclopediam. Sobolem veſtram a cunis ad aras traducite; ſacra, enim domus iure deſtinatur prima paleſtra erudiendæ pietati. Hæc in patria æde peregrina, in Dei domo veram patriam inuenit. Inter prima elementa ALPHA, & OMEGA diuinitatis altè teneris mentibus inſculpite: mementote Liberos veſtros nunquam magis liberos eſſe, quam in Dei famulatu, piè, feliciterque captiuos. Scitote illuſtrari Sanctita-

tis ſplendore cumulatius familiam, quam ſanguinis, & ſæpius auitam ſtirpem in vno flore virgineo reuireſcere ad æterna decora. Non aliunde glorioſior immortalitas nominis habetur, quam a Numine immortali. Angeli gaudeant, & rideantur veſtræ lachrymæ, ac ſuſpiria mobilibus auris, quibus animantur leuiora in Filiorum fuga e prophanis ædibus ad ſacras, e terris ad Cælum, e Mundo ad Deum. Glorioſius eſt Cælum beatis ciuibus implere, quam domum hæredibus miſeris, & perituris cum illis caducorum bonorum figmentis, & felicitatis mendacijs, quæ tam auidè coaceruatis. Conſecrate Templis meliorem ſobolis veſtræ, imò Veſtri partem, non ignobilem, ac reiculam. Iniuria palmaris Cælo fit cum conamur inter æternorum conuiuiorum lautitias menſarum noſtrarum analecta reponere. Si ingens piaculum eſt vitiatam hoſtiam, & mutilam aris imponere, quale nefas erit ſola Mundi reiectamenta Deo donare? Si quod monſtrum domi natum eſt, ſi quod eſt in familia naturæ peccatum, ſi quod eſt inter Filios luſcum, claudum, bardum, blæſum animal Numini ſacrificare, generoſam verò prolem ad generis ſplendorem ſeruare? Velle demum quod Deus doni etiam liberalis, & beneficij loco habeat ſpurios ſtolones, qui progerminarunt a ſtirpe degeneres, & domeſtica maleficia, quæ nemo hominum vellet? Proponite vobis tanquam Ideam Archetypam, cuius ad inſtar fingatur indoles veſtrorum puerorum vnius MARIÆ infantiam. MARIAM quoque Infantem Chriſtiani pueri, veſtræ pueritiæ Magiſtram agnoſcite. In pueritia præſtat Mun-

dum

dum honeſtè fugere, ne ille omnem ætatem dehoneſtet. Scitote Mundum oceanum eſſe procellarum parentem: perijſtis ſi decumanam vndam expectatis. Reiectamenta idolorum prophana idolothita, menſa diuina non excipit. Agni anniculi ſunt maximæ veri Numinis victimæ, non Tauri ſenes. Florentes Deus in ſuis aris amat primitias ætatis potius, quam effætas fruges. Niſi citò citius ſublimia vota Cælum teneant, illa inanes auræ vndequaque diſſipant. Nec timendus eſt domeſticus luctus; nam nulla felicior teneræ ætati ad Deum nauigatio eſt, quam quæ velificante Sancto Spiritu exercetur per parentum lachrymas. Ita e Templo impetrata Deipara Templo dicata eſt, futura Diua Templorum, ac Dei Templum. Ex magni Templi cultu Abecedaria Infantula didicit, vnde totum orbem terrarum ſibi in Templum extrueret, & execrabilem prophanis, ſuis Templis Mundum idololatram conſecraret. Superſtitionem omnium pſeudodeorum in vno Pantheo adoratam, in ſui Religionem conuertens vno Templo Tartara euertet, & in infernis ruinis Cælum fundabit. Infantula Hieroſolymitanum Templum innocentia ſua colit: facta S. MARIA MAIOR Romanum prodigioſis niuibus architectata deſcribet ſuæ gloriæ innocentes triumphos à Capitolino monte in Exquilinum traducens. Ab Architecta Virgine quid aliud expectari poterit, præter cæleſtem candorem niueæ ſemitæ, quo maximum chriſtiani orbis templum delineetur? Eodem tempore Leo ſuis flammis in Cælo: Virgo intempeſtiuis niuibus regnabit in terris. Illuſtri prodigio

digito docebit, illud pectus templum magnæ Virginis eſſe, in quo æthna charitatis coronatur niuibus innocentiæ, & hybernum candorem illibatum ſeruat igniti æſtas amoris. Per id tempus, quo MARIA Infans fuit Templo dicata fatidicos libros Auguſtus flammis damnauit, & igneis illis linguis præcluſit ora dudum loquentium ſybillarum. Nullum ſacrificium veritati gratius eſſe poteſt, quam buſtum publicæ falſitatis. Hac tantum luce carnifice digni erant libri tenebriones, quæ perderet illos, dum proderet. Adurantur prophani libri, vt ſolum Dei Verbum legatur in MARIA, & adoretur. Sibyllis ſilentibus, nouum tantum audiatur Infantis Puppulæ oraculum. Et certè Matre Diuini VERBI poſt exactam infantiam loqui incipiente, cætera omnia ſilere debuerunt.

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis De præſentatione in Templo.

SYNOPSIS.

1 VEritas præſentationis B. Virginis in Templo ſtatuitur. 2. Locus, tempus, prodigioſus ad Templum aſcenſus. 3. Angelorum comitatus, Zachariæ accurſus, cum alijs Sacerdotibus, & eiuſdem MARIAE infantulæ mens. 4. De voto Virginitatis à MARIA Deipara in hoc omnium mortalium prima emiſſo: 5. Circa hoc tempus. 6. Illuſtribus titulis Principatum Deiparæ in Virginitate SS. Patres celebrant. 7. Omnes Virgines præſertim Deo ſacræ eam vt fundatricem agnoſcere debent.

Veritas præſentationis B. V. in Templo ſtatuitur.

I.

PRæſentationem B. Mar. in Templo Hieroſolymitano celebrat Eccleſia Catholica inſtituto anniuerſario feſto in eius rei memoriam 21. Nouembris, eamque SS. Patres luculentiſſimis homilijs exornant, rudentibus ne quidquam, & grunnientibus Nouatoribus, atque hanc veritatem inter figmenta reponentibus. Acerrimus Marianæ gloriæ vindex Pet. Caniſ. oblatam Templo a Sanctiſs. parentibus Beatam Virginem tuetur fusè, & eruditè defloratis in argumentum veritatis PP. tùm Græcorum, tum Latinorum homilijs. Multa etiam in hanc rem collegit Caſtro in hiſt. Deip. c. 3. Fran Turrianum ſub Pio V., cum ageret ur de huius feſti expunctione e Kalendario Romano adductis in medium multorum PP. gra-

uiſſimis teſtimonijs firmaſſe celebrem apud antiquos huius feſti venerationem teſtatur Pet. Ribadeneyra l. de ſcript. ſociet., & addit hoc retuliſſe à B. V. operæ pretium, vt eo die moreretur, vti piè credi poteſt, cælo naſcens. Infantem adhuc, ac trimulam B. V. fuiſſe in Templo præſentatam cum D. Hieron. in l. de ortu Mar. communis teſtatur PP. authoritas, & fideliũ ſenſus perſuaſiſſimum habet, vt fusè probat Spinellus in Th. Dei c. 8. De feſto Præſentationis, quod cepit publicè, & Apoſtolica authoritate celebrari an. Dom. 1375. Paulo II. Summo Pontifice, & Carolo V. Francorum Rege, cum prius tamen, & in Saxonia, & alibi ab aliquibus Eccleſijs celebraretur, legatur Card. Baronius in annot. ad Martyr. Rom. die 21. Nou. Annuit precibus Guillelmi Saxoniæ Ducis, vt celebraretur feſtum Præſent. B. V. perinde atq; Aſſumpt. Paulus II. vt in regiſtro eius Apoſtol. epiſt. legitur, & martyrologia Vſuardi, ac Molani teſtantur. Gregorius XIII. Hiſpaniarum Eccleſijs conceſſit, vt ſub ritu Officij duplicis celebrarent: Sixtus V. ad omnes Eccleſias extendit.

Locus, tempus, prodigioſus ad Templum aſcenſus.

II.

HIeroſolymitanum Templum fuiſſe locum Præſentationis in confeſſo eſt apud omnes, non illud Salomonicum iam euerſum, ſed Zorobabelicum ab Herode Tyranno inſtauratum, & a Tito deinde Imperatore dirutum, & ſolo æquatum. Ibi ad prioris imitationem aliud Templum magnificentiſſimum extructum poſtea fuiſſe a pijs fidelibus affirmat

Fr.

Fr. Quareſmus t. 2. elucid. terræ Sanctæ l. 4. c. 6. per. 3. eiuſque deſcriptionem affert? Addit conſecratum fuiſſe an. Sal. 1236. fer. 3. poſt Paſcha ab Apoſtolicæ Sedis Legato Alberico Epiſ. Oſtienſi Innocentio II. Summo Pontifice, & Fulcone Hieroſolymorum Rege. Ab hoc magnificentiſſimo Templo milites Sacri Sepulchri defenſores Templarij dicti ſunt. Legantur Sanutus ſecret. fid. cruc. l. 3. p. 14. c. 9. Iacobus Card. de Vitriaco c. 62. ſuæ hiſt. & alij terræ Sanctæ deſcriptores.

Anno ætatis tertio (nimirum iam expleto, & quarto inchoato) deductam ad Templum a Parentibus MARIAM Infantulam ſcribit Georg. Cedrenus in comp. hiſt. Conſonant alij Scriptores Eccleſiaſt. & PP. licet hic ætatis terminus in oblata Virgine non ſit omnino certus, vt notat Molanus l. 3. de imag. c. 49. S. Hieron. l. de ortu Mar. c. 9. hanc oblationem ait SS. Parentibus IOACHIMO, & ANNÆ ab Angelo conceptionis eiuſdem Legato fuiſſe prænunciatam his verbis. *Vxor tua pariet tibi Filiam & vocabis nomen eius Mariam. Hæc erit vt vouiſtis ab infantia ſua Domino conſecrata & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero Matris*. Hæc votiua Parentum oblatio non excludit, quo minus B. Virgo ſe ipſam obtulerit, ac templo dicarit.

Aſcendiſſe MARIAM Infantulam quindecim Templi gradus cum manifeſto miraculo in illa ætatula expeditè, & ſine vllius auxilio affirmat S. Hieron. in l. de ortu Mar. & ex illo Card. de Vitriaco in hiſt. Hieroſol. c. 62. Io. de Carthag. t. 3. l. 3. hom. 1. & alij. Idem innuere videtur S. Germ. Conſt. in or. de oblat.

Deip.

Deip. illis verbis. *Puella autem valde lætans, & exultans ibat in templum Dei tanquam in thalamum imitata Filium deſcendentem e ſinu Patris in terras, qui exultauit vt Gigas ad currendam viam*, Poſt hunc prodigioſum aſcenſum ſine vllius auxilio perinde, ac ſi fuiſſet robuſtæ ætatis, & virium adultarum ſic S. Hieron. loc. iam alleg. concludit. *Iam quippe Dominus in Virginis ſua infantia magnum quid operabatur, & quanta futura eſſet huius miraculi indicio præmonſtrabat*. Ex hoc quoque prodigioſo aſcenſu per quindecim gradus, qui iuxta 15 graduum pſalmos in Templi veſtibulo erant, aſcenſuram B. V. ad gloriæ faſtigium, ſupra omnes SS. Angelorum & Hominum gradus nimirum Angelicos nouem, & ſex humanos Patriarcharum, Prophetarum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum deducit S. Anton. 4. p. t. 15. c. 6. §. 2. Admirabilis celeritas, qua vſa eſt B. Virgo in aſcenſu ad Templum, vt notat Io. Baptiſta Nouatus t. 1. de emin. Deip. exemplum fuit ijs, qui ad religioſum ſtatum vocantur, ne moras nectant iuxta illud D. Hieron. monitum ad Paulinum. *Feſtina quæſo, & hærentis in ſalo nauiculæ funem magis præcide, quam ſolue*. Iure mulieri Apoc. 12. Sole clamydatæ, Luna calceatæ, ſtellis coronatæ datæ ſunt alæ duæ Aquilæ magnæ, vt fugeret in ſolitudinem, vbi habebat a Deo paratum ſibi locum. De B. Virgine interpretantur hunc locum S. Epiph. hær. 78. S. Auguſt. l. 4. de ſymb. ad Cathe. c 1. S. Bernardinus Sen. t. 1. conc. 61. a. 2. c. 1. & alij, & præſertim in MARIAM Infantulam ad Templum ſumma cum celeritate aſcendentem bellè cadunt. *Ange-*

Angelorum comitatus, Zachariæ occurſus cum aliјs Sacerdotibus, & eiuſdem Mariæ Infantulæ mens.

III.

ANgelis eius latera ſtipantibus oblatam fuiſſe B. V. a parentibus, Zachariam vero Prophetam, & Sacerdotem Sanctitate ſimul, & ſanguine propinquum eius aduentu lætatum fuiſſe teſtatur Georg. Nicomed. or. de oblat. Deip. Suffragatur S. Germ. Conſtant. in or. de Præſ. Deip. qui ait a Zacharia occurrente non ſolum fuiſſe ſuſceptam, ſed agnitam diuinitus, vt futuram Dei Matrem; & introductam in Templi adyta ſacratiora. *Adducitur* inquit Io. Damaſc. l. 4. de fid. c. 15. *Deipara in Templum, atque in domo Dei plantata, atque per ſpiritum ſaginata inſtar oliuæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur*. Ad Templum veniſſe B. V. vt Deum ad aſſumendam carnem humanam attraheret explicat fusè Oſorius in feſto Præſent. t. 3. §. 3. atque hoc meruiſſe de congruo ex doctrina S. Th. & aliorum probat. Intelligendus eſt de merito Maternitatis potius, & circumſtantiarum, quam de merito ipſius ſubſtantiæ Incar. Diu. Verbi, quam Soli miſericordiæ Dei ſacræ litteræ attribuunt, vt probat Io. de Lugo de Incarn. cum alijs Doctor. Scholaſt. innumeris. *Venit in Templum* inquit *Maria, vt pugnam cum Deo ineat, & Deum ſuperet, ac in terram deijciat &c.* Hiſtoriam Marianæ Præſent. in Templo, & varia prodigia, quæ illam ſtiparunt, confirmat SS. Patrum grauiſſimis teſtimonijs Io. de Carthag. t. 2. l. 3. h. 1. & ſequentibus.

De voto Virginitatis a Deipara, in hoc omnium mortalium prma, emiſſo.

IV.

Aliqua hoc loco dicenda ſunt de voto puriſſimæ virginitatis a MARIA adhuc tenera emiſſo. Hanc vouiſſe apud Catholicos omnes minimè controuerſum eſt. Euincunt hoc votum verba illa Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco* apud Bellarminum l. de Monacis c. 22. quod optimè etiam adnotauit Lucas ad eundem locum. In hoc ſenſu accepere Marianum reſponſum PP. præſertim S. Auguſt. l. de S. Virgin. c. 4. S. Greg. Nyſſ. or. de nat. Dom. S. Anſelm. l. de excell. Virg. c. 4. S. Bern. hom. 4. in miſſus eſt, & alij. Contrariam Caluini, & Petri Martyris ſententiam blaſphemam, & ſacrilegam ſatis ſuperque reijciunt, & diflant duo magni fidei orthodoxæ propugnatores Bellarminus, & Caniſius.

Aio ergo vouiſſe Virginitatem Beatam Deiparam, imo primam fuiſſe, quæ Virginitatis vexillum extulerit, idque affirmant ex recentioribus Doctoribus Caniſ. l. 2. de Deip. c. 14. Henriquez l. 2. de matrim. c. 5. Vaſquez 3. p. d. 124. c. 5. Suarez t. 2. 3. p. d. 7. ſ. 3. Barrad. t. 1. l. 7. c. 10. Mendozz. l. 2. ſui virid. probl. 6. & nouiſs. Sherlogus t. 2. in cant. veſtig. 20. ſ. 12. multos alios referens. Suffragantur hi antiquioribus. Ruperto Abb. in cant. l. 3. Aponio in cap. 2. cant. Abelardo ſerm. de Aſſumpt. Rich. à S. Laur. l. 3. de Deip. priuil. 1. Gullielmo Paruo ad cap. 3. cant. Philipp. Abb. l. 1. in cant. c. 7. Pet. Bleſ. ſ. 1. de Aſſumpt., Goffrido Vindocio ſerm. 8. & alijs innu-

innumeris. Hæc doctrina hauſta eſt à S. Ambroſ. l. 1. de inſtit. Virg. c. 5. cum dixit *Deiparam extuliſſe vexillum Virginitatis* & ab alijs PP., qui apud Sherlogum referuntur loc. iam alleg. Hanc indubitatam fuiſſe opinionem, vſque ab Eccleſiæ Catholicæ initijs teſtatur Abdias Babyl. in vita S. Bartholomæi, & Euodius poſt Principem Apoſtolorum Petrum, primus Antiochenæ Eccleſ. Epiſcopus apud Nicephorum hiſtor. Nec tantum prima omniũ fæminarum, ſed omnium hominum Deipara Virginitatem vouit, licet alij de plerisque id autument, vt de Elia, Eliſeo, Ioſue, Melchiſecho, Ieremia affirmat S. Ignat. in epiſt. ad Philadelphios. Pro hac ſententia pluſquam ſexaginta partim Scholaſticos Doctores, partim ſacrarum litteraeum Interpretes adducit Sherlogus loc. iam cit.

Circa hoc tempus.

V.

AT quo tempore votum Virginitatis emiſerit maior controuerſia eſt. Ante Filij conceptionem emiſſum fuiſſe cenſet S. Th. 3. p. q. 38. a. 4. quem ſequitur Suarez t. 2. in 3. p. d. 6. ſect. 4. Addit Baronius ante deſponſationem emiſſum fuiſſe in appar. ſub nu. 58., & fauent reuelat. S. Birg c. 2. Pia ſententia aliquorum eſt hoc tempus fuiſſe primum inſtans illibatæ conceptionis Iacob. de Valentia in illud cant. Deip. *Fecit mihi magna qui potens eſt* Mor. l. 2. tract. 6. n. 12. Barrad t. 2. l. 6. c. 3. Sherlogi veſtig. 20. iam laudata Nouati t. 1 c. 7. q. c. 27. Placet ſententia media affirmans vouiſſe Virginitatem B. V. cum

primum

primum Deo fuit in Templo oblata.

Subſcribunt Vaſquez 3. p. d. 124. c. 4. Caſtro in hiſt. Deip. c. 3. Benzonius in pſ. 86. c. 2. & alij. Scio S. Th. aſſeruiſſe votum Virginitatis conditionatum, niſi aliter Deo placeret ante deſponſationem, poſt deſponſationem verò abſolutum. Eius ſententiam reuereor, quam ſequuti ſunt Capreol. q. 1. Palud. q. 2. Richardus a. 1. q. 2. Maior q. 4. & alij, ſed anticipaſſe votum mihi valde probabile eſt. Fauet huic luculentiſſimis verbis S. Anſ. de excell. Virg. c. 4. *Virgo ait tenera, & delicata Regali ſtirpe progenita, & ſpecioſiſſima totam intentionem ſuam, totum amorem ſuum, totum ſtudium ſuum ad hoc intendit, vt corpus, & animam ſuam Deo Virginitate perpetua conſecraret.* Quomodo emiſſio voti Virginitatis cohærere potuerit cum myſterio Incarnat. in B. V. oſtendit Suarez t. 2. 3. p. d. 6. ſect. 2. a. 3. vbi rationes adducit, cum illam vouerit ex maiori perfectione, quam deuota Virginitas habebat, & Deo obligata. Non eſt tamen adſcribendum votum ſolemne B. V. ſed ſimplex, nam hæc ſollemnitas poſt Chriſtum Dominum ab Eccleſia Sancta fuit introducta, nec eſt ad perfectionem Virginitatis neceſſaria. An ſi data fuiſſet alterutrius optio elegiſſet potius Virginitatem B. V., quam Dei maternitatem latè excutit Corduba l. 1. q. 49. Non eſt ita facile definire; nam licet Virginitas virtutis pretium haberet; maternitas tamen Dei maximum priuilegium erat innumerabilibus cæleſtibus donis ſtipatum. Adiunxiſſe voto Virginitatis votum paupertatis habemus apud S. Birgitam tanquam reuelatum l. 1. reuel. c. 10.

c. 10. Addit etiam Spinellus in th. Dei c. 3. votum obedientiæ,ſed cui non definit.

Illuſtribus titulis Principatum Deiparæ in Virginitate SS. Patres celebrant.

VI.

HVNC principatum in Virginitate adſtruunt, & depraedicant nobiliſſimis titulis SS. Patres MARIÆ Deiparæ tanquam primæ, quæ illam Deo voti Sacramento obligarit, ac veluti oppignerarit. Dicta eſt *vexillifera Virginitatis* ab Ambroſio, *Princeps Virginum* ab Epiphanio *Virginum Regina, Mater, & gloria* à Damaſceno *Virginum caput* ab Iſidero *Virginitatis primiceria* a Bernardo, *perfectionis Virginalis exemplum* a Sophronio *Virginitatis initium* ab Auguſtino, *Virginum lumen* a Nazianzeno *Virginitatis primipila* ab Idiota, & ab Eccleſia Catholica. *Virgo Virginum.* Nec minus nobiles tituli ſunt, quibus ad euincendum hunc primatum Virgineum apellant illam S. Anſ. alloq.cæl. 24. *Virginem ſingularis meriti, ſolam ſine exemplo, Virginem nouam* Sedulius l. 2. Parch. *Virginem Virginum nec primã ſimilem viſam, nec habere ſequentem* Rup. Abb. in cant. l. 1. *faſtigium omnium Virginum* S. Hildephonſus ſerm. 3. & ſ. de Aſſumpt. *Exemplar perfectæ virginitatis, Reginam totius caſtitatis, quia virginitatis decus, & Matris pertulit dignitatem* Pe. Chryſol. ſ. 140., *coronam Virginum, Sanctorumque omnium* S. Ephrem in laud. Mar. *Virginitatis theſaurum* S. Io. Damaſc. orat. 1 de natiuit. Concludam itaque cum melliſluo Doct. Bernardo ad illa verba Afferentur Regi Virgines poſt eam hom. 3. ſuper Miſſus

eſt.

eſt. *Sed poſt eam* inquit; *nam primatum ſibi ſola vindicat Maria*.

Omnes Virgines præſertim Deo Sacræ eam vt fundatricem agnoſcere debent.

VII.

INgreſſu ſuo in Sacrum Templi Parthenonem, & commoratione B. Virgo præter alia meruit etiam, vt Sanctarum Virginum præſertim Deo Sacrarum mater, & fundatrix eſſet, iuxta illud pſ. 44. *Adducentur Regi Virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione, adducentur in Templum Regis*. Hinc iure concludit S. Hieron. ad Pammachium epiſt. 74. *Igitur Chriſtus, & Virgo vtriuſque ſexus dedicauere principia*. S. Ambroſ. lib. 2. de virginit. in eodem ſenſu MARIAM Dei Matrem conferens cum Maria Sorore Moyſis tympaniſtria, quæ choragium Hebræarum Virginum ducens poſt Erythræi maris prodigioſum tranſitum diuinis victorijs peana cecinit, ſic ait. *Tunc Maria tympanum ſumens choros Virginales excitauit cantantes Domino, quod mare ſæculi ſine fluctibus ſæcularibus tranſierunt*. A B. Virgine Sanctimoniales Virgines, & Deo dicatas diligi, ac protegi nemo ambigat, cum Virgo Virginum earum Mater ſit, & fundatrix. *Beata Virgo* ait Magnus Albertus ſuper miſſus eſt c. 82. eſt *Mater omnium in Virginitate, quæ prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo Virginitatis munus Deo extulit, per quod omnes Virgines per imitationem docuit*. Quot deinde exemplo ſuo Virginitas Mariana pepererit Eccleſiæ Dei Virgines, quæ ſunt, vt ait eloquentiſſimus Martyr S. Cyprianus de Virg.

l. 2. c. 2. *Flos eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles laudis, & honoris, opus integrum, atque incorruptum Dei, imago reſpondens ad Sanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti*, explicant plures SS. Patres præſertim S. Ambroſ. de inſtit. Virginum c. 5. & alibi, S. Hieron. epiſt. 22. ad Euſtochium S. Io. Damaſc. or. 1. de nat. Virg. S. Epiphanius hær. 78. & alij. Audiendus eſt S. Hieron. l. 1. contra Iouin. vbi alludens ad fontem ſignatum 1. cantic. ſic ait. *Quod ſignatum eſt ſimilitudinem habet Matris Domini, Matris Virginis* & mox *& tamen hæc Virgo perpetuo multarum eſt Mater Virginum; ſequitur enim emiſſiones tuæ Paradiſus malogranatorum cum fructu pomorum. Malogranatis, & pomis omnium virtutum ſignificatur in virginitate concentus*. Huic conſonat Io. Damaſc. tr. 2. de dormit. *Ipſa Virgo eſt & Virginum amans: pura eſt & pacorum amans*, & luculentius Ambroſ. l. 2. de Virg. *O quantis illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominam trahet! Hæc thorum Filij mei: hæc thalamos nuptiales immaculato pudore ſeruauit &c.* Virginei chori ſequuntur Agnum quocunque ierit, ſed illum Agnum, *quem Mater illa concipit, quæ ſola Virgo parturit, Virgo fæcunda, miſeriæ omnis fæmineæ expultrix* ex Heſich. or. 1. de Deipara *Virgo noua, & intemerata* ex Anſel. alloq. cæl. 21. *Virgo Virginum* ex Rup. lib. 1. in cant. *nec ſimilem viſa, nec habere ſequentem, Virgo Virginum* ex Guarr. ſ. 1. de annunc. *omnium plena gratiarum. Venter eius vallatus eſt lilijs* iuxta Honor. Auguſtod. *quia Chriſtus per ipſam ſtipatus eſt Virginum Choris. Reſpice agmina Virgi-*

num

num pueorum, puellarumque Sanctarum: in Eccleſia tua eruditum eſt hoc genus ſic Chriſtum Dominum alloquitur S. Auguſt. de S. Virginit. c. 36. ſed quanam Magiſtra? procul dubio MARIA, quam *Magiſtram virginitatis* apellat S. Ambroſ. l. de inſtitut. Virg. c. 2. Habetis ergo concludam cum S. Hildeph. ſ. 3. de Aſſ. S. Mar. *Virgines egregij Magiſterij formam: habetis exemplar in ea perfectæ virginitatis: ecce via qua pergere debetis; nam Virgo Virginum eſt Dei Mater* ex D. Anton. 4. p. t. 15. c. 20. *quia non ſolum hominum, ſed omnium Angelorum puritatem excedit. Quicunque* loquar etiam cum Io. Chryſoſt. ſ. de B. V. *eſtis Virgines ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, pretioſiſſimam, & incorruptibilem poſſeſſionem patrocinio ſuo vobis conſeruabit*; nam ex Pe. Chryſ. ſ. 143. *Regina eſt totius caſtitatis*, & ex Ricch. a S. Laur. l. 2. parte 1. *eius alæ, ſub quibus proteguntur homines, humilitas, & Virginitas ſunt.* Addam pro clauſula iure nunquam nominari MARIAM, quin VIRGINIS adiungatur titulus iuxta illa epiph. verba in lib. de vitis prophet. *Quis vnquam, aut quo ſæculo auſus eſt proferre nomen Sanctæ Mariæ, & interrogatus non intulit Virginis vocem? Abrahamo impoſitum eſt epithetum amicus Dei, & non diſſoluetur, Iacob verò vt Iſrael vocetur, & non alterabitur, & Sancta Maria vox Virgo & non mutabitur; impolluta enim permanſit.* Ante ipſam ferè ignota erat virginitas; at a Virgine Virginum, Matre Virginum Dei Matre fæcunditatem contraxit, qua virgineis hominum choris, vti Angelorum cælum, terram impleret. Ad hoc alludunt mellea illa Magni Theo-

logi Greg. Nazianz. carmina l. 2. de virginit.

Ante quidē vmbroſo in paucis ſplendore micabat,
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret
Exiguis ſpectanda notis &c.
At poſtquam Chriſtus per caſtæ viſcera Matris,
Abſque patre, & tædis vitæ progreſſus in auras
Luſtrauit muliebre genus, tum denique noſtro
Virginitas generi præclaro lumine fulſit.

VITA
In Sacro Templi Parthenone Sanctiſſime traducta.
PANEGYRICVS.
ELOG. IX.

Sed & Virgines, quæ concluſæ erant procurrebant ad Oniam: aliæ autem ad muros: quædam verò per feneſtras aſpiciebant: vniuerſæ autem prætendentes manus in cælum deprecabantur. 2. Machab. 3.

Plantati in domo Domini, in atrijs Dei noſtri florebunt. Pſ. 91.

Mariæ in ſacro Parthenone
panegyricum texat
orbis virtutum.
Non alium ſcias eſſe Magnæ Virgini
mundum muliebrem.
Fallor virgineus dici debuit mundus,
& quia ſupra homines, etiam diuinus.
Mirum non ſit mundum hunc
virtutum omnium
vnius Virgunculæ breui ſinu concludi?
Ille concepturus Deum diuinitatis capax
ipſa etiam intermundia caperet.
Eduxit Deus opifex omnium,
mundum hunc Marianum
non ex humilitate nihili,
ſed ex nihilo humilitatis.
In hoc non niſi pacatè pugnantia erant
elementa gratiarum;
& illuſtribus cæleſtium donorum planetis

proiectus eſt, quando in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes ſpiritus adfuit Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Pet. Dam. ad illa verba. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.*

De vita in Sacro Templi Parthenone traducta.

CAP. IX.

IESV Summi Sacerdotis MARIA magna parens, iure quodamodo ſuo educatur in Templo, quod ipſa tamen res Sacra vbique locorum adorandis ſuis virtutibus ſibi feciſſet. Addixit illam genuina pietas e Maioribus maxima. Quid aliud expectari poterat a purpuraſcente Sacerdotalis non Regij tantum generis, æterni ſolis aurora? Conuolaſſet ad aras libera amoris victima votis ſuis, ſi illam Sanctiſſimi parentes IOACHIMVS, & ANNA diuinæ promiſſionis Sacramento obligati non ſtitiſſent. Ibi in ſacro Parthenone, quod prope Templi adyta, & Sancta-Sanctorum, dicatæ nobili diuinæ domus ſeruitio, venerandiſque miniſterijs Virgines ingenuæ habitabant, magna Virgo vitam traduxit, loco non imparem, ſeque Deo dignam finxit, & aris coli meruit, temploque quod incolebat. Imo facta eſt in Templo non Templum tantum Dei in orbe terrarum maximum,

mum, ſed Sanctuarium Diuinitatis. Hac cælite in terris vita, & quantum in humanis eſſe poteſt diuina, molliorem ętatem conſecrauit, totumque illud ſpatium, quod a trienni infantia ad virgineas nuptias teneri, & innocentes inter omnium virtutum ſtudia ſecum anni, traxerunt. Si quidem virtutum omnium Ideam, ſublimemque coloſſum Sanctitatis ſuis moribus expreſſit, & vt religioſiòſius veneraremur, in Templo expoſuit. In harum encíclopedia non periodos tantum Marianæ educationis, ſed totum panegyricum circumdùco, & mundum omnem muliebrem magnæ Virginis, quem biluſtri molitione ad menſuram, & pondus Sanctuarij ſanctiſſimè architectata perfecit. Vtriuſque orbis Cæli, ac terræ Regina, alteri quàm huic mundo ſeruire non debuit. Addidit omnium virtutum cumulo beatiſſimo auctorium, & colophonem impoſuit, cum prima mortalium, immortali exemplo virginitatem vouens, eandem ſponſo Numini deſponſauit, promiſſi inuiolabilis Sacramento coniugatam, digna, quam admirabili adoptione reciproci amoris, ac funiculo triplici diuinæ cognationis; Auguſtiſſima Trias in æterni Patris Filiam, Verbi Diuini Matrem, Sancti Spiritus Sponſam ſibi coniungeret. Non niſi in Virginis ſinum captiuus venire poterat e victorijs ſuis dilectus Filius vnicornium. At prima fundamenta Marianæ Sanctitatis in montibus ſanctis fuere ſummæ humilitatis, in quibus fundauit eam Altiſſimus, cui paruula placuit, & inde meruit, vt maxima eſſet. Sicuti rerum ita virtutum omnium maxima moles, & mundus vno nititur puncto humil-

proiectus eſt, quando in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes ſpiritus adfuit Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Pet. Dam. ad illa verba. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.*

De vita in Sacro Templi Parthenone traducta.

CAP. IX.

IESV Summi Sacerdotis MARIA magna parens, iure quodamodo ſuo educatur in Templo, quod ipſa tamen res Sacra vbique locorum adorandis ſuis virtutibus ſibi feciſſet. Addixit illam genuina pietas e Maioribus maxima. Quid aliud expectari poterat a purpuraſcente Sacerdotalis non Regij tantum, generis, æterni ſolis aurora? Conuolaſſet ad aras libera amoris victima votis ſuis, ſi illam Sanctiſſimi parentes IOACHIMVS, & ANNA diuinæ promiſſionis Sacramento obligati non ſtitiſſent. Ibi in ſacro Parthenone, quod prope Templi adyta, & Sancta-Sanctorum, dicatæ nobili diuinæ domus ſeruitio, venerandiſque miniſterijs Virgines ingenuæ habitabant, magna Virgo vitam traduxit, loco non imparem; ſeque Deo dignam finxit, & aris coli meruit, temploque quod incolebat. Imo facta eſt in Templo non Templum tantum Dei in orbe terrarum maximum,

mum, ſed Sanctuarium Diuinitatis. Hac cælite in terris vita, & quantum in humanis eſſe poteſt diuina, molliorem ętatem conſecrauit, totumque illud ſpatium, quod a trienni infantia ad virgineas nuptias teneri, & innocentes inter omnium virtutum ſtudia ſecum anni, traxerunt. Si quidem virtutum omnium Ideam, ſublimemque coloſſum Sanctitatis ſuis moribus expreſſit, & vt religioſiòſius veneraremur, in Templo expoſuit. In harum enciclopedia non periodos tantum Marianæ educationis, ſed totum panegyricum circumduco, & mundum omnem muliebrem magnæ Virginis, quem biluſtri molitione ad menſuram, & pondus Sanctuarij ſanctiſſimè architectata perfecit. Vtriuſque orbis Cæli, ac terræ Regina, alteri quàm huic mundo ſeruire non debuit. Addidit omnium virtutum cumulo beatiſſimo auctorium, & colophonem impoſuit, cum prima mortalium, immortali exemplo virginitatem vouens, eandem ſponſo Numini deſponſauit, promiſſi inuiolabilis Sacramento coniugatam, digna, quam admirabili adoptione reciproci amoris, ac funiculo triplici diuinæ cognationis; Auguſtiſſima Trias in æterni Patris Filiam, Verbi Diuini Matrem, Sancti Spiritus Sponſam ſibi coniungeret. Non niſi in Virginis ſinum captiuus venire poterat e victorijs ſuis dilectus Filius vnicornium. At prima fundamenta Marianæ Sanctitatis in montibus ſanctis fuere ſummæ humilitatis, in quibus fundauit eam Altiſſimus, cui paruula placuit, & inde meruit, vt maxima eſſet. Sicuti rerum ita virtutum omnium maxima moles, & mundus vno nititur puncto humil-

proiectus eſt, quando in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes ſpiritus adfuit Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Pet. Dam. ad illa verba. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.*

De vita in Sacro Templi Parthenone traducta.

CAP. IX.

IESV Summi Sacerdotis MARIA magna parens, iure quodamodo ſuo educatur in Templo, quod ipſa tamen res Sacra vbique locorum adorandis ſuis virtutibus ſibi feciſſet. Addixit illam genuina pietas e Maioribus maxima. Quid aliud expectari poterat a purpuraſcente Sacerdotalis non Regij tantum, generis, æterni ſolis aurora? Conuolaſſet ad aras libera amoris victima votis ſuis, ſi illam Sanctiſſimi parentes IOACHIMVS, & ANNA diuinæ promiſſionis Sacramento obligati non ſtitiſſent. Ibi in ſacro Parthenone, quod prope Templi adyta, & Sancta-Sanctorum, dicatæ nobili diuinæ domus ſeruitio, venerandiſque miniſterijs Virgines ingenuæ habitabant, magna Virgo vitam traduxit, loco non imparem, ſeque Deo dignam finxit, & aris coli meruit, temploque quod incolebat. Imo facta eſt in Templo non Templum tantum Dei in orbe terrarum maximum,

mum, ſed Sanctuarium Diuinitatis. Hac cæliite in terris vita, & quantum in humanis eſſe poteſt diuina, molliorem ętatem conſecrauit, totumque illud ſpatium, quod a trienni infantia ad virgineas nuptias teneri, & innocentes inter omnium virtutum ſtudia ſecum anni, traxerunt. Si quidem virtutum omnium Ideam, ſublimemque coloſſum Sanctitatis ſuis moribus expreſſit, & vt religioſiòſius veneraremur, in Templo expoſuit. In harum enciclopedia non periodos tantum Marianæ educationis, ſed totum panegyricum circumduco, & mundum omnem muliebrem magnæ Virginis, quem biluſtri molitione ad menſuram, & pondus Sanctuarij ſanctiſſimè architectata perfecit. Vtriuſque orbis Cæli, ac terræ Regina, alteri quàm huic mundo ſeruire non debuit. Addidit omnium virtutum cumulo beatiſſimo auctorium, & colophonem impoſuit, cum prima mortalium, immortali exemplo virginitatem vouens, eandem ſponſo Numini deſponſauit, promiſſi inuiolabilis Sacramento coniugatam, digna, quam admirabili adoptione reciproci amoris, ac funiculo triplici diuinæ cognationis, Auguſtiſſima Trias in æterni Patris Filiam, Verbi Diuini Matrem, Sancti Spiritus Sponſam ſibi coniungeret. Non niſi in Virginis ſinum captiuus venire poterat e victorijs ſuis dilectus Filius vnicornium. At prima fundamenta Marianæ Sanctitatis in montibus ſanctis fuère ſummæ humilitatis, in quibus fundauit eam Altiſſimus, cui paruula placuit, & inde meruit, vt maxima eſſet. Sicuti rerum ita virtutum omnium maxima moles, & mundus vno nititur puncto humil-

 limi

proiectus eſt, quando in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes ſpiritus adfuit Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Pet. Dam. ad illa verba. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.*

De vita in Sacro Templi Parthenone traducta.

CAP. IX.

IESV Summi Sacerdotis MARIA magna parens, iure quodamodo ſuo educatur in Templo, quod ipſa tamen res Sacra vbique locorum adorandis ſuis virtutibus ſibi feciſſet. Addixit illam genuina pietas e Maioribus maxima. Quid aliud expectari poterat a purpuraſcente Sacerdotalis non Regij tantum, generis, æterni ſolis aurora? Conuolaſſet ad aras libera amoris victima votis ſuis, ſi illam Sanctiſſimi parentes IOACHIMVS, & ANNA diuinæ promiſſionis Sacramento obligati non ſtitiſſent. Ibi in ſacro Parthenone, quod prope Templi adyta, & Sancta-Sanctorum, dicatæ nobili diuinæ domus ſeruitio, venerandiſque miniſterijs Virgines ingenuæ habitabant, magna Virgo vitam traduxit, loco non imparem, ſeque Deo dignam finxit, & aris coli meruit, temploque quod incolebat. Imo facta eſt in Templo non Templum tantum Dei in orbe terrarum maxi-

mum, ſed Sanctuarium Diuinitatis. Hac cælite in terris vita, & quantum in humanis eſſe poteſt diuina, molliorem ętatem conſecrauit, totumque illud ſpatium, quod a trienni infantia ad virgineas nuptias teneri, & innocentes inter omnium virtutum ſtudia ſecum anni, traxerunt. Si quidem virtutum omnium Ideam, ſublimemque coloſſum Sanctitatis ſuis moribus expreſſit, & vt religioſiòſius veneraremur, in Templo expoſuit. In harum enciclopedia non periodos tantum Marianæ educationis, ſed totum panegyricum circumduco, & mundum omnem muliebrem magnæ Virginis, quem biluſtri molitione ad menſuram, & pondus Sanctuarij ſanctiſſimè architectata perfecit. Vtriuſque orbis Cæli, ac terræ Regina, alteri quam huic mundo ſeruire non debuit. Addidit omnium virtutum cumulo beatiſſimo auctorium, & colophonem impoſuit, cum prima mortalium, immortali exemplo virginitatem vouens, eandem ſponſo Numini deſponſauit, promiſſi inuiolabilis Sacramento coniugatam, digna, quam admirabili adoptione reciproci amoris, ac funiculo triplici diuinæ cognationis, Auguſtiſſima Trias in æterni Patris Filiam, Verbi Diuini Matrem, Sancti Spiritus Sponſam ſibi coniungeret. Non niſi in Virginis ſinum captiuus venire poterat e victorijs ſuis dilectus Filius vnicornium. At prima fundamenta Marianæ Sanctitatis in montibus ſanctis fuere ſummæ humilitatis, in quibus fundauit eam Altiſſimus, cui paruula placuit, & inde meruit, vt maxima eſſet. Sicuti rerum ita virtutum omnium maxima moles, & mundus vno nititur puncto humil-

additum ſapphyrinę conſtantię firmamentum.
Ita coſmopeia nobili,
ſuum mundum muliebrem in Templo
MARIA molitur;
niſi velis architectura diuina
fuiſſe Deum in MARIA
noui mundi conditorem.
Omnes in ſe virtutes, ſe in omnibus
virtutibus multiplicans
ſingularem effecit.
MARIAM dixiſſes
vnam virtutum omnium eſſe virtutem.
Imò migrantibus virtutibus in miracula,
miracula in virtutes remigrarunt.
Ieiuna a Pontificijs cænis in Templo
ſolis adoleſcebat
ieiuniorum cupedijs ſaginata.
Animæ conuiuia, ieiunia ſunt,
quibus vitæ pars melior alitur.
Annonam paſcendis ieiunijs aliquando
Angeli deferebant:
facilius cæleſtia ſimilitudine naturæ
in alimenta vertebantur.
Ambroſia exportabatur e cælo,
qua lactentem poſtea Deum paſceret.
Prima concepto in Templo virginitatis voto
ad Dei partum initiata magna Virgo,
Summum omnium ſæculorum votum euaſit,
& votorum ſumma.
Vbi Dei Sponſa MARIA
pronuba virginitate fuit,
etiam Mater eſſe meruit.
In exedris Templi magiſtra religionis
lex viua hominum docuit Dei legem,
cum didicit.
Vnde

Vnde a Moyſis Schola debuit ſtatim
ad VERBI Infantis magiſterium promoueri;
Si tamen illud VERBVM dici poteſt Infans
in quo omnia Pater dixit, Mater docuit.
Oraculis in Templo MARIA
loquens cum verbis,
videbatur Sancta-Sanctorum geminaſſe.
Quanquam vt Sanctuarium
Deipara Virgo eſſet
a VERBO habuit, non a verbis.
Intra Templum
aliud intra ſe Templum ſtruxerat,
in quo Mariana omnia
coli poterant vt Sancta-Sanctorum.
Supra fæmineis ſpeculis illuſtre æneum mare
habebant Sacerdotes in aureo MARIÆ mari
ſpeculum ſine macula,
cuius vnius intuitu maculas omnes eluerent.
Eadem nimirum religione, qua poſtea Deum
prius Diuina tractauit.
Ita nunquam magis adoranda fuit
magna Virgo,
quam cum Templi inquilina,
loci, cui dicata erat
Numen propemodum videri potuit.

In Domo Domini plantata, & impinguata inſtar Oliuæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur, vt quæ videlicet ab omni huiuſce vitæ, & carnis concupiſcentia mentem abſtraxiſſet, atque ita Virginem vna cum corpore animam conſeruaſſet, vt eam decebat, quæ Deum ſinu ſuo exceptura erat. Sanctus enim ipſe cum ſit in Sanctis requieſcit. Io. Damaſc. 3. de fid. c. 15.
Vniuerſus puluis pigmentarius in Virgine

proiectus eſt, quando in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes ſpiritus adfuit Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Pet. Dam. ad illa verba. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.*

De vita in Sacro Templi Parthenone traducta.

CAP. IX.

IESV Summi Sacerdotis MARIA magna parens, iure quodamodo ſuo educatur in Templo, quod ipſa tamen res Sacra vbique locorum adorandis ſuis virtutibus ſibi feciſſet. Addixit illam genuina pietas e Maioribus maxima. Quid aliud expectari poterat a purpuraſcente Sacerdotalis non Regij tantum, generis, æterni ſolis aurora? Conuolaſſet ad aras libera amoris victima votis ſuis, ſi illam Sanctiſſimi parentes IOACHIMVS, & ANNA diuinæ promiſſionis Sacramento obligati non ſtitiſſent. Ibi in ſacro Parthenone, quod prope Templi adyta, & Sancta-Sanctorum, dicatæ nobili diuinæ domus ſeruitio, venerandiſque miniſterijs Virgines ingenuæ habitabant, magna Virgo vitam traduxit, loco non imparem; ſeque Deo dignam finxit, & aris coli meruit, temploque quod incolebat. Imo facta eſt in Templo non Templum tantum Dei in orbe terrarum maxi-

mum,

mum, ſed Sanctuarium Diuinitatis. Hac cæliте in terris vita, & quantum in humanis eſſe poteſt diuina, molliorem ætatem conſecrauit, totumque illud ſpatium, quod a trienni infantia ad virgineas nuptias teneri, & innocentes inter omnium virtutum ſtudia ſecum anni, traxerunt. Si quidem virtutum omnium Ideam, ſublimemque coloſſum Sanctitatis ſuis moribus expreſſit, & vt religioſiòſius veneraremur, in Templo expoſuit. In harum encíclopedia non periodos tantum Marianæ educationis, ſed totum panegyricum circumduco, & mundum omnem muliebrem magnæ Virginis, quem biluſtri molitione ad menſuram, & pondus Sanctuarij ſanctiſſimè architectata perfecit. Vtriuſque orbis Cæli, ac terræ Regina, alteri quam huic mundo ſeruire non debuit. Addidit omnium virtutum cumulo beatiſſimo auctorium, & colophonem impoſuit, cum prima mortalium, immortali exemplo virginitatem vouens, eandem ſponſo Numini deſponſauit, promiſſi inuiolabilis Sacramento coniugatam, digna, quam admirabili adoptione reciproci amoris, ac funiculo triplici diuinæ cognationis; Auguſtiſſima Trias in æterni Patris Filiam, Verbi Diuini Matrem, Sancti Spiritus Sponſam ſibi coniungeret. Non niſi in Virginis ſinum captiuus venire poterat e victorijs ſuis dilectus Filius vnicornium. At prima fundamenta Marianæ Sanctitatis in montibus ſanctis fuere ſummæ humilitatis, in quibus fundauit eam Altiſſimus, cui paruula placuit, & inde meruit, vt maxima eſſet. Sicuti rerum ita virtutum omnium maxima moles, & mundus vno nititur puncto humil-

 limi

limi centri, & libratur in nihilo. Non potuit tamen quod miremur non grandis eſſe MARIÆ humilitas, & ſublimis; cum omnes virtutes regeret, & abyſſum premens in cælum aſſurgeret aſtris coronanda. Quo altius infra omnia magna ſe Virgo deſpexit, eodem altitudinis gradu ſuſpici ſupra omnia ab alijs potuit. Humilitatis Comes modeſtia fuit, quæ vti omnium virtutum ingens pretium, ita tota dos Virginis eſt cælo ſimillima, quod Stellas oculos ſuos diurnæ luci claudit, nocturnis in tenebris aperit, vigilat dum alij dormiunt, & ſibi vacat. Nihil ſuſpiciendum erat extra magnam Virginem, quæ e ſinu proditurum verbum diuinum, in quo ſunt omnia, iam tum mente conceperat, vnde nec dignum oculis, qui ſublimia tantum ſpectarent. Amoribus deinde ſuis fecit puella Sanctiſſima, vt nihil a moribus expectari poſſet præter ideales leges Sanctitatis, nec exercerentur tantum virtutes, ſed virtutum prodigia patrarentur. Solis nimirum virtutum prodigijs illuſtre eſſe debuit monſtrum Sanctitatis. Erat omnium virtutum nouitas admirationi: commendationi conſtantia. Humilitatem extulit, paupertatem ditauit, ſpem beauit, illuſtrauit modeſtiam, religionem religioni fecit, quæ maximè coleret, cum coleretur. Inter homines, Deumque MARIA mediatrix nullam virtutem habuit inter humanam, diuinamque non heroicam. Orare tam facile illi fuit, quam reſpirare, nec mirum cum cor cordis, & animæ anima Deus eſſet. Semper orans cum ſileret, dubium reliquit ſilentione, an oratione impetrarit, vt eſſet Verbi Mater. Feciſſet Templum

Hieroſolymitanum ipſa ſola,ſi non inueniſſet domum orationis. Nulla iucundiora ei alloquia, quam Deum audire in cæleſtibus diuerbijs,& cum ipſo loqui. Interim dum onerat precum Hecatombe ſacras aras etiam ornat,in aris omnibus arrham inter preces naſcituri diuini Verbi inueniens. Quidquid loquebatur oraculum erat, vnde nouum prope Sancta-Sanctorum,animatum Sanctuarium dixiſſes, virgunculam oraculis plenam. Idea morum verbis, legislatrix exemplis, ſemper erat ſuada pietatis, ſiue diceret,ſiue taceret.Ignem diuini amoris pluſquam veſtali cuſtodia ſeruauit æternum. Nec tamen defuit muneribus ſuis manus cordis vicaria. Sacerdotum veſtes candore prorſus cæleſti, hyacinthum byſſo iungens bis Sacras de ſuis virtutibus ſæpius intexuit.Byſſinas tamen longè ſuperabat candore corporis,Hyacinthinas animi ſerenitate. Auri pretium ſuis ditabat lachrymis, cum e gemmantibus oculis margaritas addebat. Ita aureis donarijs populorum, Regina rerum, ſuarum etiam inſerebat gemmeum donum lachrymarum. Ipſa nihilominus ſola Virgo manus ſummum erat operis pretium. Magnæ animæ ſplendorem forma corporis conferebat, ſed inerat formæ maieſtas quædam diuinitatem ſpirans, cuius ſuſpicionem ſanctiſſima elegantia ingerebat, obijciens oculis corporatam ſpeciem inſenſilis honeſtatis. Corporis pulchritudinem cælorum harmoniam dixiſſes non colorum, quæ raperetur ab intelligentia motrice, nec raperet, niſi ad ſuprema. Res maximæ de more diuino nihil præter ſenſum venerationis extorquent. Non inde mirum

quod magnæ Virginis eſurientis tantum diuina, acſitientis non ſolum animus ſaturaretur empyrei lautitijs,ſed etiam corpuſculum ieiunijs attritum, atque exhauſtum annona cæleſti, Angelis eam deferentibus, reficeretur. Poterat hominum cibo carere, & Superum veſci, illa, quæ tota ferè anima,& vmbra tantum hominis ſolam ſuperficiem corporis geſtare videbatur. Seruis corui promicondi panem miniſtrabunt: Matri cupedias pretioſiores epulanti non congiarium tantùm de Cælo datur, ſed ipſa diuina ſeruitia commodantur. Hinc inimicitias inferni Draconis Empyrei Amazon tot victorijs exercuit, quot pugnis. Per iteratos triumphos Virgo laureata domum ipſam habere deinde meruit laureatam, & Galileas palmas Italis lauretis feliciter inſerere. Omnes in ea virtutes certabant; omnes vincebant. Ampliorem Marianarum virtutum panegyricum darem, ſi vel ſcribendis eius virtutibus, vel recenſendis nomina noſtratium virtutum, & numeri ſufficerent. In Templo ſui Maria Templi inquilina non virtutes, ſed quædam adoranda virtutum numina collocauit. Ingentes virtutes anomalæ ſunt, altioris nomenclaturæ, quam humanæ. Neſcio quid monſtroſum habent, quod explicari maximè deberet, nec poteſt. Grandium theſaurorum ſumma non exigitur: enormium coloſſorum datur plantas metiri, non caput. Extra omnem inuidiæ iactum fuit felicitas: ſupra omnem imitationis modum ſanctitas. Ita plantata in domo Dei in atrijs Dei noſtri floruit Ieſſæa Virga in terrenarum omnium, & cæleſtium Paradiſum deliciarum. Interim ediſcite puel-

læ Virgines coſmographiam muliebris mundi. Manumittite vos ipſas ingenuæ Virgines, & e nobili ſeruitute inſertos gemmantibus annulis digitos, conſignatum pretioſis monilibus pectus, religatum aureis catenis collum liberate. Ablegate gemendas vbique gemmas, viles ignoti mundi ſcrupulos, quibus oriens fulgurat ſimul, & grandinat occidenti. Frangite calamiſtros per tormenta capillorũ, ac totius capitis calamitatem crudeliter laſciuientes. Ad vſum honeſtatis vndantes ſine lege, attalico luxu veſtes, errantesque reprehendite. Marium eiectamenta, ſaniemque terrarum margaritas, & fucos proijcite. Male ſanum caput arguunt hæc medicamenta formæ laborantis, & ſpecioſa figmenta. Mundum fæmineum vnum omnium virtutum choragium conflat. Certè vt virgineum Marianum conflarent chryſtallina virginitas fragilis candoris ſpeculum dedit, aurum pietas, argentum innocentia, gemmas ſolidi omnium virtutum ſplendores.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis SS. Patribus Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de vita in ſacro Templi Parthenone traducta.

SYNOPSIS.

1 Sacrarum Virginum Templo dicatarum locus aperitur. 2. Ibi B. Virginem habitaſſe ſtatuitur. 3. An etiam in SANCTIS-SANCTORVM? 4. An cibata per Angelos? 5. Quid in Sacro loco egerit? 6. Eius Sanctiſſima vita. 7. Contemplatiua ſimul & actiua. 8. Omnium virtutum ſtudium. 9. Per actus Heroicos. 10. Intenſiſſimos. 11. Alijſque ſingularibus titulis inſignes. 12. Tum theologicarum, tum moralium. 13. Fidei. 14. Spei. 15. Charitatis. 16. Prudentiæ. 17. Iuſtitiæ. 18. Fortitudinis. 19. Temperantiæ. 20. Vnde in Sacro Templo Templum Dei animatum, ſpiranſque Sanctuarium euaſit.

Sacrarum Virginum Templo dicatarum locus aperitur.

I.

IN Templo, ſiue prope Templum fuiſſe Sacrum Parthenonem, in quo dicatæ diuinis miniſterijs Virgines habitabant ex 2. Machab. 3. infert Nicolaus Lyrenſis vbi legimus, *Virgines, quæ cõcluſæ erant procurriſſe ad Oniam Summum Sacerdotem &c.* Alludit huic S. Ambroſ. lib. 1. de virgin. illis verbis. *Etiam Templo Hieroſolymis fuiſſe Virgines deputatas.* Confirmat expreſsè Ioſephus Heb. l. 8. antiq. c. 2. numerumque, ac totam cellarum Sacri Parthenonis ſtructuram deſcribit, & l. 6. de bello Iudaico. De eodem loco Sacris Virginibus, alijſque mulieribus Templo miniſtrantibus, deſtinato

deſtinato ſcripſerunt Origenes, Baſilius, & alij apud Spinellum in Thr. Dei c. 32. Hæc eſt PP. ſententia, quam Eccleſia Catholica amplectitur, cum ſolemne feſtum præſentationis Marianæ celebrat, quod, præter Caniſium, & Suarez ſupra relatos propugnant acerrimè contra hæreticos Card. Baron. in app. ad tom. 1. ann. Eſpencæus l. 3. de contin. c. 7. Sebaſtianus Barrad. t. 1. l. 6. c. 6. Serarius in c. 3. lib. 2. Machab. Caſtro in hiſtor. Deip. c. 3. & alij.

At ex quanam parte Templum reſpicerent Virginum Sacrarum cellæ controuerſum eſt. Auguſt. Torniellus tom. 1. annal. anno mundi 4032. reiecta Card Baron. opinione aſſerit ex Ioſeph. Heb. l. 6. de bell. Iud. c. 6. tum in ſeptentrionali, tum in meridionali parte Templi fuiſſe, vt per vtranque portam lateralem in Templum aditus pateret. Adhuc extat Eccleſia, vt locupletiſſimus teſtis eſt Franciſcus Quareſmus t. 2. eluc. terræ Sanctæ c. 17. per. 2. quam *Templum præſentationis B. Mariæ* vocant in meridionali parte Templi, vbi ipſa B. V. poſt ſuam præſentationem habitauit vſque ad virgineum coniugium. Hanc Eccleſiam Bonifacius de peren. cultu terræ Sanctæ a S. Helena Auguſta Conſtantini magni Matre fuiſſe exædificatam affirmat, ſed probabilius Fr. Quar. loco ſupra allegato cenſet fuiſſe auctorem Iuſtinianum Imperatorem huius nominis primum S. Saba Abb hanc ſtructuram ſuadente, putatq; eſſe illud Templum, quod S. Cyrill. Hieroſolym. deſcribit, & cuius deſcriptionem ex eodem S. Cyrill. adducit Card. Baron. an. Ch. 530.

Ibi B. V. habitaſſe ſtatuitur.

II.

IO. Damaſc. Greg. Nyſſ. Germ. Patrar. Conſtant. Greg. Nicomed. Euodius Ep. Antioch. And. Cret. Greg. Nazianz. & alij tum PP. tum hiſtorici Eccleſiaſtici, tum Doctores Scholaſtici, tum etiam MARIÆ Encomiaſtæ, qui de Mariana pręſentatione agunt eius in Templo, ſiue prope Templum commorationem vſque ad deſponſationem virgineam celebrant. Extant in Gregor. Nazianz. tragædia de Chriſto patiente hæc carmina.

Simul atque nata ſum Patris tui vt arbitror,
Ex mente ſumma, me meus nutrit Pater
Non inter illos, quos colunt homines lares,
Sed me Sacratæ Mater ædi deſtinat.

An etiam in Sanctis-Sanctorum.

III.

AFfirmant aliqui recentiores Doctores, & nominatim Caniſius lib. 1. de Deip. c. 13. Nituntur authoritate, & ratione. Authoritas antiquiſſima eſt ex Euodio Antiocheno poſt Principem Apoſtolorum Epiſcopo apud Nicephorum l. 1. hiſt. c. 7. his verbis *Trimula cum eſſet in Templum eſt præſentata, & ibi in Sanctis-Sanctorum traduxit annos vndecim.* Sequuti ſunt illum inter alios Greg. Nicomed. & Germ. Conſtant. in tract. paneg. de præſent. B. Mariæ. Non improbabile redditur ex eo, quod licet ſacrificij tempore, cum res diuina agebatur ſolus ſummus Sacerdos in Sanctis-Sanctorum commoraretur, extra illud tempus viris Sanctitate inſignibus ſacerri-

mum

mum illum ingredi locum fas erat, vt de S. Iacobo Min. Apoſtolo teſtantur Egeſippus apud Euſebium l. 2. hiſt. c. 23. S. Epiph. hær. 78. & alij communiter. Ego tamen libentius ſubſcribo illis, qui negant B. V. habitaſſe in Sanctis-Sanctorum, dicuntque fuiſſe tantum in Loco Sacro educatam, & fortaſſe cum Sanctis-Sanctorum continuato, quem Virgines miniſterijs Templi deuotæ incolebant. Ita SS. Patres interpretari debemus, cum præſertim alij omnes id teſtentur. De merito potius excellentiæ Dei Matris loquuntur, vt indicant illa verba Greg. Nicomed. in or. de præſent. *Oportebat Virginem, non in Sanctis-Sanctorum tabernaculis, ſed in ipſo cælo cæli in prima ætate educari, quæ his collata ſit latior; & puritate antecellat.* Nicephor. l. 1. c. 7. vbi ait *Virgo vt res diuina intacta & Sacroſancta in Templi ſanctiori loco, & in abditis ipſis viuebat* vel non eſt intelligendus de Sanctis-Sanctorum, vel non audiendus. Hoc quod ex lege licebat Summo Pontifici ſemel ſingulis annis, ex priuilegio fuiſſe conceſſum S. Iac. min. Apoſt. Fratri Domini S. Hieron. cum alijs teſtatur, ſed non eſt mirum; nam opinio ſanctitatis ipſius maxima erat apud Hebræum populum, vnde de ea Ioſephus, & Egeſippus, multiq; alijs magnificè ſcripſerunt. Imo Ioſephus l. 20. antiq. c. 8. cenſuit Hyeroſolymam exciſam, ac totam Rempub. Hæbream euerſam iniuſtæ, & crudelis necis Iacobo iuſto illatæ, vindicias diuinas fuiſſe. ANNAM Dei genitricis parentem Sancta-Sanctorum ad orandum fuiſſe ingreſſam aſſerit Gregor. Nyſſen. or. de natiu. ſed

ſed communiter apocryphum cenſetur. Duas rationes affert Theophilus Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 3. valde efficaces. Prima eſt, quia Sacerdotes ignari myſteriorũ, quæ Deus in B. V. moliebatur, & eius ſanctitatis nunquam toleraſſent etiam eo tempore, quo Sacerdos Summus rem diuinam agebat, ibi virgunculam licet honeſtiſſimam commorari, contra expreſſum Dei mandatum Leuit. 16. Secunda eſt quia tam celebris fuiſſet B. Virgo ex commoratione in Sanctis-Sanctorum, vt nunquam Filium ex Matre contemnentes dixiſſent. Nonne Mater eius MARIA dicitur? Addo ego humilitatem B. Virginis non paſſuram fuiſſe ſibi tantum honorem deferri. Hieronym. in lib. de ortu Mar. loquens de SS. Parentibus IOACHIMO, & ANNA vbi dixit *quod cum trium annorum circulus volueretur, & ablactationis tempus completum eſſet ad Templum Domini Virginem cum oblationibus adduxerunt* poſt pauca ſubiungit *voto ſuo perfecto Virginem intra ſepta Templi cum aliјs Virginibus ibidem educandam dimiſerunt, ipſi verò domum regreſſi ſunt. In adytum Templi* inquit Ioſephus Heb. l. 8. antiq. c. 2. *ideſt in Sancta-Sanctorum ſoli Principes Sacerdotum ingrediebantur propria ſtola amicti,* & idem teſtatur Philo de legatione ad Caium, qui intelligendi ſunt regulariter iuxta ea, quæ de S. Iacobo ſupra diximus.

An cibatam per Angelos?
I V.

ADmirabile hoc prodigium celebrant circa B. Virginem in Sacro Gynecæo commoran-

morantem aliqui SS. Patres nimirum ſæpius delatum illi cælitus ab Angelis cibum fuiſſe; eamque empyrei lautitijs paſtam. Prodidit hoc S. Germ. in or. de præſ. his verbis. *Manſit autem puella de cætero in Sanctis - Sanctorum, ſeu in Templi penetralibus, Ambroſiam nutrimentum per Angelum accipiens vſque ad ſecundam ætatem.* Similia habet And. Cret. or. 1. de dorm. Deip. *Poteſt inter alia recenſeri Virginis aduentus ad Dei Templum, quomodo ſit pulchrum munus Deo dedicatum, quomodo in adytis, tanquam in aureis vecta thalamis immortalem, non autem communem cibum ſumebat.* Clarius id teſtatur Georg. Nicomed. or. de oblat. Virg. & Cedrenus in comp. hiſt. Admittunt hoc miraculum Suarez t. 2. 3. p. d. 7. Io. Mar. Zamorrus l. 3. de emin. Deip. perfect. Benzon. in pſ. 86. c. 40. tradit. 9. Caniſ. l. 1. de Deip. c. 13. Morales l. 1. in Matth. tract. 10. Nouatus t. 1. c. 5. q. 5. & alij. Legendus eſt Baronius t. 1. concord. l. 6. c. 6. & Gregorius Gallicanus in ſuo Marial. de præſent. Addit S. Bonau. in ſuis meditationibus c. 3. ex D. Hieron. reliquias, & analecta cæleſtis cibi, quem e Cælo dapifer Angelus deferebat erogaſſe B. Virginem liberaliter pauperibus: *De eſca* ait ipſe, *quam de manu Angeli accipiebat pauperibus erogabat.* Scio Deum miracula non prodigere, & B. Virginem congruè tam manifeſtis miraculis ante Incarnationem Diuini Verbi non claruiſſe; ſed piæ ſententiæ non audeo refragari, ſi præſertim admittamus non ſemper Angelos de cælo dapes miniſtraſſe, ſed identidem ſucum quendam cęleſtẽ ſupra vetus manna, & multò magis ſupra communes cibos

moſtrates iucundiſſimum. Etiam S. Io. Baptiſtæ ex Cedreno, & Nicephoro, S. Paulo Eremitarum Principi, Abb. Apollini, & Abb. Anophio ex Palladio in vitis PP., alijſque SS. Viris edulia Angeli detulerunt. Et certè ſi lacte Angelorum miniſterio fabricato, vt ſupra probabiliter vidimus paſta fuit in paterna domo MARIA infans, cur in Sacro Templo Angelicis epulis recreari non debuit? Vnde poſſet de Dei Matre dici quod de filio vt habemus Matth. 4. *& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei, & illud pſ. 77. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit ei in abundantia.*

Quid in Sacro Loco egerit.

V.

QVid egerit B. Virgo in Sacro Templi Parthenone piè conijcere licet potius quam certò enarrare: Eius tamen vitam in ſacris ædibus ſic deſcribit Card. Vitriacus in hiſt. Hieroſ. c. 62. *In hoc* (nimirum Templo) *B. Virgo, donec à Ioſepho deſponſata fuiſſet cum alijs Virginibus dicitur miniſtraſſe, Templi cortinas, & veſtimenta Sacerdotalia præparando, litteras Sacras addiſcens, ieiunijs, vigilijs, & orationibus, & diuinarum ſcripturarum ſtudio prudenter, & humiliter vacans &c.* Ab Angelis dapes cæleſtes accepiſſe præter allatos Doctores teſtantur D. Ambroſ. & D. Bonau., imò addit Pantaleon apud Metaphiaſtem de præſent. Virg. Zachariam Sacerdotem, & Prophetam S. Io. Baptiſtæ Patrem hoc prodigium conſpexiſſe, & harum deliciarum ſupernarum aliquo modo participem fuiſſe. Ex S. Anſelmo l. de

laud.

laud. Virg. habemus MARIAM Deiparam cum alijs Virginibus prope læuam Altaris habitaſſe, & ſupra alias perſeueraſſe in Altaris cuſtodia, ac Sacerdotibus miniſtraſſe. De alloquijs Angelicis, eorumque frequentatione familiari, & obſequijs planè ſeruilibus Angeli Cuſtodis hæc habet S. Bonau. in medit. vitæ Chriſti c.3. *Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quaſi chariſſimæ Sorori, vel Matri obtemperabat ei*. Ibidem Seraphicus Doctor ex quibuſdam reuelationibus ab eadem B. Virgine factis, vt ipſe exiſtimat S. Eliſabeth *ſurgebam* ait in perſona ipſius Deiparę *ſemper, in noctis medio, & pergebam ante Altare Templi, & ibi omni affectu petitiones meas Deo præſentabam*. Deinde ex Hieron. temporis diſtributionem, quam ſeruabat his verbis refert *Hanc ſibi regulam B.V. ſtatuerat, vt à mane vſque ad horam tertiam orationibus inſiſteret, à tertia vſque ad nonam externo opere ſe occuparet, à nona verò iterum ab oratione non recedebat, vſque dum illi Angelus appareret, de cuius manu eſcam accipere ſolebat, & melius in Dei amore, & opere proficiebat*. An in Templo conſuerit veſtem inconſutilem, qua indutus deinde Chriſtus Dominus fuit, valde dubium eſt, licet id affirmet Benzonius in pſ. 86. c. 4. tradit. 10. Multò magis incertum eſt eam veſtem e cælo in terras demiſſam, & initio paruulam cum Chriſto Domino creuiſſe iuxta menſuram ętatum, & modum vt adſtruit Goffridus Viterbienſis parte 14. chron. Hæc ſine fundamento ſolido auctoritatis SS. PP., & efficacium rationum aſſerere non audeo.

Eius ſanctiſſima vita.

VI.

ADultam in primis annis, dignamque corona ſanctitatem B. Virginis ſupra omne id, quod cogitari poteſt, ne dum dici deſcribit S. Anſelmus l. de excell. Virg. c. 3. *Nata igitur* ait *S. Virgo, & infantiles annos exuta, quam caſtè, quam ſanctè, quam dignè vitam inſtituerit, & inſtitutam egerit quis vel cogitatu, non dicam dictu queat coniecturare? Nulli denique dubium caſtiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animam eius funditus ab omni fuiſſe macula peccati iugi Angelorum cuſtodia protectam, vtpote Aulam, quam ſuus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in ſua Perſonæ vnitate ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus.* Sed nullus eloquentius, ac ſuauius melleo oratore Ambroſio vitam B. Virginis in annis tenerioribus expreſſit l. 2. de virgin. vbi hæc habet. *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque B. Mariæ, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendunt.* Et infra. *Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens, intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem quærere, ſed Deum, nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere*

maioribus

maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Hinc per omnia virtutum genera excurrit Sanctus panegyriſta, ac tandem concludit. *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina. Si igitur auctor non diſplicet, opus probemus, vt quicunque eius ſibi exoptat præmium imitetur exemplum.* Salutabo ergo Deiparam Sanctiſſimam magnificentiſſimis, ſed veriſſimis verbis And. Cret. or. 2. de B. V. *O Sancta Sanctis Sanctior, & omnis Sanctitatis Sanctiſſime theſaure!*

Contemplatiua ſimul & actiua.

VII.

HÆC mixta ex contemplatiua, & actiua perfectiſſima vita eſt ex S. Th. 2. 2. q. 188. a. 6. & ſimillima vitæ Chriſti Domini, qui via, veritas, & vita eſt, omniſque ſanctitatis idea princeps. Extat deſcriptio vitæ mixtæ a B. Virgine traductæ in ſacro Templi Parthenone apud S. Hieron. l. de ortu Virg. *Ita vixit* ex Pe. Dam ſ. 1. de nat. *vt nec actio contemplationem minueret, nec cõtemplatio actionem deſereret.* Similia habent Epiph. Præsb. Conſt. S. Anſel. de laud. Virg. S. Bonau. in meditation. vitæ Chriſti cap. 3. & alij.

Omnium virtutum ſtudium.

VIII.

ENumerari non poſſunt, nec recenſeri virtutes, quas inter pia Templi miniſteria exercuit B. Virgo, ne dum explicari, & celebrari. De illis egregiè diſſeruere S. Anſelm. l. de Quattuor virtutibus B. Mar. S. Bonau.

lect.

lect. 4 ſpeculi, & lect. 15. Carthuſ. de laud. Deip. Ricchard. a S. Laurentio Fran. Arrias de imitatione B V. Spinellus in Thr. Dei c. 21. Aloyſ. Nouarinus in vmb. Virgin. Theophilus Rayn. in Dipt. Marianis p. 2. puncto 6. & alij innumeri. Omnes habitus virtutum tum theologicarum, tum moralium fuiſſe in primo inſtanti conceptionis infuſos iam vidimus, vnde per actus ab ipſa Deipara Sanctiſſima elicitos non fuerunt producti. Hi infunduntur a ſolo Deo vt docet S. Th. 1. 2. q. 51. a. 4. cum alijs communiter iuxta illud Conc. Trident. ſeſſ. 6. ca. 7. vbi ait. *In iuſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo fidem, ſpem, & charitatem*. Eadem ratio eſt de virtutibus moralibus. Fuere tamen per actus elicitos augmenti capaces. *Conferente* ait B. Laur. Iuſtin. ſ. de Purific. *autem ſecum Maria de omnibus, quæ legendo, audiendo, videndo cognouerat, o quantum creſcebat in fide, augebatur meritis, ſapientia illuſtrabatur, magis, magiſque charitatis cremabatur incendio!* Idem teſtatur Rup. Abb. l. 6. in cant. dum dicit Virginem in ſua prima ſanctificatione fuiſſe *vt auroram* in Filij conceptione *vt Lunam*, in morte. *vt Solem*. Sed de augmento habituum virtutum ex dictis de augmento gratiæ, & meritorum dubitari non poteſt. Nullus fuit iſtorum habituum, qui infunderetur in parte ſenſitiua, licet aliquo modo externa ſpecie ſe proderent, vnde illi, qui eam ſpectabant videbantur viuum omnium virtutum, & altiſſimæ perfectionis exemplar intueri. Hoc probat luculentiſſimis PP. teſtimonijs præſertim B. Pe. Dam. ſ. 1. de nat. B. Laur. Iuſtin. ſ. de

natiu. B. V. Rich. de S. Vict. in cant. c. 26. S. Bernar. Sen. t. 2. ſ. 51. a. 1. c. 4. & aliorum Io. Baptiſta Nouatus t. 2. c. 3. q. 9. Confirmat reuelat. S. Birgittæ in ſerm. Angel. c. 11. & 4. cantic. verbis quibus eius pulchritudinem commendat cæleſtis Sponſus. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecus latet.* Vnicum Laur. Iuſtin. audiamus. Ille de B. Virg. ſic loquitur. *Deo, & hominibus amabilis videbatur, ſanctitatis enim perlucidum erat ſpeculum, pudicitiæ ornamentum, Virginitatis gloria, humilitatis forma, honeſtatis riuulus, exemplar continentiæ, ſapientiæ thronus, magiſtra virtutum.*

Per actus heroicos.

IX.

OMnes virtutes Marianæ, vt fusè probat Spinellus in Th. Dei loco alleg. fuere in gradu Heroico. Habitus autem Heroicus, vt docet S. Th. 3. p. q. 7. a. 2. ad 2. eſt ille, de quo Ariſtoteles l. 7. æthic. c. 1. dicit non differre a virtute communiter dicta, niſi ſecundum perfectiorem modum, in quantum ſcilicet aliquis eſt diſpoſitus ad bonũ altiori quodammodo, quam communiter omnibus competat. De ſtatu Heroico virtutis plura habet Almaynus tract. 3. mor. c. 10. 11. & 12. Hunc eruditè adſtruit in B. Virgine Nouatus t. 2 c. 3. q. 5. & multis PP. teſtimonijs luculentiſſimis probat, præſertim S. Bern. in ſig. mag. S. Hieron. ſiue alterius Auctoris ſ. de Aſſumpt. Ricch. Victor. de Emman. c. 29. Pet. Dam. ſ. de Aſſ. & aliorum, *Mons in vertice Montium* dicitur

a S. Greg. c. 1. in 1. Reg. quia eius virtutes ſupra omnium aliorum Sanctorum virtutes fuerunt. Apicem huius ſtatus ſola B. Virgo attigit iuxta illud cant. 6. *Vna eſt amica mea, columba mea, perfecta mea*. Ad illud elogium Sponſi cæleſtis *Tota pulchra es &c.* ſubiungit Idiota de contempl. Virg. c. 2. *Tota pulchra es in anima per virtutum, & chariſmatum omnium perfectam pulchritudinem*. Sed nullus hunc gradum Heroicum melius expreſſit Amed. Lauſan. qui hom. 2. de laud. B. Virg. ſic ait. *Illa reſidens in arce ſublimiſſima virtutum, & pelago diuinorum affluens chariſmatum, abyſſum gratiarum, qua cunctos exceſſerat credenti, & ſitienti populo largiſſima emanatione profundebat*. Nulla deinde illi virtus defuit vt infra. *In aduentu Angeli* inquit Euſeb. Emiſſ. in Euang. de Annunc. *ſola ſedebat, nec tamen ſola tanto virtutum exercitu circumſcripta*. Imò ait cum S. Bern. ſ. 4. de Aſſ. virtutes omnes, quæ videntur communes in MARIA Deip. *fuiſſe ſingulares*. Confidenter aſſerimus inquit Fulb. etiam ſ. 1. de Natiu. *quod nullo genere virtutum vacabat, cui plenitudinem ineſſe gratia Dei nuncius aſſerebat*. Iure ergo B. Virgo apellatur a S. Ambroſ. lib. 2. de Virgin. *forma virtutis* a S. Th. op. 8. *Exemplum omnium virtutum* a Chryſipp. Præsbit. or. de Deip. *hortus Patris, & pratum totius fragrantiæ S. Spiritus*, ac tandem a Pe. Chryſol. ſ. 146. *Collegium Sanctitatis*.

Intenſiſſimos.

X.

DE intenſione virtutum B. Virg. nemo dubitare poteſt, qui eius plenitudinem gratiæ

gratiæ agnoſcit. Rich. a S. Laur. l. 1. de laud. B. V. c. 4. negat vllum ei gradum gratiæ defuiſſe. Hoc dictum ſapienter temperandum eſt. Si dignitatem Matris inſpiciamus, vt ſupra, verum eſt ex S. Th. & alijs in 1. diſt. 22. a. 2. & 1. p. q. 17. a. 6. non potuiſſe fieri meliorem Matrem, quam Matrem Dei, neque conferri titulum excellentiorem. Verum etiam eſt omnes alios Sanctos in gratia, virtutibus, & alijs donis cæleſtibus ſuperaſſe. At hic theſaurus finitus fuit toto tempore vitę, & augmenti capax.

Alijſque ſingularibus titulis inſignes.

XI.

Aliquos ſingulares titulos, quibus inſignes fuere B. V. virtutes enumerat Nouatus t. 2. c. 3. q. 6. Primus eſt, quod illius virtutes ad eum gradum peruenerint, quem nulla attigit. Hunc titulum paſſim celebrant SS. Patres & expreſsè S. Bern. ſiue alius auctor ſuper Salue Reg. his verbis. *Sicut Sol vniuerſa cæli lumina præcellit prærogatiua claritatis eximiæ, ſic totam rationalem creaturam poſt Filium excellit Maria ſplendore virtutis.* Secundus titulus eſt, quod fuerint firmæ ex Dei priuilegio, & inconcuſſæ. *Habuit virtutes* inquit Mag. Albert. c. 96. ſuper miſſus eſt *cum actuum perfectione ſicut comprehenſores, & cum merendi conditione, ſicut viatores.* Tertius titulus eſt, quod nunquam fuerint otioſæ, & illum egregiè explicat Ricchard. c. 26. in cant. vbi ait. *In ipſa virtutes erant perfectæ, & in perpetuum vſum transfuſæ.* Quartus titulus eſt, quod exceſſus illarum ſupra virtutes cuiuſcunque creaturæ talis ſit, vt nequeat ferè explicari. In hoc

ſenſu dixit Sophron. in ſ. de Aſſumpt. *Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita & in comparatione Matris Domini nullus perfectus inuenitur; quamuis virtutibus eximijs comprobetur.* In eodem ſenſu loquutus eſt S. Io. Damaſc. or. 1. de dormit. Virg. cum dixit *Dei Matris, ac ſeruorum infinitum eſt diſcrimen.* Quintus titulus eſt, quod virtutes Deipara Virgo habuerit puras ab omni perturbatione vitiorum iuxta illud Ricch. Victor. c. 26. in cant. *Habuit quoque virtutes ſine perturbatione, vel paſſionibus vitiorum, & has poſſedit earum amore delectata, & gratia adiuta.* Similia habet de Emman. c. 30. Addit Nouatus ſextum titulum, nimirum votum exercendarum virtutum omni oblata occaſione iuxta conditionem & ſtatum ſuum. Huic voto aliqua loca SS. Patrum fauere videntur S. Bern. ſ. 3. de annunc. S. Io. Damaſc. or. de Nat. B. Laur. Iuſtin. ſ. de Purif. Rich. a S. Vict. in cant. c. 26. & reuelatio S. Birgittæ in ſerm. Angel. c. 14. vbi affirmat, quod voluntas Virginis in nulla vnquam bonitate defecit. Scio probabile cenſeri a Suarez tom. 2. in 3. p. d. 28. ſ. 2. quod Chriſtus Dominus in primo inſtanti ſuæ conceptionis ſe voto Deo conſecrarit ad redimendos homines. At huius voti Mariani nulla eſt expreſſa mentio apud Sanctos Patres, & Doctores Scholaſticos.

Tum theologicarum, tum moralium.

XII.

DE virtutibus omnibus in vniuerſum, in quibus alij Sancti excelluerunt loquuti ſunt S. Io. Damaſc. or. 1. de Aſſ. Idiota l. de contempl. Virg. c. 2. Rich. Victor. l. de diffe-

rentia

rentia ſacrificij Abrahæ & Mariæ Auctor lib. de oper. Chriſti Cardinal. apud S. Cyprianum ſ. de Nat. Chriſti, Sophronius ſ. de Aſſumpt. S. Pet. Chryſol. ſ. 143. Pet. Dam. & Laur. Iuſtin. ſ. de Aſſumpt. inter Doctores verò ſcholaſticos Suarez t. 2. in 3. p. d. 1. ſ. 2. & Vaſquez 3. p. d. 114. c. 3. & alij innumeri.

Fidei.

XIII.

FIdem Deiparæ Virginis omnes Patres, & Sacrarum Scripturarum interpretes celebrant ad illud ELIZABETHÆ Cognatæ elogium Luc. 1. Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur &c. *Vides* inquit S. Ambroſ. *non dubitaſſe Mariam, ſed credidiſſe, & ideò fructum fidei conſequutam. At quem fructum? nimirum illum benedictum fructum ventris ſui Ieſum.* Fuit inquit S. Bonau. in ſpec. c. 8. *pulchra in fide, qua credidit omnia credenda ſupra ſe, & qua credidit omnia perficienda in ſe.* Nobiliſſima fidei Marianæ encomia leguntur apud eundem S. Ambroſ. l. 2. in Luc. S. Pe. Chryſol. ſ. 142. S. Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt S. Anſelm. l. de excell. Virg. c. 3. Rupertum Abb. in 1. cap. cantic. Hugonem Card. 6. cantic. B. Laur. Iuſtin. ſ. de Nat. B. V. Idiotam l. de cont. Virg. c. 2. & alios. In conceptione Filij Dei inquit Origenes ad locum alleg. *fides Mariæ vxor extitit Spiritus Sancti.* Huic conſonat S Anſel. in c. 10. Lucæ cum ait *Porta, per quam intrauit Ieſus, eſt fides Mariæ.* In eodem ſenſu Hugo de S. Vict. dixit cantic. 5. *Virgo credula verbum concepit per verbum.* Illius fidem *quandam magnanimitatem fidei* vo-

cat Rich. a S. Laur. l. 4. de Deip. quia in ſe poſſe fieri, & credidit & ſperauit, quod nunquam auditum fuerat, nec in cælo, nec in terra. Exceſſum fidei B. Virg. ſupra fidem Abrahami, aliorumque non ſolum Patriarcharum verum etiam Prophetarum commendat Dyoniſ. Carthuſ. l. de laud. Deip. a. 1. Status viatricis in B. Virg. exigebat fidem toto vitæ tempore, nam Sancti, vt legimus ad Heb. 11. per fidem adepti ſunt repromiſſiones. Admirabilis fides B. Virginis, vt probat Nouatus t. 2. c. 4. q. 4. ſimul ſecum compati potuit cognitionem experimentalem aliquorum myſteriorum, quæ licet clarior ſit fide diuina, ſuperatur tamen in certitudine, cum ſenſus obnoxij ſint deceptioni. Etiam in nobis datur fides quod omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur, & tamen huius veritatis habemus, tum ſcientiam a priori ratione compoſitionis hominis ex elementis, & qualitatibus contrarijs, tum a poſteriori per cognitionem euidentem experimentalem. Ad fidem tamen B. Virginis ſicut & noſtram requiſita fuit reuelatio aliquo modo obſcura iuxta doctrinam Suarez diſp. 3. de fide ſ. 8. & aliorum communiter, quidquid dicat Vaſquez in contrarium d. 135. c. 3. Hæc obſcuritas fidei eſſentialis eſt, nam vt habemus ex Apoſtolo ad Heb. 11. *fides eſt argumentum non apparentium*, & 1. ad Cor. 13. *videmus nunc in ænigmate*. Quid enim eſt fides inquit Theologorum Princeps S. Auguſt. tract. 40. in Io. *niſi credere, quod non vides?* Egidius Konink de fide diſp. 11. dub. 2. conc. 4. affirmat B. Virginem aliquando cognouiſſe euidenter ſibi myſteria fidei a Deo reuelari:

In

In eo caſu potuit elicere actus fidei ex reuelatione obſcura, & actus cognitionis euidentis ex reuelatione clara. Idem proportione dicendum eſt de actu fidei, & actu ſcientiæ infuſæ: An retinuerit fidem B. Virgo dato, quod eleuata fuerit etiam viatrix aliquando ad tranſeuntem viſionem Dei, diſtinguendum eſt de actu, & habitu. Negandum eſt de actu. De habitu concedi poteſt; nam habitus non datur ad exercendum actum pro qualibet differentia temporis, ſed pro aliqua.

Spei. XIV.

SPes eſt *germen pulchrum fidei* vt loquitur S. Maxim. centur. 2. ex varijs c. 74. & iuxta Antiochum hom. 2. *ſpes fidei roſcida aſpergine perfuſa fructificat* pro fidei proportione. In ijs admirandis exemplis, quibus floruit ad miraculum fides Mariana, viguit etiam ſpes, & Charitas arſit. Eſt enim *Mater pulchra dilectionis, & timoris*, vt legimus Eccleſ. 24., *& agnitionis, & ſanctæ Spei*. In agnitione fidem, in ſancta Spe, veram ſpem theologicam, in dilectione Charitatem intelligit S. Anton. 4. p. t. 15. c. 17. Illa etiam verba a cæleſti ſponſo B. Virgini dicta *Surge amica mea, propera, & veni* Rupertus Abb. ſic exponit. *Surge per fidem, propera per ſpem, veni per charitatem*. Omnes egregiè complectitur Io. Gerſon ſuper Magnif. tract. 3. his verbis. *Beatam reſpice primo modo, dum ab inſtanti creationis Spiritus ſui initiatum eſt matrimonium cum æterno Sponſo Deo per arrham fidei, ſpei, charitatis, & cæterarum virtutum*. Spem Deiparæ

Sanctiſſimæ in conceptione diuini verbi ferè omnes Patres cum fide ſummam celebrant. Eandem in nuptijs Canę extollit Dyoniſ. Carthuſ. l. 3. de laud. Deip. a. 3. Refloreſcentem in reſurrectione Filij, ſpem Matris contemplatur S. Anſel. l. de quattuor virt. B. Mar. c. 8. vti etiam in Aſcenſionis triumpho. Eius tandem ſpem poſt Chriſti Domini Aſcenſionem, & Spiritus Sancti aduentum ardentiſſimam, toto incolatus terreni tempore vſque ad mortem, commendat Rup. Abb. ad illud cantic. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea*. De motiuo formali ſpei, quid nobis, quid ſibi ſperarit, & an per eundem habitū, queſtiones theologicæ ſunt, quæ definiri debent iuxta ea, quæ de ſpe aliorum iuſtorum dicuntur, vti etiam an ſpem in patria retineat.

Charitatis.
XV.

AD menſuram gratiæ ſtatuenda eſt charitas, quæ vel eadem eſt cum gratia, vel illius indiuidua comes. In hac virtute, quæ omnium Regina eſt fuit B. Virgo vt ſupra ex D. Greg. l. 1. in 1. Reg. *mons Domini in vertice montium exaltatus ſuper omnes colles*, quia vt explicat S. Io. Damaſc. or. 3. de Natiu. *Angelorum, & Hominum ſublimitatem exuperat*. Eodem titulo eſt cum Rup. Abb. loquar l. 9. in cant. *Mons Montium Virgo Virginum, & Sancta Sanctorum. Intellectualis Fornax* dicitur, *in qua mundus renouatus eſt* in cant. Eccleſ. Græc. quæ Billius ſuæ Io. Damaſc. operum editioni adiunxit can. Anaſtaſ. 1. ode. 7. Alluditur ad Fornacem Aſſyrij Tyranni, in qua ignis inno-

cens, innocentes pueros non læſit, vti fit a Coſma Hieroſol. in Theogomia, & a Io. Damaſc. or. 1. de Aſſ. qui ſic B. Virginem alloquitur. *An non te forma illa deſignauit, quæ ignem ſimul, & refrigerantem, & inflammantem oſtendebat, diuinique illius ignis in ſe inhabitantis typum gerebat.* Alia omnia omittuntur de charitate, quia alibi fuſius de illa diſſeremus.

Prudentia.

XVI.

DE excellentia prudentiæ Deiparæ Virginis dubitari prudenter non poteſt, tum ſecundum Euboliam nimirum habitum inueniendi in rebus dubijs optimum conſilium, tum ſecundum ſyneſim habitum rectè iudicandi de conſilijs optimis, tum ſecundum Gnomen habitum rectè iudicandi ex principijs quibuſdam altioribus iuxta mentem Legiſlatoris. De hac in vniuerſum ſcitè philoſophantur Ariſtoteles l. 6. æthic. c. 5. & D. Th. 2. 2. q. 48. *Eſt habitus* ex Philoſopho *cum ratione vera circa bona humana actiuus:* ex M. Tull. 2. de inuent. *rerum bonarum, & malarum, & vtrarumque cognitio,* ac tandem l. de lib.arb. c. 13. *Rerum appetendarum, & fugiendarum ſcientia.* Prudens iuxta Iſidorum l. 10. ethimolog. dicitur, *quaſi procul videns. Virgo prudentiſſima* ab Eccleſia Catholica dicitur MARIA in litanijs lauretanis. Illius prudentiam ad legationem Angelicam celebrant paſſim SS. Patres præſertim S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. Admirabilem quoque eius prudentiam in paſſione Filij obſeruat fusè, & prædicat Martinus Delrius exponens illud cant. 4. *Sicut*

vitta coccinea labia tua. De hac virtute magnificè loquuntur S. Hildeph.ſ.4. de Aſſ. Fulb. ſ. de natiu.B.V. Dyoniſ. Carthuſ. l.2. de laud. Deip.a. 25. Spinellus in Th. Dei & alij innumeri. Hæc virtutibus omnibus facem prætendit. Hinc iure apellatur B.Virgo ab Heſichio or. 2. de Deip. *Lucerna oris expers, a ſe ipſa ardens* propter parcitatem Verborum & prudentiæ inſitum intus lumen, & in hym. Græc. apud Buteon. p. 132. *lampas ſplendida his, qui ſunt in tenebris conſpicua, immortali accenſa lumine ad agnitionem diuinam omnes deducens.*

Iuſtitia.
XVII.

INter humanas alias, moraleſque virtutes iuſtitia iuſtè principem locum iure ſuo meretur. A Vulpiano definitur l. 1. ff. de iuſt. & iure *conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi*. Hæc fuit in B. Virgine perfectiſſima prout eius ſtatui conueniebat. Illam in Deipara Sanctiſſima egregiè celebrant inter alios S. Fulb. ſ. 1. de nat. B.V. S.Io. Damaſc. l.4. de fid. c. 10. S. Ambroſ. l. 2. de Virg. & Amed. Lauſan. hom. 7. de laud. B.V. S. Greg. Thaumat. ſ. 2. de Annunc. Paradiſo terreſtri comparat B. V., & quattuor virtutes Cardinales tanquam fortunatiſſima illa flumina deriuat, in quo ſenſu eadem flumina tropologicè accipit S. Ambroſ. l. de Parad. c. 3. & 5. l. de Gen. contra Manich. c. 10. Omnibus omiſſis vnicum Seraphici Doctoris elogium effero, qui in ſpec. c. 8. D. quoque Bern. referens ſic ait. *Tu enim es virga Aaron recta, florida, & fructifera, recta, imo rectiſſima per-*

iuſti-

iuſtitiam, & æquitatem, florida per virginitatem, fructifera per fæcunditatem. Quæ enim eſſet virga recta ſi virga Aaron non eſſet recta? Quæ anima eſſet iuſta ſi non Maria eſſet iuſta? Hoc eſt quod Bernardus dicit. *Quis iuſtus ſi non Maria iuſta, de qua ortus eſt Sol iuſtitiæ? Dominus ergo tecum o Maria iuſtiſſima.*

Religio iuſtitiæ pars potentialis primaria, & virtutum moralium ſuprema Deiparæ Virginis vitam conſecrauit; ſed hoc maximè tempus, quo in ſacro parthenone Templi vixit, vnde nulla fere eius pars a religioſis exemplis in virgineo Aſceterio vacaret. *Hæc eſt* vt definitur a S. Auguſt. l. 83. queſt. 31. ex Marc. Tull. 2. de inuent. *quæ ſuperioris cuiuſdam, naturæ, quam diuinam vocant cultum, cæremoniamque affert.* Illam paſſim in B. Virg. tum in internis, tum in externis actibus extollunt SS. Patres. Vnicum audiamus B. Pe. Damian. ſ.3. in Natiu. B.V. cuius hæc verba ſunt. *Quid enim Sanctitatis, quid iuſtitiæ, quid Religionis, quid perfectionis ſingulari huic Virgini deeſſe potuit, quæ totius Diuinæ gratiæ chariſmate plena fuit?* Hinc illa religioſiſſima adoratio Deiparæ Virginis, cum filium ſuum genuit, nam *quem genuit* vt Eccleſia Sancta prædicat *adorauit. Maria* inquit S. Bonau. in med. vi. ch. c. 7. *ergo flexis genibus adorauit & gratias agens Deo dixit. Gratias tibi ago Domine Sancte Pater, qui filium tuum mihi dediſti, & adoro te Deus æterne, & te filium Dei viui, & meum.* Hanc adorationem perpetuam toto tempore vitæ Chriſti Domini fuiſſe adorationem latriæ docent S.Th.3.q. 15. a. 1. relatus Bonau a. 1.q.1. Scotus q. 1. 5. de tertio, & alij theologi com-

muniter ex Mag.in 3.dub 9. Chriſtus ſiquidem Dominus, & vt Deus, & vt homo cum humanitate in perſona diuina ſubſiſtente adorandus eſt adoratione latriæ. *Carnem nudam* inquit Io. Damaſc. l. 3. c. 8. & l. 4. c. 3. *non adoramus, ſed carnem Dei*. In hoc ſenſu loquuntur S. Athanaſ. or. 5. contra Arrianos S. Leo ſ. 1. de Aſcenſione S. Io. Chryſ. hom. 5. ad Heb. vbi ait *admirabile eſſe carnem noſtram adorari ab Angelis*. S. Ambroſ. l. 2. de Sp. S. c. 12. & alibi S. Auguſt. ſ. 58. de verbis Dom. Idem habetur ſeptima Synodo act. 6. his verbis. *Cum adoratur Chriſtus*, inquit *non ſeparandam eſſe humanitatem a Deitate, ſed vtranque adorandam eſſe latria*.

Deuotio eximia fuit in B. Virgine, ſine accipiatur pro virtute peculiari, qua homo ſe Deo offert, ſiue pro modo quodam virtutes omnes afficiente, vnde ab Eccleſia Catholica iuſtiſſimo titulo prædicari potuit *Vas inſigne deuotionis*. *Hæc duo ſunt* inquit B. Pe. Dam. ſ. de Annunc. ad illa verba *quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi &c. quæ virginalem ſubſtantiam totam circumdedere virtute, continentia ſcilicet, & deuotio, quorum alterum carnem, alterum mentem, ita poſſedit, vt caro mundiſſima, mens puriſſima Genitricem Domini ſingularius conſecrarent*.

Pietas a D. Auguſt. l. 83. queſt. 3. dicitur, *quæ Sanguine iunctis, patriæque officium, & diligentem cultum tribuit*. Ea quæ ad pietatis ſenſum pertinent in Deip. Virg. exhibet tota eius vita, commendantq; SS. Patres præſertim S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. & copioſiſſime Rich. a S. Laur. in ſuis lib. de Deip. Sanctiſſima.

Ipſius

Ipſius gratitudinem, quæ eſt iuſtitiæ pars poteſtatiua lib. 4. idem auctor ſic celebrat. Ad ſingula Dei beneficia ſingulas reddebat gratiarum actiones dicens. *Fecit mihi magna qui potens eſt &c.* Propter hoc ſubiungit in libro de Infantia eius. *dicitur, quod ſine intermiſſione benedicebat Deum, & ne forte vel in ſalutatione ſua a Dei laudibus tolleretur, ſi quis eam prius ſalutaret, illa pro ſalutatione Deo gratias reſpondebat. Legerat ſiquidem Pſalmiſtam dicentem cantabo Domino, ideſt laudabo Dominum, qui, ideſt quia bona tribuit mihi Pſ.* 12. Item de iuſto dicitur Domino. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. Pſ. 48. Ipſi enim maximè conueniebat dicere inceſſanter illud Apoſ. 1. cor. 9. *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono eius*. Hæc ipſe. Illud ſuauiſſimum, & magnificentiſſimum Marianum canticum *Magnificat* gratitudinis admirandæ nobiliſſimus partus fuit. SS. Patres, aliique interpretes in eius cōmentatione toti in gratitudinis Marianæ laudibus ſunt.

Obſeruantiam non defuiſſe B. Virgini, quæ erat collegium Sanctitatis certum eſt. Hæc ab Auguſt. l. 83. queſt. 31. definitur *virtus, per quam homines cultu quodam, & honore dignamur*. De Deipara Sanctiſſima hæc habet Niceph. l. 1 hiſt. Eccleſ. c. 23 *Erat honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens*. Sed præcipuè obſeruantiæ obſeruantiſſima fuit pueritiæ tempore, vt par eſt credere in Sacro Templi Parthenone degens.

Obedientiam perfectiſſimam ſemper exhibuit. *Non concupiſentia carnis* (celeb e dictum S. Auguſt. eſt ad illa verba *ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*) *ſed obe-*

dientia

dientia mentis concepit. Quid de obedientia Dei Matris dicemus,quando per obedientiam meruit, vt eſſet Mater Dei? Hanc præcipuè exercuit in ſua puriſſima purificatione, vt ibi ſuo loco dicemus. Hæc obedientia Mariana in ſerm. Angel. S. Birgittæ c. 5. magnificè celebratur. *Iſta ſunt murenulæ aureæ vermiculatæ argento* cant. 1. ex D. Gregor. l. vlt. mor. c. 10.

Circa veritatem ſic exclamat S. Bonau. in ſpec. c. 12. *eia quam veraciſſima, quam ſinceriſſima ſemper fuerunt Mariæ labia,& ideò verè eam benedixit Deus in æternum*. In hoc ſenſu explicat illud cant. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua & eloquium tuum dulce* Rupertus Abb. his verbis. *Nimirum in eo quod ſermo tuus à veritate non diſcordat*.

Affabilitas B.V. apud Niceph. l. 1. hiſt. eccleſ. c. 23. his verbis celebratur. *Erat in rebus omnibus honeſta,& grauis, pauca admodum, & neceſſaria loquens,ad audiendum facilis, & per quam amabilis*. Hæc virtus commendatur elegantiſſimis elogijs a B. Laur. Iuſtin. ſ. de natiu. B. V. S. Ambroſ. l. 2. de virgin. Rupert. Abb. l. 4. in cant. & alijs. Eccleſiam Dei Matrem poſt aſcenſionem Filij miris modis iuuiſſe aſſerit S. Birgitta ex reuelatione ſibi facta in ſerm. Angel. c. 19.

De eminentiſſima ſua liberalitate ſic ipſa B. V. S. Birgittæ reuelauit l. 7. reuel. c. 25. *De diuitijs vero ego, & Ioſeph nihil reſeruauimus nobis,niſi neceſſaria vitæ ad honorem Dei,reliqua dimiſimus propter amorem Dei*. Illa mulier fortis fuit, de qua legimus prouerb. 31. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad paupe-*

pauperem, & tamen quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, vnde nihil liberalitas de ſumma paupertate, nihil paupertas de ſumma liberalitate detraxit. Hanc virtutem in B. V. in oblatione Filij in Templo expendit egregiè, laudatque Caniſ. l. 4. de Deip. c. 11.

De oratione, & pænitentia virtutibus ad iuſtitiam pertinentibus alibi dicemus.

Fortitudinis.
XVIII.

SVmma in B. Virgine fortitudo fuit, quoad omnes ſuas partes, de quibus Ariſtoteles agit 3 ethic. c. 6. & 7. ac D. Th. 2. 2. q. 123. Hæc eſt *mulier fortis*, cuius pretium longè de vltimis finibus prædicatur. *Quam verò aliam requirebat* inquit S. Bern. ſ. 2. ſuper miſſus eſt, *Salomon, cum dicebat mulierem fortem quis inueniet? Ad omnia* ait S. Bernardinus Sen. t. 2. ſ. 51. a. 1. c. 3. *laborioſa pro Deo perferenda ſe impendit, & ſuper impendit.* Rabanus apud S. Th. in cat. ad c. 2. Matth. miratur fortitudinem B. Virginis, cum Infantem Diuinum Herode adhuc debacchante, & furente detulit ad Templum, & publicè Deo ſtitit inter bracchia Simeonis oraculis illuſtratum, & celebratũ. Admirabilem fortitudinem MARIÆ, cum eam gladius doloris perfodit in morte Filij, SS. Patres copioſiſſimè prædicant S. Anſelmus ad c. 10. Lucæ S. Bonau. in 1. diſt. 48. q. 2. Hugo Card. in 6. cantic. Guarr. Abb. ſ. 2. de Aſſumpt. Rupert. in illa verba cant. 1. faſciculus myrrhæ &c. Io. Gerſon tract. 9. in magnif. & alij; vt ſuo loco dicemus. *Sed nec*

minor

minor inquit S. Ambroſ. in epiſ. ad Eccl. Vercell. *Maria, quam matrem Chriſti decebat.* Breue hoc eſt, ſed pleniſſimum elogium de Marianæ fortitudinis excellentia. Adnecto B. Pe. Damian. vniuerſam B. V. fortitudinem his egregijs verbis commendantem, ſer. 40. *cum de virgula fumi ex aromatibus myrrhæ &c. compacta ageret. Species quidem integræ odorem reddunt, ſed non tantum, quantum confracta. Crebris enim tanſionibus ſupertritæ in remotiorem etiam locum odorifera conſperſione refunduntur. Sic & virtutes in pace quidem fortiter redolent, ſed fortius in tribulatione, quia virtus in pace aquiritur, in perſequutione probatur, approbatur in victoria. Vniuerſus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt, quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit, & ſi cæteris per partes ſpiritus affluit, Maria tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit.*

Ac temperantia.

XIX.

TEmperantia in ampla ſignificatione ex D. Th. 2. 2. q. 141. a. 2. *eſt, quæ retrahit affectum ab ijs, quæ ipſum contra rationis vſum illectant*; in ſtrictiori ex Ariſtotele *eſt mediocritas circa tactus, guſtusque voluptates, & circa dolores.* In omni temperantiæ laude ita floruit B. Virgo, vt omnium ſæculorum prodigium eſſe meruerit. De Temperantia circa eſculenta, & poculenta magnificè loquitur S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. Arnold. Carnot. de laud. Virg. & alij. *Nunquam* ait S. Bonau. in ſpec. c. 4. *Maria Deum in vtero concepiſſet, ſi idem vterus contra Deum crapuloſus fuiſſet.*

De

De Temperantia circa res venereas iam diximus, cum de Virginitate puriſſima. Omnia complexus eſt S. Anſelm. cum dixit, 18. de conc. Virginali. *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.*

Addidit verecundiam ſemper virginitatis comitem, & cuſtodem, & purpuram nobiliſſimam, in qua omnes virtutes regnant. Hanc in B. V. egregiè commendat Rup. Abb. l. 1. in cant. ad illud *ſicut fragmen mali punici gena tua*, & ad aliud *Gena tua ſicut turturis*. Obſeruat S. Bern. ſ. de verbis Apocal. quater tantum in toto euangelio exhiberi loquentem B. Virginem, Angelo Dei legato reſpondentem, ſalutantem Elizabeth, inuenientem in Templo IESVM duodennem amiſſum, & exorantem primum miraculum in nuptijs Canæ. Præſtat de B. Virgine efferre illud S. Laurentij Littæ Archiepiſcopi Mediolanenſis elogium, de quo ſic ait Ennodius in dictione ad Honoratum Nouarienſem. *Vernat* ait *in eo boni operis princeps, & honeſtatis mater verecundia.* Mira habet circa hoc Virginis decus Galat. l. 7. de arcan. c. 5. ad illa verba Iſai. c. 61. *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me*, & ante ipſum Io. Damaſc. or. 1. de nat. Virg.

Omnium virtutum florem modeſtiam, quæ in B. Virg. ſemper vernauit ſuis coloribus florulentè, ſed modeſtè deſcripſit S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. Guarricus etiam Abb. ſ. de Natiu. B. V. ad illa verba Eccleſ. 24. *flores mei fructus honoris & honeſtatis* poſt exhibitum multiformem florem Virginitatis dicit, quod *tota vernabat quadam florulentia, & venuſtate pudoris.*

Iure itaque illi dicitur ab Hugone Victor. ſ 9. de inſtit. monaſtica: *Tota pulchra es, pulchra es intus, pulchra foris, intus in corde, foris in corpore, intus rubicunda, foris candida, vtrobique compoſita.* Sed totam harmoniam Marianæ modeſtiæ his verbis ſuauiſſimis exprimit auctor anonimus allegatus a Rich. de S. Laur. l. 5. tit. de corpor. pulchritud. Deip. *Ad membrorum* ait *B. Virginis excellentiam ſingularem laudes humanas addere neceſſe non eſt, cum ex vita illius Sanctiſſima, totius virtutis forma reſplendeat. Eius quippe in terris conuerſatio, & omnibus Sanctis, imitanda proponitur, & etiam Angelis admiranda efficitur, quæ ſiquidem non ſolum delectabat, ſed & diuinos prouocabat aſpectus. Quid enim aliud membra illius erant, niſi quædam ſpirituales linguæ, quas Spiritus Sanctus ſui plectro temperans modulaminis, ſuæ digitis præſentiæ mouebat in harmoniam Angelicæ ſimilitudinis. Idem namque Spiritus, qui eius animam ſui feruore caloris accenderat, membrorum quoque officia in eandem habitudinem ſuſpendebat.*

Manſuetudo, quę vt explicat gloſſa ad illud Matth. 5. Beati mites, *eſt dulcedo animi, quam non vincit amaritudo* in B. Virgine cum alijs virtutibus locum habet. MARIA inquit B. Bonau. in ſpec. c. 4. fuit manſuetiſſima per lenitatem, vnde iure ab Eccleſia Sancta prædicatur.

Virgo ſingularis
Inter omnes mitis.

Huc reſpicit illud Encomium 3. cant. *mel & lac ſub lingua eius. Mos ſuus erat modica loquela, expedita obedientia, munda proximationis*

tionis ait Anſel. poſt l. 2. de imag. mundi, *ſine audacia, ſine riſu, ſine perturbatione, ſine ira, benignè ſalutans. Eloquentiam eius homines mirabantur &c.* Duo nobiliſſima elogia Marianæ manſuetudinis extant apud Amed. Lauſan. hom. 3. de laud. B. V. & apud Guillelmum relatum à Delrio in c. 2. cant. ſ. 3. Sed eam mellifluè exprimit S. Bern. ſ. 1. in ſig. mag. his verbis: *Nihil auſterum in ea, nihil terribile. Reuolue diligentius euangelicæ hiſtoriæ ſeriem vniuerſam, & ſi quid durũ, ſi quod denique ſignum vel tenue indignationis occurrerit in Maria de cætero ſuſpectam habeas.*

Si clementia diſtinguitur a manſuetudine, vt docet S. Th. 2. 2. q. 157. a. 2. quatenus illa eſt moderatiua externæ punitionis, & hæc internæ paſſionis, certum eſt in B. Virgine ſummam fuiſſe. Hugo Card. in Eccleſ. c. 24. explicans illud *in plenitudine Sanctorum detentio mea* in perſona Deip. Sanctiſſimæ hæc habet. *Ego detineo Sanctos in plenitudine ſua, ne minuant, & detineo Chriſtum, ne eis peccantibus iraſcatur. Propitiatorium* apellatur a Method. or. de hypap. *ex quo Deus hominibus humana forma innotuit, & propitiatorium Mundi* decantatur in hym. Græc. apud Buteon. p. 128.

Magnanimitatem, quæ ex Ariſtotele l. 4. ethic. c. 4. *ornamentum, quoddam virtutum eſt,* & ex D. Th. ibidem *ad rationem Magni in cuiuslibet virtutis opere tendit*, nemo a Matre Dei ableget, in qua *fecit magna, qui potens eſt.* Hanc illuſtri elogio prædicat Io. Gerſon in cant. Magnif. tract. 4 *Nunquid* ait *parum tibi videtur, magnificata Mariæ anima, quæ operationi ſupra modum magnificæ fuit auſa præbere conſen-*

conſenſum, dicens ad Angelum. Fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Quid eſt hoc niſi fiam Mater Filij, cuius Pater eſt Deus? Quid excelſius, quid ſublimius poteſt cogitari?

Vltimum locum inter virtutes humilitati damus, quæ tamen in ſtructura perfectionis primum tenet, & in Altiſſimi Matre ſublimis, ac ſumma fuit. Elogia Marianæ humilitatis paſſim apud Patres leguntur, præcipuè S. Bernard. ſ. in ſignum magnum S. Auguſt. ſ. 63. de diuerſis c. 11. Auctorem comment. in Apoc. c. 6. qui tribuitur S. Ambroſio, Origenem hom. 8. in Lucam ad illa cantici Deiparæ verba *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* Rupert. Abb. l. 1. in cant. tractantem illud. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis* D. Bonau. in ſpec. c. 13. Ricch. Victor. in cant. c. 26. Io. Gerſonem ſ. de humilitat. in cæna Dom. Franconem Abb. t. 7. de gratia Dei, qui refertur in biblioth. PP. tom. 12. fol. 461. B. Laur. Iuſtin. ſ. in Annunc. B. V. S. Vincent. Ferrer. ſ. de Purific. & alios innumeros. Addit S Hildeph. B. Virginem non in aliqu bus tantum, ſed in cunctis ſe humiliaſſe his verbis ſ. 2. de Aſſ. *Iam ergo B. V. humiliat ſe in cunctis, vt totam ſuſcipiat in ſe gratiam conditoris, quia quod per partes alijs datum eſt tota in eam venit ſimul gratiæ plenitudo.* Addit S. Bern. loco iam alleg. non ſolum in omnibus, ſed præ omnibus magnam Dei Matrem humilem fuiſſe. *Cum Maria* inquit *quantò maior erat humiliaret ſe in omnibus, certè humiliata eſt præ omnibus, quia maior omnibus extitit, quapropter meritò facta eſt nouiſſima prima, quæ cum prima eſſet omnium ſe nouiſſi-*

mam

mam efficiebat &c. Conſonat melliſluo Doctori ſeraphicus loco relato S. Auguſt. referens his verbis. *Omnis vallis exaltabitur. Quantò magis vallis fuit Maria, quæ tanta humilitate fuit profunda. Quid mirum ſi ipſa fuit Vallis Vallium, quæ fuit humillima humilium? O quantis hæc Vallis benedicta benedictionibus eſt exaltata pro humilitate ſua tam profunda, tam vili, tam grata!* Vnde B. Auguſtinus ait. *O verè beata humilitas Mariæ, quæ Dominum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, Mundum purificauit, Paradiſum aperuit, & hominnm animas ab inferno liberauit! Vallis quantò humilior, tantò receptibilior aquarum, ſic & Maria gratiarum.* Addendum eſt eam fuiſſe Deiparæ Sanctiſſimæ humilitatem, vt non modo non periclitaretur, ſed perficeretur, & incrementa maxima ſuſciperet in encomijs ſingularibus, in virtutum ſublimium apice, in celſiſſima Matris Dei dignitate, in humanæ gloriæ, & felicitatis faſtigio. Hoc exprimit ſupra relatus S. Bern. cit. ſer. nobiliſſimo elogio ad illa verba cantic. 1. *dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum*, alludens. *Nam quid eſt aliud inquit nardus mea dedit odorem ſuum, quam placuit mea humilitas? Humilior* ait S. Ambroſius l. 2. de Virgin. *facta eſt, vbi ſe a Deo cognouit electam.* Sed de altiſſima B. V. humilitate in conceptione diuini verbi, in viſitatione Cognatæ, in partu virgineo, in purgatione legali, in paſſione filij multa dicenda ſunt.

Aliæ omnes virtutes, quæ hic deſcriptæ non ſunt, non tamen deſiderari in B. Virgine poſſunt. Non excludit ſtudioſitatem a Maria

Nouatus t. 2.c.5.q. 29. ratione ſcientiæ aquiſitæ. Illam certè ſic exprimit egregiè Rup. Abb.in cant.c.7. *Hinc venter tuus ſicut aceruus tritici, quod videlicet triticum prudenter congregaſti meditando in ſcripturis, ſicut dictum eſt quodam in loco. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Ego nec ipſam Eutrapeliam excluderem. Verum quidem eſt illud Ambroſ. elogium loco iam rel. quod in B. V. *nihil erat toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt ipſa corporis ſpecies, ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Sed verum eſt etiam illud Bern. ſ. in ſig.mag. *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt omnibus offerens linum, & lanam.* Concludamus itaque illuſtri teſtimonio Fulberti ſ. 1. de natiu. B. V vbi ſic ait *confidenter aſſerimus quod nullo genere virtutum vacabat, cui plenitudinem ineſſe gratiæ Dei nuncius aſſerebat.*

Vnde in Sacro Templo Templum Dei animatum, ſpiransquè Sanctuarium euaſit.

XX.

A*Dducitur* ait Io.Damaſc. l. 4. de fid.c.15. *Deipara in Templum, atque in Domo Dei plantata, atque per Spiritum ſaginata inſtar oliuæ frugiferæ v rtutum omnium domicilium efficitur,* & veluti alterum Templum, ac Sanctuarium Diuinitatis ſacratius illo, quod colebat, vt non mirum ſit apellari magnam Deiparam ab eodem Io. Damaſc. or. de natiu. *Templum Dei Sanctum, quod ille pacis Princeps Salomon ſpiritualiter*

tualiter conſtruxit, & habitauit, non auro, & inanibus lapidibus ornatum, verum auri loco Spiritu fulgens, pro lapidibus autem pretioſis margaritam ingentis pretij Chriſtum habens. Conſonant huic, glorioſi tituli, quibus dicta eſt *Templum magnificum diuinæ gloriæ* a Rich. a S. Laur. l. 10. *Templum Sanctum, receptaculum diuinitatis, organum virginale, Regius Thalamus* a Sergio Hierapol. or. de Nat. B. V. *Templum ſingulariter vnicum factoris ſui* a S. Hildeph. l. de Virg. S. Mar. c. 10. *Templum cælo maius* ab Heſichio or. 2. de Deip. *Templum pudoris, honeſtatis, puritatis* a S. Ambroſ. l. de inſ. Virg. c. 5. *Templum Dei animatum* a Gregor. Neocæſarienſi or. 3. de Annunc. *Templum magnum Deitatis* à S. Pe. Chryſol. ſ. 144. *Templum inaceſſum* a Io. Geometra ad c. 1. Luc. *Templum diuinæ gloriæ ornatiſſimum* ab And. Hieroſolym. in ſalut. Angel. *Templum miſericordiæ Dei* a S. Auguſt. ſ. 2. de Aſſump. Imo ſanctiori apellatione dicta eſt B. Virgo *Sacrarium plenitudinis totius diuinitatis* a B. Pe. Dam. ſ. 3. de Nat. B. V. *Sacrarium Spiritus Sancti* a Ghilſeberto in alterc. c. 7. & Venerab. Beda ſ. de omn. Sanctis, a S. Cypriano de natiu. Chriſti, & a S. Anſel. alloq. cæl. 22. *Sacrarium omnium virtutum.*

VIRGI-

VIRGINEVM
Cum Ioſepho iuſto Coniugium!
HYMENEVS.
ELOG. X.

Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam Viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid. Lucæ 1.

Et gaudebit Sponſus ſuper Sponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. Iſa. 62.

Amor virgo in MARIÆ, & IOSEPHI nuptijs
e cælo Hymeneum age.
Virgineis nuptijs
nullum aliud numen præeſſe poteſt.
Aduocandus Hymen,
quem Vrania cæleſtis peperit,
non maritima Venus.
Sæpius hic inter procellas natus
etiam in portu naufragia parit.
Sæpius impurus tædifer, cum magis ſplendet
tergeminæ Eumenidi quartam addit.
Facile eſt thalamum in tumulum ſtrui,
tædam in tædium verti,
flammeum in flammam accendi.
Non alio modo iungi debuere
Virgines Nazareni,
quam quo flores inuicem maritantur:
non nubunt verecundæ roſæ candidis lilijs;
niſi vt coronam intexant.
etiam MARIÆ & IOSEPHI coniugium
duorum ſiderum in Abrahamico cælo
cæleſtem dixiſſes coniunctionem,
cum Solis geminatis ſplendoribus exercetur.

Vtrique Ioſepho Virginitas profuit;
Sed magis coniugata ſecundo,
quam innupta primo.
Innupta principatum dedit:
coniugata geminanit.
Ille Regis,
hic Regis Regum theſauris præfectus:
ille Aulæ Pharaonis,
hic domui Dei Præpoſitus fuit.
Maiorem felicitatem habet Hic vigil,
quam ille ſomniauerat.
Ille in Zodiaco fratrum ſtellantium Sol fuerat;
Hic Sole diurno illuſtrior
Verus Phoſphorus eſt Dei orientis.
Nec miraculis caret coniugium,
quod cum integram Virginitatem ſeruet
totum miraculum eſt.
Aduocantur ad Templum
e Regio genere Proci:
non alium thalamum Virginitas nouit;
Electus ex millibus eſſe debuit
Sponſæ dilectus.
Expoſcitur ad maximæ dignitatis electionem
a Summo Sacerdote vnius Dei ſuffragium.
expectate prodigium:
Vel oraculis Deus cum Maieſtate loquitur;
vel miraculis.
Initiari debuit muta prodigij eloquentia
magnus VERBI Infantis Pater.
Inſito plurium manibus virgarum ſeminario
in vnius IOSEPHI manu virga floret.
Sed maius miraculum fuit
Virgo manus, quam virga.
Et maius adhuc
Sponſa virgo, quam ſponſi virga.
Agnoſco

Agnoſco huius magni conſilij Religionem:
eodem florentis virgæ prodigio
ad connubium IOSEPHVS,
Aaron ad Sacerdotium initiatur.
Initis ſacerdotali auſpicio in Templo nuptijs
tota coniugalis vita ſacrificium erit.
Quod aliud ſceptrum deceat
Regis Nazareni Patrem,
quam virga florens?
Creſcet hæc Patris virga in arborem filio;
& excuſſis floribus arida, crucem dabit.
Prius tamen prodigioſa fæcunditate
ſylueſcens
IOSEPHO MARIAM Paradiſum deliciarum
germinabit.
Nec nouus tantum Aaron, ſed Moyſes.
virgæ florentis, non flagellatricis poſſeſſione
Pater Dei, non Deus Pharaonis,
in orbe terrarum IOSEPHVS inſtituitur.
IOSEPHVM ex MARIÆ magnitudine metire:
Huius coniugij paritas expenſa pondere
ſanctuarij fuit.
Primus hominum Virginitatis Sponſor
ſponſus Virginitati nubenti primus debebatur.
Nec in vtroque tantum fuit idem
ſanctitatis genus,
ſed eadem ſanctitas generis.
Ex geminato quippe Regio genere
erat Rex Regum naſciturus.
Incongruum erat vnicum VERBVM
in duplici Stemmate ſcribi,
& ſingulariſſimæ Deum vnitatis
naſcentem in Parentibus diuidi.
Eadem arbor, familiæ bifida
in tradux generoſos

 vberio-

vberiorem fructuum promittit autumnum?
Indicant cælum magis fauorabile
coniuncti ſplendores beneficorum luminum.
Eiuſdem generis eſſe etiam ſcias
MARIÆ dotem, & IOSEPHI patrimonium.
Ea eligi debuit in vtroque parente familia,
in qua omnis ſanctitas familiaris eſſet,
& ſuccenturiatæ virtutes omnes
domeſtico numerarentur in cenſu.
Ita IOSEPHVS Filius accreſcens
totum ſuum nomen impleuit,
non magnum tantum inter homines
incrementum,
ſed fere ſupra Deum homo
cum vir MARIÆ,
de qua natus eſt IESVS.

Hoc exemplo magnificè fidelibus inſinuatur coniugibus etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocarique coniugium, non permixto Corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. S. Auguſt. l. 2. de conſ. Euang. c. 1.

Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe; ego plus mihi vendico etiam ipſum Ioſeph Virginem fuiſſe per Mariam, vt ex virginali coniugio Virgo Filius naſceretur. S. Hieronym. ad Heluid. prope finem.

De Virgineo coniugio.
CAP. X.

EOdem anno IOACHIMVS & ANNA communibus fatis, e viuis ſublati in ſinum Abrahę tranſcribuntur nunquam amplius morituri. MARIA e venerandis

dis Sacri Gynecæi penetralibus educitur ad virgineas nuptias. Sanctiſſimi Parentes viſi ſunt Filiam in Templo fœnerari, dum illi oblata humana ſoboles, quaſi diuinum quid hauſiſſet, & dignum loco, quem coluerat non prodijt, niſi deſponſata Dei Mater, cum admirabili incremento adorandæ dignitatis. Hoc etiam titulo nemo in poſterum neget omnem humanum contractum cum Deo, etiam liberalem donationem lucrum eſſe grandium, ſed innocentium vſurarum. Euaſerat magna Virgo in ſacris adytis ab anni quarti initijs vſque ad decimum quartum inchoatum educata, Numen quodamodo ſanctitatis, quod aris quibus oblata fuerat, fere merebatur imponi. Fuit hic ab orbe nato 4051. ante IESVM naſciturum 2. qui ſimil IO. BAPTISTÆ conceptum 8. Kal. Octob., & Virgineum inter MARIAM, IOSEPHVMQVE coniugium 7. Kal. Decembris cælo, terraq; plaudente auſpicatiſſimum celebrauit, ſuis ſplendoribus phoſphoro auroram, & aurora ſolem præeunte. Iure in anteceſſum non ſolum declamationibus ſuis VOX VERBI, clamans in Eremo nuptias Agni, ſponſæque non habentis maculam, neque rugam, nimirum Sacramentum magnum in Chriſto, & Eccleſia, non ſolum ortu ſuo hypoſtaticum naturæ diuinæ, humanæque non in carne vna, ſed in vna Perſona coniugium, verum etiam ſuo conceptu virgineas MARIÆ, IOSEPHI QVE nuptias, Paranymphus Virgo nunciauit. Nec potuit prodigioſa felicitate carere coniugium, quod IOANNES nomine ipſo gratiam ſonans, ex ſterilibus Parentibus non ſine prodigio conceptus, indixit.

Maiora tamen fuerunt a Virginis Nymphæ diuino partu, quam fuerant a conceptu Virginis Paranymphi felicitatis auſpicia. Accurrunt ad Hieroſolymitanum Templum e Regio Dauidicæ familiæ genere iuxta legis diuinæ præſcripta nobiles Proci, quos & formæ ſplendor, & fama ſanctitatis, & pronuba ſummæ felicitatis ſpes exciuerat ad comitia veluti nuptialia. Erat ſiquidem magna Virgo non gratiæ tantum, ſed naturæ bonis omnibus dotata, grandiſque anima etiam ante Dei conceptum, radios quoſdam diuinæ pulchritudinis ſpirabat e corpore, quos mente conceperat. Statura erat procera, & Heroica, ex Sponſi Sancti Spiritus veriſſima laude palmæ ſublimi ſimillima, qualis Empyream Amazonem, palmarem inferni Draconis triumphatricem, decebat. Seſſitabant in eius labijs charites non humanæ, ſed diuinæ; quibus in vicinia Sanctuarij educata Virgo Dei more pauca loquebatur, ſed grandia, editura tandem vnicum VERBVM, in quo effuſiſſima facundia omnia erat loquutura. Inceſſum ſine faſtu grauem, ſine mollicie decorum dixiſſes ad ſtellarum harmoniam compoſitum. Pudica frons molliter aſſurgebat, regnabatque in ea veluti in ſolio modeſtiæ ſplendens ſemper inſudo ſerenitas. Oculi non niſi diuini amoris facibus illuſtres, innocenti fulgore venerationem extorquebant, conferebant ſanctitatem. Eam denique maieſtatem formæ vultu præferebat, qualem ad ideam diuinæ artis fingere poſſumus cogitatione maximam, ita oculos intuentium luce ſua perſtringens, vt eorumdem animos ſtupentes, venerabundoſque

ſuſpen-

ſuſpenderet. Certè rerum omnium molitor Deus ſe ipſo ad conformandam hanc Virginem vtens exemplari ita diligenti pollice in opus incubuit, tantoq; illibatum corporis, animique decorem coronauit gloriæ faſtigio, vt nihil vnquam ex eius archetypis manibus prodierit, aut ſuauitate dulcius, aut nouitate admirabilius, aut ſplendore magnificentius. Exciuit tamen potiſſimum IOSEPHVM, rapuitque in ſpem fortunatiſſimi coniugij Dei oraculum monentis (quod etiam prius MARIÆ aperuerat) ne ab eo coniugio virginitati ſuæ, quam primus mortalium voti Sacramento Deo æternùm dicauerat, vllam labem formidaret, a quo acceptura eſſet incrementum non ſublata, ſed coniugata, atque adeò geminata luce candoris. Accedit oraculo miraculum, & Sanctiſſimus Sponſus, ne quid nuptiarum religioni deeſſet a Summo Sacerdote in Templo Hieroſolymitano diuino ſuffragio nimirum florentis Virgæ prodigio loquente, totque ora, quot flores aperiente, ad tantam dignitatem eligitur. Non alijs, quam hiſce floridis auſpicijs nubere debuerunt IOSEPHVS, & MARIA Virgines Nazareni, nimirum virginum flores, nihil aliud præter florem virginitatis in connubio iungentes. Erumpunt flores, & iure, quia illis ſolis coronari meretur coniugata virginitas. Humana virginitas cum ſupra naturam ſit, eius leges nec ſeruat. In corde hyemis intempeſtinis floribus ver aperit; ſed maiori prodigio in vere florum producet maturum gratiæ autumnum. Non florere non potuit arida virga, vbi auras genitales ſenſit Paradiſi deliciarum. Non alio

pronubo miraculo deſponſari debuit Ieſſæa virga, flori para Virgo, quæ florem campi germinauit. In IOSEPHI manu virga florens virgineæ terræ virtutem probauit, fructuſque ſpem attulit longè admirabilioris. Iure etiam IOSEPHVS futurus Agni dominatoris terræ, paſtor, virga donatur. Debuit tamen illa florere, quia Agnus ex horto concluſo prodiens non paſcitur, niſi inter lilia. Primæ hæ MARIÆ cum IOSEPHO virgineæ nuptiæ ad auguſtiores humano-diuinas proluſerunt, quas Spiritus Sanctus cum Nazarena Virgine celebrabit. Nobilem Florem ſpectatis; ſed fructum nobiliorem habebitis. Vtcunque prælatus fuerit aliquis Ioſepho iuſto in duodecim-viratu Apoſtolici ordinis: in Summi Patriarchatus monarchia nemo noſtro IOSEPHO iuſto præfertur. Ita florenti in æuum miraculo, nuptię per IESVM futurę Sacramenta in MARIA, & IOSEPHO conſecrantur, & Filij gratiam à Matre auſpicantur. Affuit ſtatim e cælo ſacer Hymeneus, non prophana Liberi, & Veneris ſoboles, ſed ille dexter Ales, qui deinde conceptũ diuini verbi celeberrima legatione nunciaturus erat, vt MARIAM inſtituturus Dei Matrem prius eidem Sponſæ ſeruiret. Attulit tædam, ſed ex Empyreo ſplendidam ſine fumo, vnde illuſtrari poſſet, non denigrari ne leuiter quidem tantorum Virginum candor. Flammeum dedit, ſed modeſtiæ, illuſtrans faciem, quam tegebat, ſed diuini flaminis donum, radijs puræ lucis, alijſque pretioſioribus cæli donis, charitum cæleſtium manu, & amoris arte contextum. Iniecit vincula, ſed aurea, quæ ſolas animas ligant, libertatem non tol-
lunt,

Iunt, cui pretium addunt, vinciunt, non vincunt. Auxit, amplificauitque fortunatiſſimi connubij felicitatem non generis tantum in vtroque Coniuge paritas, ſed morum, ad diuinæ ferè dixerim lancem librata iuſtitiæ. Virgo Virgini, vir viragini, Iuſtus Sanctiſſimæ nubit. Coniugata virginitas in vtroque Coniuge geminatur. Nunc primùm epithalamium nuptiarum, eſt etiam elogium virginitatis. Nemo potiori iure candidatus ad virgineas nuptias acceſſit, quam iuſtus, qui totus candor: nemo magis dignus deuotæ iam Deo magnæ Virginis coniugio, quam qui per votum virginitatis omne coniugium reſpuebat. Omnis ſanctitatis, virtutumque aurea, & gemmea ſupellex, omne cæleſtium bonorum pretium dos MARIÆ, IOSEPHI patrimonium erat. In Angelis vix reprobaſſet cælum tam purum coniugium, quod nihil præter caſti amoris vota copularet. Non ferreo iugo Coniuges Virgines damnauit cæleſte coniugium, ſed nodis illigauit, æternitate amoris, & candoris luce prorſus adamantinis. Huius coniugij beneficio potuit ſecundus IOSEPHVS primo felicior caſtè nouam philoſophiam virginitatis coniugatæ etiam, cum pallio docere. Et quidem magnum diuinæ ſapientiæ cõſilium fuit virgineis nuptijs MARIAM IOSEPHO iungere, vt cuſtos pudoris non minus, quam teſtis obſignaret annulo nuptiali æternam fidem, nec tantum pudoris integritatem ſeruaret, ſed famæ, quæ etiam ipſa ſacra eſt, & eadem religione tractanda. Pharetrata ſunt arcuata lingua hominum ora: in volucri verbo ſæpius mortem alitem vibrant. In-

nuptæ virginitatis candor ſæpius ALBVM eſt, in quod non magis collimant amoris ſagittarij tela, quam inuidiæ iaculatricis. Fulmina hæc inuidia, ne dum tela nocentiſſima habet ictu triſulco multifida, igne torrentia, ſulphurata veneno. Maluit itaque Deus aliquos de Filij diuinitate, quam de Matris virginitate, dubitare; neque enim putauit Filij fidem eſſe per Matris iniurias adſtruendam. Sed nihil magis huius virginei coniugij felicitatem commendat, quam proles naſcitura, & inde MARIAM IESV Matrem eſſe, IOSEPHVM Patrem dici. A Filio diuina nobilitas in Parentes retrograda aſcendit, coronatis Regibus, infulatis Pontificibus, clamydatis Heroibus, & omni alia Maiorum granditate in ipſa fabrili officina maiores. Immenſam illam dignitatem quis neget, quæ ſoli Deo eſt, IOSEPHO, & MARIÆ communis?

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Virgineo coniugio.

SYNOPSIS.

1 EDucta e Sacro Gyneceo MARIA IOSEPHO deſponſatur pro nubo S. Spiritus impulſu, & monitu. 2. Sacerdotum conſilio. 3. Et florentis virgæ miraculo. 4. Interceſſiſſe inter B. V., & S. IOSEPHVM verum matrimonium ſtatuitur. 5. Cur interceſſerit? 6. Quomodo Virginitas Mariana Deo deuota cum vero matrimonio conſentiat? 7. Vtriuſque Coniugis ætas. 8. IOSEPHI Sponſi patria, genus, & ars. 9. Eiuſdem virginitas voto Deo conſecrata. 10. Sanctitas, & excellentia ex coniugio MARIAE de qua natus eſt IESVS 11. An aliquando in via viſionem beatam habuerit? 12. An martyris Aureola in cælo radiet, an Doctoris? 13. An etiam corpore fuerit in cælum tranſcriptus? 14. An primatum inter Sanctos poſt B. V. in gratia, & gloria obtineat?

Educta e Sacro Gyneceo Maria Ioſepho deſponſatur pronubo Sancti Spiritus impulſu, & monitu.

I.

INitum fuiſſe inter MARIAM, & IOSEPHVM matrimonium ex peculiari monitu, & impulſu SanctiSpiritus affirmant D.Thom. Hugo de Sancto Victore & alij, imo addit Suarez t. 2. in 3. p. d. 7. ſ. 1. hanc fuiſſe antiquorum Patrum ſententiam. Legendus eſt etiam Morales in cap. 1. Matth. l. 2. tract. 2.

Sacerdotum conſilio.

II.

CVM non amplius in Sacro Templi Hieroſolymitani Parthenone liceret immo-

rari Virgines nubiles vt Greg. Nyſſenus ratiocinatur or. de Nativ. Dom. ex Sacerdotum conſilio, ac deliberatione B. Virgo contribuli ſuo Sanctiſſimo IOSEPHO deſponſata eſt. In hanc ſententiam alios adducit Caniſius l. 1. de Deip c. 11. Hiſtoriam narrat Niceph. l. 2. c. 7. quem plerique alij hiſtorici Eccleſiaſtici ſequuti ſunt. Io. Damaſc. or. 1. de dormit. Virg. breuiter, & clarè illam ſic deſcribit. *Cum Virgo ad ætatis florem iam perueniſſet, atque intra Templi ſepta manere lege prohiberetur, Sponſo hoc eſt virginitatis cuſtodi Ioſepho a Sacerdotum Choro traditur &c.* Similia habet S. Germ. Patri. Conſtantin. de oblatione Virginis in Templo. Non defuere, qui dixerunt vt Hugo Victor. l. de perpetua virgin. S. Mar. c. 1. & poſt ipſum Franciſcus Lucas Matth. 1. eductam fuiſſe a Sacerdotibus e Sacro Gynecæo Nazarenam Virginem MARIAM, & cognatis traditam (parentes enim ex communi ſententia Patrum, ac Doctorum iam obierant) vt nuptui daretur, atque ab ijs deſponſatam IOSEPHO, ac deinde vero matrimonio rato iunctam.

Et florentis Virgæ miraculo.

III.

SOrte datum fuiſſe B. Virgini Sponſum conſulto prius diuino oraculo aſſerit Petrus Ribadeneyra in vita B. V. cum alijs. Hoc accidiſſe pronubo veluti ad deſponſationem virgæ florentis prodigio fert communis traditio antiquiſſimis iconibus S. IOSEPHI vbique comprobata. Imo addit S. Hieron. vel quicunque fuerit Auctor lib. de ortu Virg S. IOSEPHI, qui inter alios Procos aderat, virgæ

virgæ inſediſſe S. Spiritum in ſpecie columbæ, & hoc prodigium indicatum prius cælitus fuiſſe Summo Sacerdoti tanquam ſignum Diuinæ Electionis. Ad hoc alludunt ex aliquorum ſententia tum illud Iſ. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, tum illud cant. 2. *Iam hyems transijt, imber abijt, et receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.* Sed expreſſius S. Hieron. in epiſt. ad Marcellam ſignata in Legatione Gabrielis patria S. Ioſephi Nazareth in illis verbis Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus a Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth* myſterium notat. *Cur quæſo* hoc ait, *niſi vt indicetur florida deſponſatio Ioſephi cum Maria?*

Interceſſiſſe inter B. Virginem, & S. Ioſephum verum matrimonium ſtatuitur.

IV.

HOC verum matrimonium inter MARIAM, & IOSEPHVM indicant Sacræ litteræ Matth. 1. *cum eſſet deſponſata Mater eius Maria Ioſeph*, Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus ad Virginem deſponſatam Viro &c.* Hinc de fide eſſe hanc veritatem affirmant Suarez t. 2. in 3. p. d. 7. ſ. 2. Pet. Morales in cap. 1. Matth. & alij; licet negent Sanchez diſput. 28. de Sponſalibus, Rebellus lib. 2. de matrim. q. 13. ſ. 1. & alij, & alij ex D. Auguſt. de nuptijs contra Iulianum c. 9. vbi dixit *eſſe verum matrimonium, ſed ſalua fide contrarium teneri poſſe*. Ad minimum ergo ſententia negans virgineum inter MARIAM, IOSEPHVMQ; connubium verum matrimonium fuiſſe temeraria eſt. Non eſt ergo vllus dubitandi locus. S. Auguſt. id

probat

rari Virgines nubiles vt Greg. Nyſſenus ratiocinatur or. de Natiu. Dom. ex Sacerdotum conſilio, ac deliberatione B. Virgo contribuli ſuo Sanctiſſimo IOSEPHO deſponſata eſt. In hanc ſententiam alios adducit Caniſius l. 1. de Deip c. 11. Hiſtoriam narrat Niceph. l. 2. c. 7. quem plerique alij hiſtorici Eccleſiaſtici ſequuti ſunt. Io. Damaſc. or. 1. de dormit. Virg. breuiter, & clarè illam ſic deſcribit. *Cum Virgo ad ætatis florem iam perueniſſet, atque intra Templi ſepta manere lege prohiberetur, Sponſo hoc eſt virginitatis cuſtodi Ioſepho a Sacerdotum Choro traditur &c.* Similia habet S. Germ. Patri. Conſtantin. de oblatione Virginis in Templo. Non defuere, qui dixerunt vt Hugo Victor. l. de perpetua virgin. S. Mar. c. 1. & poſt ipſum Franciſcus Lucas Matth. 1. eductam fuiſſe a Sacerdotibus e Sacro Gynecæo Nazarenam Virginem MARIAM, & cognatis traditam (parentes enim ex communi ſententia Patrum, ac Doctorum iam obierant) vt nuptui daretur, atque ab ijs deſponſatam IOSEPHO, ac deinde vero matrimonio rato iunctam.

Et florentis Virgæ miraculo.

III.

SOrte datum fuiſſe B. Virgini Sponſum conſulto prius diuino oraculo aſſerit Petrus Ribadeneyra in vita B. V. cum alijs. Hoc accidiſſe pronubo veluti ad deſponſationem virgæ florentis prodigio fert communis traditio antiquiſſimis iconibus S. IOSEPHI vbique comprobata. Imo addit S. Hieron. vel quicunque fuerit Auctor lib. de ortu Virg S. IOSEPHI, qui inter alios Procos aderat,

virgæ

virgæ inſediſſe S. Spiritum in ſpecie columbę, & hoc prodigium indicatum prius cælitus fuiſſe Summo Sacerdoti tanquam ſignum Diuinæ Electionis. Ad hoc alludunt ex aliquorum ſententia tum illud Iſ. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, tum illud cant. 2. *Iam hyems tranſijt, imber abijt, et receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra*. Sed expreſſius S. Hieron. in epiſt. ad Marcellam ſignata in Legatione Gabrielis patria S. Ioſephi Nazareth in illis verbis Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus a Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth* myſterium notat. *Cur quaſo* hoc ait, *niſi vt indicetur florida deſponſatio Ioſephi cum Maria?*

Interceſſiſſe inter B. Virginem, & S. Ioſephum verum matrimonium ſtatuitur.

IV.

HOC verum matrimonium inter MARIAM, & IOSEPHVM indicant Sacræ litteræ Matth. 1. *cum eſſet deſponſata Mater eius Maria Ioſeph*, Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus ad Virginem deſponſatam Viro &c.* Hinc de fide eſſe hanc veritatem affirmant Suarez t. 2. in 3. p. d. 7. ſ. 2. Pet. Morales in cap. 1. Matth. & alij; licet negent Sanchez diſput. 28. de Sponſalibus, Rebellus lib. 2. de matrim. q. 13. ſ. 1. & alij, & alij ex D. Auguſt. de nuptijs contra Iulianum c. 9. vbi dixit *eſſe verum matrimonium, ſed ſalua fide contrarium teneri poſſe*. Ad minimum ergo ſententia negans virgineum inter MARIAM, IOSEPHVMQ; connubium verum matrimonium fuiſſe temeraria eſt. Non eſt ergo vllus dubitandi locus. S. Auguſt. id probat

probat l. 1. de nuptijs, & concupiſcentia fusè, & l. 2. de conſ. euangeliſt. hæc habet. *Exemplo Virginis, & Ioſephi inſinuatur fidelibus coniugatis etiam ſeruata pari conſenſu continentia poſſe permanere, vocarique coniugium, non commixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Subſcribit S. Th. 3. p. q. 1. a. 2. quem vnanimi conſenſu omnes ſcholaſtici Doctores ſequuntur, & ex concilio quoque Florentino in Decreto Eugenij ac Trident. ſeſſ. 24. probari poteſt. Pugnauit contra hanc veritatem Iulianus Celanenſis hæreticus, qui dixit coniugium inter B. V. & IOSEPHVM fuiſſe non verum, ſed putatum coniugium. Execrandus magis, ac deteſtabilis fuit Heluidius, qui carnale commercium in hoc Virgineo coniugio admiſit poſt Chriſtum Dominum natum. Hunc errorem Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 1. tribuit Eunomio. Originem verò ſumpſit ab ijs Hæreticis, quos S. Epiph. hæreſi 78. apellat Antidicomariantas.

Cur intercesſerit?

V.

ADducuntur rationes plurimæ, ob quas decuit B. Virginem matrimonio iungi à Patribus, præſertim S. Ambroſ. init. l. 2. in Luc. Euſeb. emiſſ. in vig. Nat. Dom. S. Pet. Chryſol. ſ. 146. Ruperto Abb. l. 11. de victor. verbi. Origene ſeper Matth. S. Ignat. Antioch. in epiſt. ad Epheſios, & alijs. Omnes fere complexus eſt S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt his verbis. *Necaſſario deſponſata eſt Maria Ioſeph, quando per hoc & a canibus Sanctum abſconditur, & a Sponſo Virginitas comprobatur,* &

& Virginis tam verecundia parcitur quam famæ prouideur. Quid ſapientius, quid dignius diuina prouidentia? Vno tali conſilio ſecretis cæleſtibus, & admittitur teſtis; & excluditur hoſtis, & integra ſeruatur fama Virginis Matris. Plures etiam rationes, easque luculentiſſimas affert S. Th. 3. p. q. 29. a. 1. ex parte Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & S. Ioſephi. Illa ratio Ignatij Martyris celeberrima relata a S. Hieron. l. 1. in c. 1. Matth. *vt partus eius celaretur Diabolo* improbatur à Toſtato q. 3. in c. 1. Matth. & a Scoto in 4. d. 30. a. 2. quia integritas virginea corporis, & copula carnalis ſunt actiones corporeæ, vnde Diabolus poterat MARIÆ Deiparæ virginitatem euidenter cognoſcere. At vt docet S. Th. loco iam alleg. & S. Auguſt. 2. de Trinit. Diabolus multa poteſt ſuæ naturæ virtute, a quibus tamen prohibetur virtute diuina. Hoc accidiſſe in virginali coniugio inter MARIAM, & IOSEPHVM probabiliſſimum eſt. Hinc S. Hieron. non refert tantum allatis alijs rationibus hanc S. Ignatij, ſed approbat. *Quare* ait loco cit. *non de ſimplici Virgine (de Chriſto Domino loquitur) ſed de deſponſata concipitur? Primum vt per generationem Ioſeph origo Mariæ monſtraretur: Secundò ne lapidaretur a Iudæis vt adultera: tertio vt in Egyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam cur a deſponſata conceptus ſit: vt partus inquiens eius celaretur Diabolo, dum eum putat non de Virgine ſed de vxore generatum.* Ratio etiam ſatis efficax eſt, vt Deipara non ſolum Virginibus, ſed etiam coniugatis normam perfectè viuendi ſuo

exemplo

exemplo præſcriberet. Habitaſſe itaque cum S.IOSEPHO ante Incarnationem diuini VERBI B. Virginem affirmant communiter PP. & Scholaſtici Doctores, præcipuè S. Chryſ. hom. 2. in Matth. in opere imperf. S. Greg. Nyſſ. or. de Chriſti Nat. S. Epiph. hær. 78. S. Th. 3. p. q. 29. a. 2. ad tertium & alij paſſim. Hanc eſſe probabiliorem opinionem aſſerit Suarez t. 2. in 3. p. d. 7. ſ. 2. licet Abul. in Matth. poſt q. 33. aliter ſentiat.

Quomodo MARIANA Virginitas Deo deuota cum vero coniugio conſentiat?

VI.

ADmirabilis conſenſus Marianæ virginitatis cum vero coniugio licet ſit certus, non caret tamen difficultate. Hugo Victor. l. de perpet. Virg. S. Mar. quem ſequutus eſt Iac. de Valentia in cant. Deip. ad verſum 4. Et Card. Viguerius Chorda 1. c. 14. putant verum coniugium poſſe ſtare cum puro conſenſu in conuictum virgineum ſine vlla ne quidem radicali traditione corporum. Sed hoc videtur eſſe contra rationem matrimonij, vt oſtendit Raynaudus in Dip. Marian. p. 1. puncto 4. Magiſter in 4. diſp. 30. & S. Th. 3. p. q. 28. a. 4. quos ſequuti ſunt Paludanus in 4. d. 30. & Henriquez l. 11. c. 8. cum alijs cenſent votum Virginitatis in B. Virgine fuiſſe conditionatum, hoc nimirum pacto. *Voueo virginitatem, niſi Deus aliquid aliud ſibi placere reuelauerit*. Cum hoc voto planè verum coniugium ſubſiſtit. Facilis eſt huius nodi ſolutio ſi dicamus matrimonium verum, ac ratum continere quidem conſenſum in traditionem

iuris

iuris in copulam coniugalem, non tamen conſenſum in vſum illius iuris. Verum matrimonium non concubitus, ſed conſenſus facit, & in ius ſupra dictum, vt multa iura tum canonica, tum ciuilia teſtantur Cap. cum locum de ſponſalibus cap. in matrimonio 27. q. 2. in Reg. nuptias ff. de Reg. iuris, & expreſsè concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 6. Igitur edocta Virgo Deipara diuinitus IOSEPHVM fore cuſtodem virginitatis iam Deo deuotæ, neque vnquam exacturum vſum iuris coniugalis, potuit ita conſentire in traditionem iuris, vt & verum matrimonium iniret, & ſumma eſſet huius cum voto virginitatis concordia. Dicendum eſt ergo nō conſenſiſſe Virgines Coniuges in actualem obligationem copulæ maritalis, ſed tantum in aptitudinalem, & quidem cum expreſſa, aut implicita conditione virginitatem ſeruandi, vt fuſius docent Alb. Magnus l. de laud. Mar. Rebellius l. 2. de eſſentia matrim. q. 13. ſ. 3. Suarez t. 2. in 3. p. d. 6. ſ. 1. Sanchez l. 2. de matrim. d. 28. Morales in c. 1. Matth. l. 2. tract. 7. Henr. quodlib. 9. q. 11. Caiet. t. 1. opuſcul. tract. 3. Vaſquez 3. p. d. 125. c. 7. & alij paſſim.

Vtriuſque Coniugis ætas.
VII.

DE ætate vtriuſque Coniugis lis eſt apud Doctores. Annum 15. deſponſatæ Mariæ tribuit Alb. Mag. cum alijs, quem ſequutus eſt Caiet. referente Dyoniſ. Carthuſ. de laud. Virg. Alij 15. aſſignant, quibus ſubſcribit Card. Baron. t. 1. annal. Ioannes Iunius, & Driedo cum alijs affirmant fuiſſe deſponſatam

Deipa-

Deiparam Virginem an. æt. ſuæ 13. . Communis ſententia Patrum, quibus ego libenter ſubſcribo eſt decimoquarto annofuiſſe IOSEPHO MARIAM deſponſatam Euodij apud Niceph. l. 2. c. 3. S. Bonauent. in ſuis meditat. Gregor. Nicomed. or. de oblat. Virg. And. Cret. Greg. Nyſſ. & aliorum.

Ætas IOSEPHI Sponſi Virginei magis dubia eſſe videtur. Aliqualiter ſenem putat fuiſſe IOSEPHVM Sponsū Marię Abul. in 1. Matth. Quinquagenarium Io. Gerſon Cancell. Pariſ. ſ. de Nat. Virg. ſenem ſimpliciter Niceph. in ſua hiſt. ſene cionem, & fere decrepitum nimirum octuagenarium S. Epih. hęr. 31. Pictoribus quibus cum Poetis *quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas* ſenilis ætas, & fere decrepita placet. Probabilius eſt S. Ioſephum fuiſſe ætatis non quidem acerbæ, & iuuenilis. ſed floridæ & virilis, cum illi B. Virgo deſponſata eſt. In ſuſpicionem vocari poterat integritas pudoris B. Virg. ſi iuncta ſeni grandæuo in matrimonium fuiſſet. Apud omnes nationes inæqualia iſta coniugia damnantur, vt docet Clemens l. 6. Stromatum c. 1. & Tiraquellus lib. 6. Non debemus ergo coniugium huiuſmodi ex hac parte indecorum Deo Paranympho tribuere. Deinde quæ a capulari ſene victus prouidentia, vitæ ſubſidia, peregrinationum leuamenta a Deipara Matre, & Diuino Puſione expectari poterant? Vrget prophetia Iſ. 62. *Habitabit iuuenis cum Virgine, & gaudebit Sponſus ſuper Sponſam*. Hæc verba gloſſa interpretatur de IOSEPHO, & MARIA, & Lyranus ibidem ait. *Habitabit iuuenis cum Virgine, vt Ioſeph cum Maria*. Fauent huic ætati

S. IO-

S. IOSEPHI Io. Carthag. lib. 4. hom. 1. Io. Steuelius in 4. d. 28. Cardin. Viguerius chor. 1. c. 12. Maior in c. 2. Matth. Matthias Naueus orat. 20. Pelbartus l. 1. Stell. p. 6. Theophil. Rayn. in Dipt. Mar. p. 1. puncto 4. Niceph. Patribus non adnumeratur, imo vt notat Rayn. loc. cit. ab aliquibus nec Catholicis Scriptoribus. S. Epiph. in hoc nullus Patrum adhæſiſſe videtur.

Ioſephi Sponſi patria, genus, & ars.

VIII.

DE patria Nazarena, & Patre S. IOSEPHI iam ſupra diximus in genealogia B. Virginis, vbi etiam de ſplendore, & ſerie Dauidicæ familiæ, ex qua vterque erat oriundus. Præſtat tamen audire S. Bern. hom. 2. ſuper miſſus eſt. *Vere* inquit *de domo Dauid, verè ex Regia ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph nobilis genere, mente nobilior: planè Filius Dauid non degenerans a Patre ſuo Dauid, prorſus inquam Filius Dauid non tantum carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed deuotione.*

An faber lignarius fuerit, an ferrarius variæ ſunt Patrum, & Doctorum ſententiæ. Ferrarium putant S. Hilar. c. 14. in Matth. Pet. Chryſ. ſ. 48. S. Anſel. in c. 23. Matth. S. Iſidor. in Reg. Monach. c. 5. Ven. Beda ſuper c. 6. Marci Caiet. in c. 3. Luc. Haymo Iſid. deſcribens l. 2. de variet. c. 2. Exiſtimant decentius, congruentius, & verius fuiſſe lignarium S. Ambroſ. initio 3. ſ. in Luc. S. Io. Chryſ. in pſ. 44. Auctor Imperf. in Matth. hom. 1. & 32. Lyranus Matth. 13. S. Leander Iſidoro Fratri contrarius l. de inſtit. Virg. c. 14. Antiquus

Scriptor

Scriptor vitæ S.IOSEPHI compendio expreſſus ab Iſolano p.4.c.49. Pelbartus l.8.Stell.p.4. a. 1. concl. 3. & alij multi. Idem videtur eſſe ſenſus fidelium communis, vt notant Sixtus Sen. l. 6. bibl. annot. 63. Matthias Naueus or. 6. de S.IOSEPHO Molanus l.3 de imag.c.12. Caſtro c. 4. hiſt. Suarez t. 2. 3. p. d.7. ſ.3. Toletus in c. 2. Ioannis, Morales l. 3. in Matth. tract. 15. cum alijs innumeris. Ex hac perſuaſione Chriſtianus quidam apud Theodoretum 3. hiſt. c. 18. Sozomenum l. 6. c. 2. & Niceph. l. 10. c. 35. cauillanti Libanio Philoſopho *ecquid faceret lignarij fabri Filius?* reſpondit *Sandopylam Imperatori tuo elaborat*. Is autem erat Iulianus Apoſtata, qui non multò poſt diuinitus, vt putant, interfectus eſt.

Non defuere etiam, qui cæmentarium fabrum IOSEPHVM dixere, vt Conſaluus Durantus ad lib.6.reuel. S.Birgittæ, ſed hæc opinio omnino improbabilis eſt.

Eiuſdem virginitas voto Deo conſecrata.
IX.

IOSEPHVM B. V. Sponſum ipſum quoque Virginem fuiſſe certum eſt. Cathar. l. 4. pag. 277. exprobrat Caiet. in cap. 1. ep. ad Galatas bigamiã S.IOSEPHO adſcriptã. Nec obſtat, quod in Sacra Scriptura memorentur Fratres Domini, quaſi fuerint Filij IOSEPHI ex altera Coniuge ante B. Virginem; nam nomine fratrũ apud Hebræos omnes illi ſignificantur, qui aliqua cognatione contingunt, vt oſtendit Ribera in c.2. Io. Toletus in idem cap. Lippomanus in præmun. ad orat. S. Chryſ. de Annunc. & fusè Caſtro in hiſt. Deip. c. 1. Agnoſcunt deinde

de paſſim Patres IOSEPHVM Virginem, & multos proferunt Suarez tom. 2. 3. p. d. 5. ſ. 4. Spinellus in tract. de Virgin. c. 14. Card. Tol. in cap. 2. Io. annot. 2. & in c. 1. Luc. ann. 19. S. Bern. de IOSEPHO & MARIA accipit illud cantic. 2. qui paſcitur inter lilia. Inter PP. egregiè tutantur S. IOSEPHI Virginitatem S. Hieron. aduerſus Heluidium S. Gregor. Neocæſar. or. 3. de Ann. S. Io. Damaſc. or. 1. de Natiu. Virg. Imo primus S. IOSEPHVS inter homines poſt Virginem Sponſam voto ſe virginitatis obſtrinxit, & eam in coniugio ſeruauit, vt notat Cancell. Pariſienſ. ſ. de Natiu. MARIÆ his verbis. *Cur pura, perfectaque Ioſephi pudicitia non prædicetur, qui Virgo Virginem adijt, atque ſeruauit, quique primus ex maſculis in coniugij conſortio coluit, & coli poſt ſe docuit ſanctum, & integrum cælibatum.* Eiuſdem ſententiæ ſunt Card. Baron. in annal. S. Bernar. Senenſis & alij apud Stephanum Binettum in vita S. IOSEPHI c. 1. ex B. Pe. Damian. epiſt. 11. c. 14. S. Bernardo ſ. de S. IOSEPHO & aliјs. Vnde non ſolum omnis Chorus Virginum omnium, qui ſequuntur Agnum, quocunque ierit ſed virginum Coniugum Eduardus, & Editta Reges, Henricus & Chunegundis Auguſti, ac tot alij MARIAM & IOSEPHVM admirabilis conſilij Principes agnoſcunt, & choragiũ tam nobile, ducentes.

Sanctitas & excellentia ex Mariæ coniugio, de qua natus eſt IESVS.

X.

IOSEPHI Sanctitas ex coniugio cum MARIA mira incrementa accepit. Sacræ litte-

ræ cum IOSEPHVM dixere IVSTVM omnes virtutes complexæ ſunt, & omnem perfectionem ſpiritualem. Io. Gerſon Cancell. Pariſ. in ſ. de Natiu. Virg. in concil. Conſtant. ait ab omni labe mortalis peccati immunem diuinitus fuiſſe per totam vitam conſeruatum. Illis duobus ineffabilibus titulis inſignitus nimirum PATER IESV, & VIR MARIÆ non plus vltra ſtatuit omni mortalium dignitati, & excellentiæ. Cum verò Deus eligens homines ad magna munera, vt docet S. Th. 3. p. q. 27. a. 4. illos perficiat, perpoliatque ad ea cum dignitate obeunda; quot vt notat Io. Damaſc. or. 3. de Natiu. Virg. IOSEPHVM dicemus prçueniſſe benedictionibus dulcedinis? Analogiam quandam myſticam iuxta eundem Damaſc. habuit cum æterno Patre, quantum fas eſt ab humanis diuina exprimi, & commune Patris dulciſſimum, ac venerandum nomen, licet Pater non verus fuerit naturalis, ſed putatus. Habuit etiam cum Spiritu Sancto; nam vterque fuit Sponſus B. Virginis. De hac proportione fusè, & plenè agit Salazar in c. 31. prouerb. Extollit illum S. Bern. hom. 3. ſuper Miſ. eſt ſupra veterem caſtiſſimum Ioſephum a Deo conſtitutum non ab Ægyptio Tyranno Pharaone, veræ domui ſuæ Præpoſitum, imo Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ ex iure paterno, quod exercebat in diuinum Filium ſibi humillimè ſubditum, & ex iure coniugali radicali, quod habebat in corpus virgineum Deiparæ Sponſæ, quæ poſſeſſio a S. Ambroſ. in Exhortat. ad Virg. vocatur *poſſeſſio gratia*, & eſt ſupra omnes terrenos theſauros pretioſiſſima.

Si nos

Si nos inquit S.Bern. ſ. de S. Ioſ. *miſeri ex cohabitatione Sanctorum Virorum, qui reſpectu Virginis nihil ſunt, ſæpe tamen perficimur; quantum exiſtimandum eſt Ioſephum cum Sacra Virgine profeciſſe*. Et paulò poſt. *Cum ea, quæ ſunt vxoris ſint viri credo, quod Beatiſs. Virgo totum theſaurum cordis ſui, quem Ioſeph recipere poterat ei liberaliſſimè exhibebat*. Illud etiam nobiliſſimum elogium eſt in eodem ſerm. *Quomodo cogitare poteſt mens diſcreta, quod Spiritus Sanctus tanta vnitate vniret menti tantæ Virginis aliquam animam, niſi, & virtutum operatione ſimillimam? Vnde credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimum in Virginitate, profundiſſimum in humilitate, ardentiſſimum in charitate, altiſſimum in contemplatione, vt eſſet adiutorium ſimile Virgini*. Summa ſiquidem felicitas coniugiorum eſt ipſa æqualitas inter coniuges. *S. Ioſephum Cherubinum Paradiſi myſtici cuſtodem* apellat Iſolanus 3. p. c. 22. S.Paulus ad Epheſ.4. amorem inter coniuges, cum amore inter Chriſtũ, & Eccleſiam comparat, vnde ſicuti Chriſtus nihil ſupra Eccleſiam ſuam in terris magis dilexit, ita par eſt S. IOSEPHVM a B. Virgine fuiſſe dilectum ſupra Martyres, Confeſſores, Apoſtolos, Virgines, Patriarchas, ac beatarum mentium Hierarchias, vno verbo ſupra omnes homines, Angeloſque.

Incredibile etiam eſt quot bonis cæleſtibus IOSEPHVM ditauerit honorificentiſſima PATRIS IESV nomenclatura, quam B. Virgo totius Eccleſiæ Magiſtra apertè illis verbis detulit, cum amiſſo in Templo IESV puerulo duodenni dixit. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus Te. Nec enim* inquit S. Auguſt.

loco cit. *non erat apellandus Ioſeph Pater Chriſti, quia illum non genuerat*. Hoc nomine ſuauiſſimo ſæpius IOSEPHVM puppulus IESVS compellauit, inter amplexus, & oſcula, quæ Paradiſum terreſtrem, ac fere dixerim cæleſtem inhalabant. Et certè, vt illa Pauli ad Heb. verba in S.IOSEPHI laudem vſurpem *Tantò melior fuit Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim Angelorum dixit, Pater meus es Tu?* Errant tamen, vt optimè notat Caiet. tom. 1. opuſcul. 31. reſponſ. 2. qui dicunt IESVM ex ſanguinibus non ſolum MARIÆ, ſed IOSEPHI fuiſſe compactum, propter coniugale dominium. Poteſtas coniugalis, vt docet Molina de iuſt. & iure tract. 2. longè differt a dominio propriè accepto. Deinde IOSEPHO vt ſupra non eſt datum corpus, & ſanguis MARIÆ, ſed tantum ius quoad vſum coniugij ex mutuo virginitatis Deo obligatæ voto, impeditum. Hæc loquendi formula ſcitè & eruditè reijcitur a Theoph. Rayn. in Dipt. Mar. p. 1. puncto 4. qui Io. Gerſonis verba p. 3. ſ. de natiu. Virg. in hunc ſenſum interpretatur, licet a multis in ſenſu iam confutato explicetur. Plures titulos quibus meruit Sanctiſſimus MARIÆ Spouſus dici IESV PATER ex SS. Patribus perſequitur Io. Carthag. t. 1. l. 4. hom. 11. *Pater orbis terrarum* in ſacris litteris apellatur Adam, *Pater multarum gentium* Abraham, *Pater Regis Pharaonis* primus Ioſephus, ſed huic ſecundo IOSEPHO tantum Deus ipſe dicere potuit, *Pater meus es tu. O miranda* exclamat Io. Gerſon ſ. de Natiu. B. V. *prorſus Ioſeph ſublimitas tua! o dignitas incomparabilis, quod Mater Dei, Regina*

Regina cæli & Domina mundi apellare te Dominam non indignum putauerit! Sed multò ſublimius fuit cum obediente Deo voci hominis ipſe *Ieſus Rex Regum, & Dominus dominantium* erat Subditus illi. Hæc ſubiectio inquit idem Cancellar Pariſienſis. *Sicuti inæſtimabilem notat humilitatem in Chriſto, ita dignitatem incomparabilem ſignat in Ioſepho.* Ingens Philippi Macedonis elogium erat. *Filium habuiſſe Alexandrum* Aſiæ domitorem. Quale encomium IOSEPHI erit Filium habuiſſe IESVM cæli, terræque Dominum, ſupremumque Monarcham omnium. *Si Filius ſapiens,* vt habemus prouerb. 10. *lætificat Patrem*; quid de æterna ſapientia, quid de Verbo dicendum, in quo omnia ſcit, & loquitur, ipſe æternus Pater? At de IOSEPHO mihi liceat modeſtè vſurpare illud Matth. 11. *Patrem nemo nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare,* vnde omnis eloquẽtia humana dehiſcat neceſſe eſt.

An aliquando viſionem beatam habuerit in via?

XI.

MVltò minus ſolidum fundamentum eſt ad dicendũ S. IOSEPHVM adhuc viatorem Deum intuitiuè facie ad faciem vidiſſe, vt affirmarunt Hieronymus Gratianus l. 5. de S. Ioſ. c. 3. Morales l. 1. in Matth. tract. 1. & poſt vtrunque Celada in Juditha figurata n. 43. etiamſi hoc priuilegium B. Virgini concedatur, vt infra. Afferunt pro ratione vt munus, quod obibat viri MARIÆ, & Patris IESV ab ipſo cognoſceretur. Non vrget, quia per ſcientiam infuſam, actualem reuelationem, & alijs modis illud agnoſcere poterat. Deindè nimis

N probat,

probat, quia eodē modo S. IO. BAPTISTA debuiſſet habere viſionem beatam, vt munus Prçcurſoris agnoſceret, & ſic de Apoſtolis & alijs dicere cogeremur. Affirmant de Moyſe vidiſſe Deum in via aliqui pauci annuente ſubobſcurè S. Auguſt. epiſt. 172. c. 8. ac S. Th. 1. p. q. 12. a. 11. De D. Paulo multò plures id aſſeruere apud Benedictum Iuſtinian. 2. ad Cor. 12. Vtrique hoc priuilegiū problematicè concedit Valentia p. p. d. 1. q. 12. puncto 7. Negat cum alijs multis de his, & de omnibus alijs noui, ac veteris teſtamenti Sanctis Viris Lor. 1. Io. 4. iuxta illum locum Deum *nemo vidit vnquam*, quem vti multi SS. Patres in proprietate, & rigore verborum interpretatur.

An Martyris Aureola in cælo radiet, an Doctoris?

XII.

VTranque S. Ioſephi Aureolam imponit Iſolanus parte 4. c. 4. Non indiget commentitijs hiſce titulis S. IOSEPHVS tam locuples veris. Scimus fugiſſe in egyptum, & ſubijſſe voluntarium exilium, vt declinaret furorem Herodis Aſcalonitæ, & in reditu in Iudeam declinaſſe Archelaum, ſed his non debetur Aureola, martyrij, cum mortis perpeſſio ſaltem in cauſa ſit neceſſaria ad rationem martyrij, vt oſtendit Henriquez l. de fine hominis c. 27.

Aureola Doctoris datur ijs, qui ſiue dictis, ſiue ſcriptis erudiunt multos ad iuſtitiam, vt notant Pererius l. 15. in Daniel. & Carolus Regius l. 1. orat. Chriſtiani. c. 22. non ijs tantum, qui ſanctiſſimis moribus, alijſque illuſtriſſimis vitæ exemplis, quod de S. IOSEPHO

negari

negari non poteſt, aliquos ad fidem, ſiue ad pænitentiam alliciunt. S. IOSEPHVS ſciebat nondum aduenìſſe tempus euangelicæ prædicationis, vnde ſecundam viam inijt. Quid ſit Aureola, & quale præmij beati genus, & an redundet etiam in corpus fusè docent S. Th. in 4. d. 49. q. 1. Salazar c. 2. tract. 2. d. 8. Chartuſ. in 4. d. 99. q. 8. & Ioſephus Angles q. de beatitudine in fine.

An etiam corpore fuerit in cælum tranſcriptus?

XIII.

AFfirmant hoc aliqui, ſed nec auctoritate Patrum, nec efficaci ratione probant. Scio tamen eſſe piam opinionem S. Bernardini Sen. cuius hæc verba apud Stephanum Binettum in vita S. Ioſephi c. 1. habentur. *Piè credendum eſt, quod ſicut illa familia in laborioſa vita ſimul vixerunt, ſic & in amoroſa gloria, & corpore, & anima ſimul regnent in cælis.* Si ita eſſet, probabiliter dici poſſet die Aſcenſionis cum Filio triumphali ſimul aſcendiſſe in cælum S. IOSEPHVM laureatis Angelorum, & Sanctorum Patrum turmis plaudentibus.

An primatum in gratia, & gloria obtineat?

XIV.

INſtituit hanc quæſtionem Theophi. Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 4. nec audet definire. Io. Carthag. t. 1. l. 4. hom. 8. & 9. fusè principatum hunc ſanctitatis S. IOSEPHO confert, & multis congruis rationibus probat ex proximitate, qua IESVM attigit eius putatus parens, verus nutritius, ſeruator in

periculis, cuſtos in omnibus, ex coniugio Mariano, & ſimilitudine cum Deipara Coniuge, alijſque titulis. S. Th. in cap. 1. ad Epheſ. damnat illos, qui alium quempiam Sanctum Deipara inferiorem, cum Apoſtolis componunt. Hanc rationem ceſſare reſpectu S. IOSEPHI oſtendit Suarez t. 2. 3. p. d. 8. ſ. 2. Magnis eius titulis magnam vim gratię & gloriæ correſpondiſſe nemo ambigere debet. Fuit *Pater Ieſu, & dedit illi Deus* iuxta S. Bern. ſ. 3. *affectum, ſollicitudinem, & auctoritatem Patris.* *Fuit vir Mariæ* & ex eodem S. Bern. *B. Virgo datum ſibi a Spiritu Sancto Sponſum totius cordis affectu diligebat, eique theſaurum cordis ſui prorſus exhibebat. Fuit æterni Patris, vt Pater IESV & Spiritus Sancti, vt vir Mariæ aliquo modo Vicarius. Fuit* vt eum vocat Rupertus Abb. in c. 1. Matth. *paruuli diuini Tutor. Fuit ſeruatoris mundi ſeruator, & illius nutritius, qui implet omne animal benedictione.* Vnde ſecundum IOSEPHVM cum primo conferens S. Bern. ſ. 2. ſuper miſſus eſt, ſic ait. *Ille frumentum ſeruauit non ſibi, ſed omni populo: iſte panem viuum e cælo ſeruandum accepit tam ſibi, quam toti mundo. Fuit Cherubinus terreſtris gemini Paradiſi cuſtos Ieſu & Mariæ, vt probat* Iſolanus 3. p. c. 22. applicans ipſi illud cantic. 4. *Emiſſiones tuæ Paradiſus. Fuit Theſaurarius domus Dei, & ille fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, imo ſuper omnia bona ſua. Fuit Magiſter illius, qui vnus Magiſter cæleſtis eſt* ſecundum ea, quæ per ſcientiam aquiſitam de nouo ediſcere poterat. Fuit ex S. Bern. ſ. 3. de S. Io. S. Sponſus *adiutorium* iuxta illud Gen. 2. *ſimile Sanctiſ-*
ſima

ſima Sponſa, vnde rectè concludit Pariſ. Cancell. de Natiu. Virg. *Sicut decuit vt virgo ſumma puritate niteret, ſic decuit vt haberet ſuo modo parem Sponſum puriſſimum.* Apellat *virum* S. IOSEPHVM Sacer Euangeliſta ex D. Bern. ſ. 2. ſuper miſſus eſt, non quia maritus, ſed quod *homo virtutis erat.* Apellatur *iuſtus* Matth. 7. nimirum omnibus virtutibus ornatus. *Iuſtum* hic ait S. Io. Chryſoſ. hom. 4. *dicit in omni virtute eſſe perfectum.* Dicitur etiam *Filius Dauid* ex D. Bern. hom. 2. ſuper miſſus eſt *non tantum carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed deuotione.* Ipſum nomen *Ioſephi incrementum* ſonat, & quandam inter omnes Sanctos excellentiam. An habeat primatum poſt Virginem Sponſam inter Sanctos Deo iudicandum relinquo, qui ſolus ſpirituum eſt ponderator. Audire tamen præſtat Io. Gerſonis Cancell. Pariſ. ſententiam ſ. de Natiu. Virg. vbi hæc habet. *Quantus exiſtimandus eſt iuſtus Ioſeph in gloria, & in cælis, qui talis, ac tantus eſt in miſeria, & in terris? Profectò cum dicat Chriſtus vbi ſum ego, illhic & miniſter meus erit, ille proximior videtur collocandus in cælis, qui in miniſterio fuit vicinior, obſequentior, atque fidelior poſt Mariam inuentus in terris.* Addendus eſt ſuo ſuffragio S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt vbi ſic ait. *Quis & qualis homo fuerit D. Ioſeph conijce ex apellatione, qua licet diſpenſatoria meruit honorari, adeò vt Pater Dei, & dictus, & creditus ſit. Conijce etiam ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari.* Et paulò poſt. *Non eſt dubium quin bonus, & fidelis homo fuerit iſte Ioſeph, cui Mater deſponſata eſt Saluatoris. Fidelis inquam ſeruus, &*

N 3 *prudens,*

ANNVNCIATIO
SIVE
ANGELICA LEGATIO,
Aſſenſus B. V., & Verbi conceptio.
SALVTATIO.
ELOG. XI.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Iſa. 7.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Ciuitatem Galilea, cui nomen Nazareth ad Virginem &c. Ecce concipies in vtero, & paries filium & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Lucæ 1.

Iure exordiris ab AVE Angele legationem,
in qua magnum negotium
includitur humanæ ſalutis.
Exceptam tamen a te ſalutem
reddet hominibus Nazarena Virgo maiorem,
non Angelico Verbo,
ſed Diuino.
Magna legatio
vbi idem legatur Rex Regum, qui imperat;
ſaltem legati ſui orationem
ſuo præſens VERBO confirmat.
Iure deinde Angelus legatur ad Virginem:
infra virgineam maieſtatem
fuiſſet humana legatio.
Eodem iure candoris natura Angelos in cælis,
gratia Virgines donauit in terris;

ANNVNCIATIO
SIVE
ANGELICA LEGATIO,
Aſſenſus B. V., & Verbi conceptio.
SALVTATIO.
ELOG. XI.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Iſa. 7.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Ciuitatem Galilea, cui nomen Nazareth ad Virginem &c. Ecce concipies in vtero, & paries filium & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Lucæ 1.

Iure exordiris ab AVE Angele legationem;
in qua magnum negotium
includitur humanæ ſalutis.
Exceptam tamen a te ſalutem
reddet hominibus Nazarena Virgo maiorem;
non Angelico Verbo,
ſed Diuino.
Magna legatio
vbi idem legatur Rex Regum, qui imperat;
ſaltem legari ſui orationem
ſuo præſens VERBO confirmat.
Iure deinde Angelus legatur ad Virginem:
infra virgineam maieſtatem
fuiſſet humana legatio.
Eodem iure candoris natura Angelos in cælis,
gratia Virgines donauit in terris;

 licet

ANNVNCIATIO
SIVE
ANGELICA LEGATIO,
Aſſenſus B. V., & Verbi conceptio.
SALVTATIO.

ELOG. XI.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Iſa. 7.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Ciuitatem Galilea, cui nomen Nazareth ad Virginem &c. Ecce concipies in vtero, & paries filium & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Lucæ 1.

Iure exordiris ab AVE Angele legationem;
in qua magnum negotium
includitur humanæ ſalutis.
Exceptam tamen a te ſalutem
reddet hominibus Nazarena Virgo maiorem;
non Angelico Verbo,
ſed Diuino.
Magna legatio
vbi idem legatur Rex Regum, qui imperat;
ſaltem legari ſui orationem
ſuo præſens VERBO confirmat.
Iure deinde Angelus legatur ad Virginem:
infra virgineam maieſtatem
fuiſſet humana legatio.
Eodem iure candoris natura Angelos in cælis,
gratia Virgines donauit in terris;

ANNVNCIATIO
SIVE
ANGELICA LEGATIO,
Aſſenſus B. V., & Verbi conceptio.
SALVTATIO.

ELOG. XI.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Iſa. 7.
Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem &c. Ecce concipies in vtero, & paries filium & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Lucæ 1.

Iure exordiris ab AVE Angele legationem;
in qua magnum negotium
includitur humanæ ſalutis.
Exceptam tamen a te ſalutem
reddet hominibus Nazarena Virgo maiorem;
non Angelico Verbo,
ſed Diuino.
Magna legatio
vbi idem legatur Rex Regum, qui imperat;
ſaltem legari ſui orationem
ſuo præſens VERBO confirmat.
Iure deinde Angelus legatur ad Virginem:
infra virgineam maieſtatem
fuiſſet humana legatio.
Eodem iure candoris natura Angelos in cælis,
gratia Virgines donauit in terris;

prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni Conſilij Coadiutorem fidiſſimum. Atque hæc pauca dixiſſe de S. IOSEPHO ſufficiat, cuius vti meritorum, ita deberet eſſe cumulus laudum. De eo fusè, & eruditè ſcripſere Io. Carthagena t. 1. lib. 4. Pelbartus in Stell. l. 8. p. 2. Io. Gerſon in Ioſephina, & alibi præſertim in locis iam relatis, Suarez t. 2. 3. p. d. 8. Lippomanus 1. p. epitomes SS. Caſtro in hiſt. Deip. Morales in Matth. Caniſius l. 2. de Deip. c. 13. Matthias Naueus triginta & vna de S. Ioſepho oration. Hieronym. Gratianus in opere de S. Ioſepho Iſidorus de Iſolanis l. de donis S. Ioſ. Stephanus Binettus in opuſculo de laud. S. Ioſ. Aloyſius Nouarinus in vmbra virginea & alij. Hoc Coniugium inter MARIAM, & IOSEPHVM *venerabile, vocat cæleſte Coniugium* Rupertus Abb. in c. 1. Matth. his verbis. *O Coniugium verum & ſanctum Coniugium cæleſte non terrenum. Vnus Spiritus, & vna fides erat in eis. Sola illbic carnis corruptio deſiuit.* Ex nomine, quod incrementum ſonat mira inferunt aliqui, vti Iſolanus 1. parte c. 16. ex iuſtitia, quam illi Sacræ Scripturæ attribuunt illis verbis *Ioſeph autem erat vir iuſtus*, & S. Bernar. Sen. ex ſimilitudine cum Virgine Deipara t. 3. ſ. de S. IOSEPHO. *Ideam perfectæ obedientiæ* vocat S. Paſ. in c. 1. Matthæi. In IESV transfigurato ſæpius vidiſſe diuinam eſſentiam facie ad faciem affirmat Bernardinus de Buſtis l. 12. de deſponſatione Mariæ. Sed concludendum tandem eſt verbis Io. Gerſonis Cancell. Pariſ. in ſua Ioſephina. *O veneranda Trinitas Ieſus,*

Maria,

Maria, Ioſeph, quam coniunxit diuinitus Charitatis concordia? Cuperem vt mihi verba ſuppeterent ad explicandum tam altum & abſconditum a ſaeculis myſterium, tam admirandam, venerandamque Trinitatem Ieſu, Mariae, & Ioſeph.

ANNVNCIATIO SIVE ANGELICA LEGATIO, Aſſenſus B. V., & Verbi conceptio.

SALVTATIO.

ELOG. XI.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Iſa. 7.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Ciuitatem Galilea, cui nomen Nazareth ad Virginem &c. Ecce concipies in vtero, & paries filium & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Lucæ 1.

Iure exordiris ab AVE Angele legationem;
in qua magnum negotium
includitur humanæ ſalutis.
Exceptam tamen a te ſalutem
reddet hominibus Nazarena Virgo maiorem;
non Angelico Verbo,
ſed Diuino.
Magna legatio
vbi idem legatur Rex Regum, qui imperat;
ſaltem legati ſui orationem
ſuo præſens VERBO confirmat.
Iure deinde Angelus legatur ad Virginem:
infra virgineam maieſtatem
fuiſſet humana legatio.
Eodem iure candoris natura Angelos in cælis,
gratia Virgines donauit in terris;

licet, vbicunque Virgines habitant,
etiam in terris cælum ſit.
Iungitur verbo AVE, MARIÆ nomen,
vt rectus ſit noſtræ orationis modus.
A MARIÆ nomine
ſeparari non poteſt VERBVM ſalutis.
Ad Matris nomen Virgo turbatur,
nec mirũ in obedientię, virginitatiſque duello.
Delicata res eſt pudor:
tonitrua in verbis, fulmina ab oculis metuit.
Omnis macula candorem tollit:
infertur illi clades, cum labes.
Nunquam magis timendum eſt virtutibus,
quam cum vna videtur alteram perdere.
Stupor aliquandiu verba MARIÆ ſuſpendit,
vt altius deinde in altiſſimam humilitatis
abyſſum caderent.
Silere debuit
vnico omnia ſuo VERBO dictura,
quod ſeculis omnibus dictum a Patre,
a Matre etiam factum eſt.
Angelica tandem legatio feliciſſimè
diuino fuit VERBO concluſa.
Illud mirum, quod altiſſimum VERBVM
per voces Marianæ humilitatis concipitur.
Concepit humilitas: virginitas pariet:
non niſi ex harum virtutum coniugio
Deus naſcitur.
Æternum infiniti temporis VERBVM
ita accentu breui MARIÆ cōtraxit humilitas,
vt exinanitum in hominem
maternæ vocis echo videri poſſit.
Eodem magno humilitatis conſilio
VERBVM eſt caro, & virgo Mater.
Inſtituit ſe magna Virgo Dominam rerum,
vbi

vbi Domini ſe vocauit ancillam,
Eodem iure materno Regina Regum,
quo Regis Regum Mater.
Vides omnipotentiæ cũ humilitate certamen;
addit tantumdem illa honoris,
quantum iſta detraxit.
Supremum MARIA Empyreæ Regiæ
ſolium tenuit,
cum abyſſum ſuæ humilitatis intrauit.
Vbi pauperem virgunculam
Altiſſimi virtus, qui totus lux eſt, obumbrauit
iure donata eſt Regina omnium
Celſitudinis titulis, ac Sereniſſimæ Maieſtatis.
Miramur hanc magnam terræ molem
ſemper ſtantem,
cum tamen tota ſemper in centrum cadat.
Maior terris MARIA cum toto virtutum orbe
vnico puncto humilitatis libratur.
Quid montes montibus aggeramus
cælo rebelles?
Pygmei non Gigantes cælum expugnant:
Anthei non Hercules.
Nembrotici generis ſuperbi homines,
nil niſi ſublimem ruinam ſibi extruunt.
In cæli oratoria
nunquam facta eſt maior amplificatio,
quam in vnius huius VERBI imminutione.
In prima generatione ex amore verbi
Spiritus Sanctus proceſſit:
In hac ſecunda
ex amore Spiritus Sancti VERBVM.
Ita admirabili philoſophia
ne quid deſideraremus in VERBO,
& dici voluit in diuinis, & fieri in humanis.
Non minus tamen illi debemus

quod VERBVM omnia loquens ex Patre;
quam quod per antiphraſim prodierit
VERBVM infans omnia tacens ex Matre.
Interim antequam Gabriel abeas
e thalamo Nazareno,
detracta è cælo ſtelligera cheli,
quam arcus amoris
conuerſus in plectrum verberet
epithalamium cane.
Quem ſalutatorem MARIA admiſit
non reijciet magnarũ nuptiarũ encomiaſtem.
Cantibus tuis Echo factus totus mundus,
æternum plaudet.
Eodem ſiquidem admirabili coniugio,
quo MARIAM Spiritus Sanctus,
Humanitatem ſibi VERBVM deſponſat;
cælum terræ,
diuina iunguntur humanis.
Quem poſthac terreat Diuinus homo!
Quem non alliciat humanus Deus?

Inuenitur eſſe Virgo cæleſtis Sponſa, & Mater, qua donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit, dotis verò gratia cælum ſimul cum Paradiſo. S. Epiph. ſ. de Laud. Mariæ.

O ſi ſcires quanta te apud Deum ſublimitas maneat Angelico te indignam nec alloquio iudicares, nec obſequio. Inueniſti enim gratiam apud Deum. Quam gratiam? Hac eſt gratia, quam inueniſti apud Deum. Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Intellige prudens Virgo ex Filio promiſſo, quantam, & quam ſpecialem gratiam inueneris apud Deum. S. Bern. hom. 3. ſuper miſſus eſt.

De Annunciatione Incarnationis diuini Verbi.

CAP. XI.

Affuit tandem annus annorum rex ſæculis omnibus coronatus, ab ipſis æui natalibus expectatiſſimus, mundi nati 4052. renaſcentis 1. quem non Sol nobili ſua peregrinatione per viam innocentibus monſtris ſplendidè belluatam, ſed Solis, aſtrorumque parens, & rerum Dominus æternus Sol illuſtri ingentium miraculorum curſu ſignat, cælo, terriſque feliciſſimum. Adoleſcens ſolitò amænius florente vere gratulatus eſt ſibi florem campi ſuauiſſimum e Paradiſo deliciarum, nimirum vnigenitum Dei filium in illibatæ Virginis vtero intemerato corporatum admirabili Sancti Spiritus operâ: ſenex integra virginitate in lucem, quam ipſe dabat Sereniſſimus Empyrei Infans prodeuntem adorauit, conceptu æque, ac partu diuino beatiſſimus. Miſſus eſt itaque 8. Kalendas Aprilis. fortunatiſſimo die, quem maximo diuini amoris Sacramento quadrimeſtri a Virgineis nuptijs elapſo ſpatio, æterna Sapientia deſtinarat Nazareth Galileæ Pagum in Tribu Zabulon prope montem Thabor, & ſtagnum Geneſareth Gabriel cæleſtis aulæ Primipilibus electus ex millibus ad magnam Virginem Nazarenam MARIAM Spiritus Sancti Paranymphus, & magni conſilij nimirum decretæ in Sacris Au-

guſtiſ-

guſtiſſimæ Triados comitijs Incarnationis diuini VERBI Legatus. Illa eadem domus fuit cæleſtis arcani conſcia, ac teſtis, quæ e patria tellure radicitus cum fundamentis euulſa, diuinis machinis librata in ſublimi, ac penſilis ſuccollantibus Angelis peregrinari cepit in Illhyricum, & inde poſt aliquot annos in Picenum agrum in Italia, vbi iterum fundata ſtabili Sede toto orbe Chriſtiano celeberrima Laureti adoratur, Aſylum populorum, myſteriorum Aula, Curia gratiarum, Officina miraculorum, Auguſtale pietatis, Dominæ rerum magnæ Virginis Regia, & inter Italas lauros florens æternis victorijs, ac triumphis laureatum, ac triumphale Nazarenum Capitolium. Explicaſſet ſine verbis tacens ſuo tantum nomine Gabriel fortitudinem Dei ſonans, legationem ſuam. Illum enim Deum naſciturum nunciabat, qui tribus digitis appendens terræ molem, ac librans, vt naſci poſſet facturus erat potentiam in bracchio ſuo, & cui eſſe Deum fortem, cum paruulus natus eſt nobis, inter maximos diuini genethliaci titulos numeratur. Ita tamen forritudinem Dei Gabriel ſuo nomine loquebatur, vt legatione ſua infirmitatem eiuſdem ferret. Deus fortis cum in ſe non poſſet; infirmari debebat in homine. Inchoauit Angelus non tantum legatus, ſed ſalutator orationem ſuam ab AVE, quo & fortunatiſſimæ Virgini, & ſimul toti humano generi ſalutem indixit. Inchoata ab AVE oratione quis non perorationem expectet toti orbi ſalutarem? Iure caduceator Angelus ore preſert AVE auſpicium pacis, cum terra cælo in DEO-HOMINE fœderatur. Hoc AVE legatio-
nis

nis exordium ea reddidit bona, quę Eua exordium malorum perdiderat, quaſi Eua in AVE conuerſa, quod peruerſum fuerat, mutaretur. Quid Alpha priuatiuum eſſe ſolum apud Græcos grammatici fruſtra contenditis? Lamentabilia VÆ, quæ in libro dolentis vatis leguntur vnius Angeli AVE delentur. Iure deinde Angelus legatur ad Virginem candoris titulo parem, laude maiorem. Nam Angeli incorporei Virgines a natura inſtituti ſunt: Virgines, corporatos Angelos virtus facit. Si ſolitaria latuerit homines pudibunda Virginitas, merebitur alloquutiones Angelorum, nec erit peregrinum virgineis auribus Angelicum idioma. Poſt ſalutationem cæleſtis Nuncius, antequam magnum negotium aggrediatur ſalutis, in commendationem MARIÆ erumpit ſupra omnem eloquentiam ad artis miraculum luculentiſſimam a Gratiæ cumulo, & Numinis contubernio. Immenſus hic eſt in tetragrammato laconiſmo panegyricus, & in duobus titulis vltimum humanarum laudum *non plus vltra*. Quid enim inter homines diuinius, quam anima Dei amans, & amor, gratioſa ſummi boni, & in eo bonorum omniũ ſedes? Iſtud Elogium ſi rectè ex authographo Angelico pronunciemus nos quoque in ſalutatione MARIÆ quotidie ex hominibus Angelos facit. Si poterat accedere gratia legationi, procul dubio acceſſit cum MARIAM legatus Angelus gratia plenam prædicauit. Eſſe debuit gratia plena Dei Mater, vt alia omnia excluderet. Siquidem non minus a vacuo abhorret gratia, quam natura: vbi terrena excluſeris Deum, gratiam, omnia cæ-

leſtia

leſtia habes. Accuſauit tarditatem ſuam Angelus cum Deum, quem venturum nunciabat, in MARIA inuentum agnouit, aligero ſuo legato celeriorem. Impatiens nimirum moræ amoris alis velocioribus præuolarat, & a ſummo cælo exultarat vt Gigas ad currendam viam. Enimuerò iam tum effuſis omnibus bonis ſuis, exhauſtoque ærario, ac ferè dixerim Paradiſo Æternus Pater Filiam dotabat, Altiſſimus Filius Matrem conſecrabat, Sanctus Spiritus quaſi antenuptialibus donis Sponſam adornabat, vnde poſſet orator Angelus eam beatiſſimam prædicare. Inflicto Marianæ modeſtiæ tanto præconio magno vulnere, & corde fere dixerim cruentato, erubeſcens vultus virtutis colorem induit. Imo animum totum in oculis Superum excelſiſſimum, & in rerum faſtigio collocatum, ſibi tamen humilem, & in abyſſo nihili iacentem leuiter concuſſit magnificæ ſalutationis cogitatio, vnde humilitatis abyſſo pulſata turbatum eſt mare pacificum gratiarum MARIA. Nullus minus libenter excipit laudes ſuas, quam qui maximè eas meretur. Aggreditur nuncius cæleſtis, conaturque beatiſſimis vocibus difflare timorem virgineum; addit magnæ ſalutationis verbis, VERBVM ſalutis maius, vaticinatur fore Dei Matrem, Dei Magni, & Filij Altiſſimi Regis Regum, eius regnum in æuum perennaturum edicit. Adhuc poſt ingentia diuina promiſſa, licet Deo fidat bona Virgo, candori ſuo timet. Non placet ſine virginitate ipſius Dei conſanguinitas, nec Dei Mater eſſe cupit, ſi non poſſit Virginem cum Matre miſcere. Explicat tandem orator Empyrei admirabi-

lem

lem ſuperueniente Sancto Spiritu, cui ſoli iam Sponſa erat, & virtute Altiſſimi, abyſſo lucis Virginem vterum obumbrante diuini conceptus, partuſque nodum. Promittit ſine virginitatis iactura Virginem in ſe, Matremque iuncturam, facturam DEVM-HOMINEM illud VERBVM, quod a Patre ſemper dicitur, fore Sanctum illum, qui ex eius intemerato ſinu tanquam e Sanctis-Sanctorum prodibit. Adijcit ingentibus promiſſis venturi VERBI, auguſtiſſimum IESV nomen, vnigenito filio imponendum, & in eo ſeruatoris humani generis ſanctiſſimum titulum. Altiſſimi vires celebrat, a quo plura fieri poſſint, quam a quoquam mortalium cogitari, & Virginis fæcunditatem cognatæ ſterilis anus parituræ prodigio, quaſi regnatricis in orbe terrarum omnipotentiæ ſigillo confirmat. Sed horum oraculorum ordinem ſupra humana omnia prodigia diuinum VERBVM felicius obſignauit. Actutum enim magna Virgo in Deificam illam vocem non cedro tantum, ſed cælo, ſed ipſo Deo dignam FIAT exilijt, & Deum ipſum, quem ſuſpenſa in Sacramenti ineffabilis ſtupore, menteconceperat, etiam vtero, Sponſo amore diuinitus operante, grauidata concepit. Tunc quod felix, fauſtumq; fuit, eritque ſæculis omnibus proferente beatiſſimam illam vocem FIAT Matre, Altiſſimus etiam dedit vocem ſuam & *Verbum Caro factum eſt, & vidimus gloriam eius quaſi Vnigeniti a Patre.* Tunc iuncta eſt Virgini Mater, & accedente MARIÆ nomini Deiparæ cognomento, omnis nimirum felicitatis auctario, facta eſt Dei Mater maximum inter homines incrementum.

Tunc quod fuit ſumma votorum, apex gloriæ noſtræ, dignitatis humanæ, & diuinæ potentiæ *non plus vltra*, amoris prodigium, altitudo ſapientiæ, finis operum, & initium viarum Domini, miraculorum abyſſus, Sacramentorum Sacramentum, legis meta, gratiæ inundatio, naturæ ſtupor, Superum beatitas, ineffabilis Dei amantis extra ſe rapti extaſis, Deus homo admirabili commercio, & homo Deus dici potuit. Incuruati ſunt montes ſeculi ab itineribus æternitatis eius, & in valle Marianæ humilitatis, cum ſe Domina rerum vocauit ancillam, aperta terra germinauit Saluatorem, deſiderium collium æternorum. Inclinati ſunt cæli, & ex illis rorantibus ſicut pluuia in vellus, in vterum virgineum deſcendit Iuſtus, quem non concupiſcentia carnis, ſed obedientia genuit mentis. Adorarunt Primogenitum Patris introductum in orbem terræ Cælites omnes, minores Dei filij, terræque ipſi, in qua cælum Deum hoſpitem iam inuidebat, ac venerabatur, cum omni aſtrorum harmonia, & elementorum concentu iunctis ſupremæ Aulæ Choraulis plauſerunt. Ita in Angelicæ alloquutionis clauſula negotium omnium ſæculorum concluſum eſt, & vti per Deum Angelus, ita per Angelum Deus, qui in circumſeſſione paterna tota æternitate quieuerat ad MARIAM miſſus eſt, Altiſſimum VERBVM trahente humili obedientiæ virgineæ voce. Quaſi mundum eſſet cum Deo concepto paritura, magna Virgo dicit FIAT, vt eodem reginæ vocis imperio renaſceretur, quo fuerat natus, & eadem voce VERBVM conciperetur, quo per VERBVM

Deus omnia conceperat, ac pepererat. Non in tonitruo, ſed in ſibilo auræ tenuis inuentus eſt Deus, qui in beata Patris ſatietate deſiderium etiam Matris habens, ſinum Patris non reliquit, cum Matris vterum beauit. Altiſſimo MARIA paruula placuit, humilitatis infantia, inſolenti prodigio æternum dierum concipiens, cum nouiſſima omnium eſſe voluit, & immenſum in ſuis anguſtijs claudens, cum ad atomum fere, nihilumque redacta. Inter fulmina, ac tonitrua concipiuntur vniones, execrandæ Marium naufragis Quæſtoribus lachrymæ! At Hypoſtatica vnio Empyrei gemma in Mari gratiarum inter auras Sancti Spiritus ſuauiores generatur, & ſine pompa gemmaſcit. Ingenioſa Virgo, vt in igne ſponſi amoris Deum conciperet, directos in ſuum cor, veluti concauum ſine macula ſpeculum a Sole æterno radios, ad punctum humilitatis omnes reflexit. At geminauit noctem humilitatis, humilitas noctis; nam proxime a media nocte in medio omnium ſilentio, vt omnes felicius audirent e Regalibus ſedibus venit Diuini VERBI omnipotens ſermo. In obſcuro nimirum mutæ noctis ſilentio concipi debuit ignotus Deus, VERBVM infans. Nec ſine auſpicio veris tempus floridum electum eſt Diuini VERBI in terras deſcenſui, vt in tanto gaudio tota tellus ſpargeretur in flores. In fine Martij menſis Princeps pacis concipitur, initia paci daturus, exitum bellis. Ita ſemper de tempeſtatum puerperio Iris exoritur, & præpoſtero partu filia bellorum pax naſcitur. Nazareni floris conceptus in Vrbe Nazareth florum patria, e virginitate virtu-

tum

tum omnium flore ſi non inueniret ver, in ipſo corde hyemis germinaſſet. Auſpicatiſſimum quoque fuit prope æquinoctium vernum corporatum Deum concipi ſuprema iuſtitia vbique regnante. Maior tamen in terris inter Deum, & homines erat, quam in cælo iuſtitia dierum, & noctium. Inſolenti vel acceſſu, vel receſſu in Ariete Sol habitat, & in Virgine. Nec mirum vbi ver gloriæ aperitur, & gratiæ autumnus. Incipit Sponſa Eccleſia amore languens ſimul fulciri floribus, & ſtipari malis. Accedit aliud prodigium, nimirum inſolens commercium æquinoctij iuſtitiæ, cum æterno ſolſtitio charitatis Dei. Nec inauſpicatò eadem die 25. Martij, qua Adamus luteus fictus eſt in hominis Statuam, ac Dei imaginem, Adamus cæleſtis vera imago Genitoris ſui, factus eſt e terra virgine, quæ Cælum candore, ac luce ſua ſuperabat, vt poſt quadraginta ſecula initia ſalutis, exitijque ſibi reſponderent. Ita ſibi ipſi omnium auſpiciorum Deus Aſcendens eſt, cum deſcendens in terras concipitur. Sed hoc magnum myſterium alioquin clamoris, cum explicari nequeat more Numinis in extaſi ſtuporis venerabundo ſilentio adorandum eſt. Generationem eius quis enarrabit? vtraque generatio VERBI diuina, & humana eodem tantum, quod generatur VERBO Oratore explicari poteſt.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Annunciatione B. V.

SYNOPSIS.

1 ANgelica legatio an fuerit ante, an poſt matrimonium ratum inter MARIAM, & IOSEPHVM? 2. Cur cæleſtis nuncius fuerit Angelus, & quinam? 3. An præter humanam ſpeciem eius eſſentiam B. V. viderit? 4. Aliquæ Angelicæ legationis circumſtantiæ aperiuntur. 5. Magni Myſterij tempus ſtatuitur. 6. Et locus. 7. An Angelus in corpore aſſumpto clauſum cubiculum penetrarit. 8. Et ſub qua humana ſpecie? 9. Prima ſalutationis Angelicæ vox AVE expenditur. 10. De elogio B. V. ab Angelo ante legationem præmiſſo præſertim ad illa verba gratia plena. 11. An hæc plenitudo gratiæ in B. V. dicat gratiam ſupra omnium aliorum SS. gratiam collectiuè maiorem? 12. Angelicum cum B. V. diuerbium aliquibus notis illuſtratur. 13. Marianus conſenſus illis verbis expreſſus ECCE ANCILLA DOMINI &c. celebratur. 14. Quid meruerit ſuo conſenſu, & quantum? 15. Cur expreſſus fuerit a B. V. conſenſus? 16. An conſenſerit etiam morti Filij, & inſtitutioni Auguſtiſſimi Sacramenti? 17. Quando nam diuinum Verbum fuerit conceptum? 18. Et quomodo B. V. concurrerit. 19. An in corde conceperit? 20. An cum præſentia definitiua? 21. An in inſtanti? 22. An concurrerit B. V. vt inſtrumentum eleuatum ad productionem vnionis hypoſtaticæ? 23. An Chriſtus habeat in ſuo corpore aliquas partes, animatas prius anima B. V.? 24. An in conceptione inauguratus fuerit in Regem Iudæorum ex materna ſucceſſione? 25. An conſenſu ſuo B. V. meruerit ſalutem humani generis? 26. An in eo momento quo in conceptione Filij facta eſt Mater Dei, habuerit viſionem beatam? 27. An in ingenti illo gaudio fuerit ſupernaturaliter conſeruata? 28. Ineffabilitas in myſterio clamoris.

Angelica

Angelica legatio an fuerit ante, an poſt matrimonium ratum inter Mariam, & Ioſephum?

I.

IAM ſimul Sponſi Virgines MARIA, & IOSEPHVS in Vrbe Nazareth cohabitabant, quando exhibita eſt Gabriele Paranympho e cælo diuina legatio, grauidatio de Spiritu Sancto ſequuta eſt, & Verbi corporati conceptio, atq; alia, quæ in maximo negotio omnium ſæculorum Incarnationis nimirum myſterio elucent, omnipotentis amoris Sacramenta. Ante celebrationem ſolemnem matrimonij rati fuiſſe Angelicam legationem affirmat, & probat Caſtro in hiſt. Deip. c. 4. n. 20., eique opinioni fauere videtur, quod aliquantò poſt Angelus Ioſepho dixit Matth. *Noli timere accipere Mariam Coniugem tuam*, & ibidem dicatur. *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph*, quaſi ſola ſponſalia per verba de futuro celebrata eſſent. Non eſt tamen recedendum a communi ſententia, quæ aſſerit Gabrielem Paranymphum miſſum fuiſſe ad Virginem iam coniugem. Hanc docet S. Th. 3. p. q. 29. a. 2. ad 3. quem ſequutus eſt Suarez t. 2. 3. p. d. 7. ſ. 2. cum alijs Doctoribus Scholaſticis communiter. Idem probat Fran. Lucas Matth. 1. ex D. Io. Chryſoſt. hom. 4. in Matth. D. Bern. hom. 2. ſuper miſſus eſt, & alijs. Quam hoc fuerit veroſimilius, & decentius oſtendit Theoph. Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 5. ex S. Pet. Chryſol. ſ. 175., & alijs. Sponſæ, ſiue deſponſatę nomine ſæpius in ſacris Scripturis venit puella iam viro tradita; vt S. Hieronym. explicat ad illa verba Oſeæ 2. *Sponſabo*

ſabo te mihi in ſempiternum. S. quoque Bern. hom. cit. Sponſam, ſiue deſponſatam pro coniuge accipit. Syrus vocem habet in illo loco Matth. 1. quæ Virginem coniugem ſignificat, vt obſeruat Adamus Gontzen q. 1. ad illum verſum, adducens pro vſu græcæ vocis Theocritum in Idillio 18.

Cur cæleſtis nuncius fuerit Angelus, & quinam?

II.

AFfert plures rationes Angelicus Doctor 3. p. q. 30. a. 2. in corp. cur legatus a Deo fuerit Angelus non homo. Illa præcipua eſt, vt omnis ſuſpicio ex humano alloquio contra B. V. honeſtatem tolleretur. Fauet S. Bern. his verbis *Credo quod Angelus ad Virginem mittitur, ne vlli hominum ad eam pateret acceſſus*. Similia habet Greg. Neocæſar. ſ. 3. Certè in bonum Angelorum cedebat VERBI æterni Incarnatio, non hominum tantum. Etiam debebat legatione ſalutis Angelus Gabriel mundi reparationem exordiri, quando Lucifer Angelus in Serpente molitus fuerat exordia ruinæ, quam rationem reddunt & explicant Beda hom. ſuper c. 1. Luc., ac Tertullian. l. de carne Chriſti vbi ait. *Deus imaginem ſuam a diabolo captam æmula operatione recuperauit &c.* & Pet. Chryſol. ſ. 1. Alias rationes adducit Alb. Mag. ſuper miſſus eſt c. 199. & Io. Carthag. c. 2. l. 5. hom. 1. *Bene Angelus* inquit S. Tho. ſ. de Aſſump. *ad Mariam V. mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem viuere non terrena vita eſt, ſed cæleſtis*. Et Pet. Chryſ. loc. cit. *Vt homo curſibus eiſdem, qui-*

bus

bus delapſus fuerat ad mortem rediret ad vitam, agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eua Angelus de ruina, vt noſtræ perditionis initio conueniens noſtræ reparationis principium reſponderet.

Interpretatio communis eſt Gabrielem, qui fuit cæleſtis nuntius *fortitudinem Dei* ſonare, vnde S. Hieron. linguæ Hebr. peritiſſimus de nom. Heb. ait. Gabriel ſignificat *confortauit me Deus*, aut *fortitudo mea Deus*. Venerab. Beda in Luc. 1. ſic explicat conuenientiam myſterij Incarnationis cum Gabrielis nomine. Gabriel dicitur *fortitudo Dei, quia illum nunciabat, qui ad debellandum diabolum veniebat*. Addit Card. Tol. ſecundum peritos nomen Gabrielis ſignificare DEVM-HOMINEM, quod expreſſit Protus Epiſc. Zizicenus, vt habetur in Synodo Epheſina c. 7. t. 6. his verbis. *Idem Gabriel ſonat, quod Deus & homo. Quia ergo ille, quem annunciabat Deus erat, & homo, rei miraculum nominis notione anticipat.* Hanc fuiſſe admirabilem Dei prouidentiam nemo non videt, vt ipſo nomine etiam fauens cæleſtis nuncius magnum myſterium loqui poſſet.

De excellentia huius Angeli iam aliqua dicta ſunt, vbi egimus de Angelo Cuſtode B. V., quem cum communi ſententia hunc eundem Legatum Incarnationis fuiſſe ſtatuimus. Addo nunc aliqua. Archangelum fuiſſe in penultimo ordine infimæ Hierarchiæ docet S. Th. 3. p. q. 30. Fauent S. Ambroſ. l. 1. de Sp. Sancto c. 7. S. Auguſt. ſ. 14. de natiu. Dom. S. Ireneus l. 5. aduerſ. hær. c. 2. S. Bern. l. 5. de conſid. c. 4. licet hom. 1. in miſſus eſt

videa-

videatur illum inter Seraphim numerare.
Suffragantur Caiet. in 3. p. q. 3. a. 2. Abulenſ. in Matth. c. 18. q. 60. & alij, atque ita fert communis ſenſus fidelium. Duæ ſunt rationes potiſſimæ. Prima eſt quia S. Eccleſia vocat Archangelum, ſecunda quia ad Archangelos huiuſmodi legationes pertinent, & ex Dyoniſ. Areopag. de cæl. Hier. habemus quod alicui *non eſt fas operari, niſi quod officij ſui diuina ſanxit inſtitutio*. S. tamen Gregorius rel. a S. Th. cenſet fuiſſe ſummum Angelorum his verbis hom. 34. in Euang. per quæ habetur talis primatus ratio. *Summum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nunciabat*. Defendit præter alios hanc ſent. Card. Viguerius in ſuo Decachor. & Cæleſtinus ſuper Miſſus eſt adducens S. Io. Damaſc. dicentem. *Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos*. Addit aliam rationem Carthag. t. 2. l. 5. hom. 1. quia vt habetur ex D. Bern. & D. Chryſol. illa verba Luc. 1. *Miſſus eſt a Deo*, expendentibus, Gabriel immediatè a Deo habuit reuelationem ſuæ legationis, & myſterij nunciandi, quod ſummi Angeli iuxta Doct. Scholaſticos munus, & priuilegium eſt. Elogium huius Empyrei nuncij luculentiſſimum habemus apud Caniſ. c. 5. de Deip. c. 1. vbi concludit. *Quid hoc Procuratore fidelius, qui de arcanis cæleſtibus in conclaui Virginem inuiſit, ſalutauit, inſtruxit, remque totam a pijs omnibus tot ſæculis vel maximè deſideratam ritè confecit?*

An præter humanam ſpeciem, eius eſſentiam B. Virgo viderit?

III.

IN humana ſpecie viſum fuiſſe Angelum Legatum, ſed ſplendida, & mirabili omnes communiter affirmant. *Inſolito fulgore veſtitus* inquit B. Laurentius Iuſtinian. *Angelus in humana effigie deſcendit ad Virginem*. Similia habent S. Auguſt. ſ. de nat. Dom. S. Ambroſ. l. 1. de off. c. 8. S. Pet. Chryſol. ſ. 140. S. Hieron. tom. 1. Epiſ. 7. ad Lætam Orig. hom. 4. in Luc. Euſebius Emiſſ. hom. ſuper miſſus eſt & alij. Cur ita ſenſibiliter apparuerit, vt eruit ex illis Luc. 1. *ingreſſus Angelus ad eam*, & alijs *dixit autem Maria*, cum hæc alloquutio, & ingreſſus ſenſibiles fuerint, habemus multiplicem congruentiam ex S. Th 3. p. q. 30. a. 3. qui nihil in diuinis myſterijs ferè intactũ reliquit.

Angeli Gabrielis eſſentiam viſam fuiſſe a B. V. non externam tantum ſpeciem affirmat Suarez tom. 2. 3. p. d. 9. ſ. 2. & Athanaſ. (ſi liber ille Athan. eſt) in l. 99 ad Antioch. q. 12. quia melius debebat, quam antiqui Prophetæ cognoſcere Angelos loquentes, nec difficile erat habenti ſcientiam infuſam a phantaſmatibus corporeis independentem. *Sola* inquit S. Athan. loc. cit. *S. Deipara Virgo nudam eſſentiam Gabrielis Archangeli contemplata eſt.* Fauet huic ſent. Alb. ſuper miſſus eſt c. 109 At obſtat S. Th. 3. p. q. 30. a. 3. qui ait hoc ſuperare ſtatum viatoris. Subſcribit Vaſquez 3. p. t. 2. diſp. 126. c. 2. cum multis alijs. Et certè illa turbatio in B. Virgine, quam aliqui Patres aſſerunt accidiſſe ex ſolo introitu Angeli in ſpecie

viri

viri cum ſcientia Angelicæ eſſentiæ repugnare videtur, niſi velis dicere cum Nouato t. 2. c.7. q.6. illam decurſu alloquutionis habuiſſe.

Aliqua Angelicæ legationis circumſtantiæ aperiuntur.

IV.

HIS verbis legatum ſuum Deum ad Nazarenam Virginem miſiſſe ait S. Chryſoſ. ſ. de Annunc. *Vade ad alterum cælum, quod in terra eſt.* Quo pacto cæli nomine ſignificetur Deipara Virgo, imo aliquid cælo diuinius, & excelſius fusè perſequitur Spinellus in Thr. Dei c. 3. elogijs SS. Patrum elegantiſſimis. Hodie inquit Io. Damaſc. or. de natiu. Virg. *Cælũ Deus condidit cælo illo longe diuinius; nam qui in illo Solem effecerat ex hoc iuſtitia Sol ortus eſt.*

Inueniſſe Angelum B. Virginem alloquijs diuinis vacantem, & clauſo cubiculo orantem Patrem in abſcondito, indubitatum eſt. Vnde impudentiſſimi Lutheri calumnia abhominabilior eſt dicentis fortaſſe inueniſſe ſiue confabulantem cum aliquo, ſiue rebus domeſticis, etiam culinæ incumbentem. Huius tartarei Cerberi os, nec Dominam mundi metuentis contundit Caniſ. l. 3. de Deip. c. 1. *Sola in penetralibus* inquit S. Ambroſ. l. 2. in Luc. *quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur effatu ab Angelo ſalutatur.* Eadem habet l. 2. de Virgin. & l. 2. de off. c. 18. ſubſcribuntque Euſeb. Emiſſ. in euang. fer. 4. Dom. 4. aduentus, Andræas Hieroſol. ſ. de Annunc. apud Surium, S. Hieron. epiſt. 7. quæ eſt ad Lætam, S. Bern. hom. 3. ſuper miſſus eſt &

 alij.

alij. Addit Seraphicus Doctor in meditat. vitæ Chriſti c. 3. ex reuel. facta S. Eliſabethæ Hungaricæ ab ipſa B. Virgine arſiſſe tunc illam in extaſi ſuauiſſimæ contemplationis deſiderio eam feliciſſimam Virginem videndi, & adorandi, quæ erat futura Dei Mater.

Magni myſterij tempus ſtatuitur.
V.

S. Bonauent. ſuper c. 1. Lucæ putat ex D. Hieron. incidiſſe aduentum Angeli, totumque magnum negotium omnium ſæculorum, nimirum myſterium Incarnationis in ſextum mundi millenarium. *Sicut homo* inquit *primus fuit conditus ad totius mundi complementum ſexto die, ſic ſecundus homo ſcilicet Chriſtus incarnatus ſexta ætate, & ſexto millenario ad totius creaturæ perfectionem.* Suarez t. 2. 3. p. d. 12. ſ. 4. inchoatam fuiſſe mundi reparationem aſſerit anno fere a creatione mundi 4000. Nos iuxta chronographiam Saliani aſſignauimus annum 4052. Aliter alij ſentiunt. Conſulendi ſunt hiſtorici Eccleſiaſtici, & interpretes Sacrarum Scripturarum.

De menſe vix eſt controuerſia. Martium fuiſſe omnes ferè Patres vnanimi conſenſu docuerunt Athanaſ. Chryſoſt. Auguſt. Ambroſ. & alij apud Carthag. t. 2. ſ. 5. hom. 2. Rationes cur hic menſis fuerit tanto myſterio deſtinatus idem auctor enumerat. Ille erat menſis initium anni ſacri apud Hebræos, vnde habemus. *Menſis iſte,* ideſt *Niſan vobis principium menſium. Primus erit in menſibus anni.* Eo vt expendit Hugo Card. ſuper Lucam creatus fuit mundus, & liberatus dilectus Dei popu-

lus ab Ægyptiaco iugo. Eo etiam vt tradit D. Ambroſ. de Noe, & Arca diluuij aquæ ceſſarunt. Eo tandem conſumatis omnibus in cruce a corporato Verbo reparandus erat mundus. Hunc menſem quartum a deſponſatione fuiſſe aſſeritDriedo l.3.de dogmat.tract. 3.c. 5. quod etiam ſentiunt multi PP. teſte Suarez 3. p. t. 2. diſp. 7. ſ. 3.

De die quoque vix dubium eſſe poteſt, cum 25. Martij cum ſenſu Cathol.Eccleſiæ omnes fere PP. & Doctores adſtruant, & feriam 6. a S. Athan. lib. 99. ad Antioch. q. 17. S. Ambroſ. 1. exam. c. 4. S. Io. Chryſ. ſ. de S. Io. Baptiſta, & alij. Hinc reijciendus eſt Beroaldus l. 4. ſuæ chro. c. 2. aſſerens Incarnationem factam menſe Decembri. De fer. 6. Rup. l. de diu. off. c. 19 ſic ait. *Chriſtus feria 6. conceptus eſt. Die qua veterem formauit Adam de limo terræ nouum ſibi reformare cepit hominem Deus de pura carne Virginis Mariæ: eadem die redempturus mortis paſſione*. Lucidius l. 7. c. 2. aſſerit eo anno in 25. Martij nouilunium incidiſſe, quaſi Sol iuſtitiæ Lunæ per carnis aſſumptionem coniunctus fuerit. Prius ſtabiliendus eſt annus, tum tabulæ aſtronomicæ conſulendę, ſed habita ratione reformationis Kalendarij Gregoriani. Eadem die conceptum fuiſſe Dei Filium in vtero Matris & paſſum in cruce aſſerit quoque D. Auguſt. l. 4. de Trinit. c. 5. & ex ipſo S. Bernardinus Sen. t. 3. ſ. 6. a. 2. c. 1. & eruditè colligit Spinellus in Th. Dei c. 11. ex probatis Auctoribus. Hunc diem 8. Kal. Aprilis ſtabiliuit Eugen. 4. in decreto fid. traduntq; Card. Baron. in appar. n. 76. & Balduinus Iunius æt. 5. mundi. Eadem itaque

dies & naſcentem mundum, & renaſcentem dedicauit, & peccatis mortuum reuocauit ad vitam redemptione copioſa.

De hora maior eſt controuerſia. Matutinum tempus electum fuiſſe multi opinantur vt S. Anton.4 p. ſum.t.15. c.9: aliqui veſpertinum vt Doctor illumin. apud Carthag. t. 2. l.5. hom. 2. Communior Patrum, & Doctorum ſententia eſt, vt refert Suarez loc cit. in mediam noctem incidiſſe Incarnationem diuini Verbi iuxta illud ſap. 18. *Dum nox in ſuo curſu medium iter perageret omnipotens ſermo tuus Domine de regalibus ſedibus venit*. Sic potuerunt reſpondere in nocturna natiuitate Domini ad amuſſim aſtronomicam nouem menſes conceptioni. *Nox* inquit Simon de Caſſia in com.in Euang.*appendebatur ex medio, nec adhuc Virgo ſua membra in quiete collegerat: vigilantem Angelus inuenit*. Non tamen ſolam inuenit, nam omnium erat virtutum ſtipata choragio. In aduentu Angeli inquit Euſeb. Emiſſ.in Euang.de Annunc.*ſola ſedebat, nec tamen ſola, tanto virtutum exercitu circumſcripta*.

Et locus.
VI.

VRbem Nazareth fuiſſe patriam concepti Filij Dei expreſsè Sacer Euangeliſta tradit, & apud omnes in confeſſo eſt. Eius deſcriptionem topographicam iam ſupra dedimus. Si quis copioſiſſimam vellet legat Fran. Quareſmum t.2. elucid. terræ Sanctæ l.7. c.5. & 6. præter Bernardinum de Buſto l.p. ſ.3. de Annunc. eruditè ex patria Nazarena ad Chriſtum Dominum florem campi alludentem.

Circa

Circa nomenclaturam Nazareth, quæ florem ſonat elegantiſſimis argutijs ludunt multi SS. Patres, & Sacrarum litterarum interpretes. *In Nazareth* ait mellifluus Bern. ſ. 2. in cant. *annunciatur Chriſtus naſciturus, quia in flore ſperatur fructus proceſſurus. Nomen igitur Ciuitatis, in qua concipitur exprimit ſtatum temporis, & finem operis ad quem venit. Cum enim Chriſtus in Nazareth concipitur, iam hyems tranſijt, tempus innouationis aduenit, fructus appropinquauit, omnibus exhibuit medicinam.* S. quoque Anton. 1. p. hiſt. t. 3. c. 5. expendens illa verba Iſ. 53. *Aſcendet ſicut virgultum coram eo de terra ſitienti* ſic ait. Hinc innuitur locus conceptionis, & modus. *Locus quia conceptus eſt in Nazareth, quod interpretatur virgultum, vel etiam flos, quia tempore, quo flores incipiunt conceptus eſt ſcilicet in Martio. Modus quia conceptus natus eſt de Virgine ſine opere humano &c.* Hinc ſcitè confert Vrbem Nazareth cum terreſtri Paradiſo And. Hieroſolym. ſ. de Ann. Nazareth, ait *Eden hortum æmulata ipſius eden Conditorem ſinu ſuo complectitur.* Et certè in hoc Nazareno ſecundus Adam de cælo cæleſtis formatus eſt, & mundus maiori felicitate renatus, quam natus noua incunabula habuit. Acutius tamen idem or. in ſal. Ang. philoſophatus eſt dicens Nazarenam Virginem, quæ etiam a Proclo or. de Nat. Dom. *Paradiſus Spiritalis ſecundi Adami* apellatur, *eſſe Paradiſum viuidi ſalutis noſtræ ligni ipſum horti Eden Colonum, Chriſtum inquam Dominum intra ſe habentem figuris in ſe adumbratum, qui ineffabili quadam pot entia fluminis inſtar, viuiparum vterum eius*

egreſſus orbis faciem irrigauit. Dicitur etiam a Greg. Neocęſ. or. 3. de Ann. *Paradiſus Dei ratione praditus*, & a Baſil. Seleu. *Paradiſus florentiſſimus Virginitatis, in quo lignum vita ſatum produxit fructus omnibus ſalutares, & ex quo Euangeliorum fons in quatuor ora ſectus miſerationum flumina credentibus diduxit*.

Incoluiſſe B. Virginem tempore conceptionis diuini Verbi illam ædiculam, quæ modo Laureti ſumma totius orbis Chriſtiani religione frequentatur, & eſt laureatum gratiarum, & miraculorum capitolium, certiſſimum eſt. Vnde reijciendi ſunt tam Auctor 99. ad Antioch. q. 19. cum Verbum Dei conceptum a Virgine Deip. in Templo ſtante affirmat, tum impurorum hæreticorum par Vergerius lib. quem impudentiſſimè inſcripſit contra Idolum Laureti, & Illhyricus in centuria mendaciorum Papiſtarum. Sed ſtat, ſtabitque cum cælo cæleſtis domus prodigiorum officina, & noſtræ ſalutis Regia, nec vllam rimulam aperire potuerunt machinis ſuis mendaciorum architecti, nam rerum Domina pro domo ſua perorat, æternus Pater Filij ſui patrias ædes, Dei Verbum ſuum Auguſtale, ſuum thalamum S. Spiritus, propugnant, & continuatis miraculis illuſtrant. Propugnant, & celebrant Lauretanam domum hiſtoriographi graues Blondus l. 1. de Ital. illuſ. c. 5. Baptiſta Mantuanus de Lauretana æde, & eius origine, Hieron. Angelita Recinetenſis Reipub. ſecretarius, Leander Albertus in ſua hiſtoria Caniſ. l. 1. de Deip. c. 25. Horatius Turſellinus in hiſt. domus Lauret. Iac. Gretſerus l. 2. de ſac. pereg. c. 3. Rutilius Benzonius l. 6. de

Iubil. Fr. Turrianus lib. de ea æde contra Nouatores, & alij, vnde nihil addendum eſt. Hanc ædiculam magni Miſterij conſciam in ſuis anguſtijs auguſtiſſimam in alia circumædificata Baſilica incluſam fuiſſe teſtantur S. Hieron. de loc. Heb. & Beda de locis ſanctis c. 16. Imo conſtructam fuiſſe hanc Eccleſiam ab Apoſtolis tradit Adrichomius in Zabulon & collocatam in ea cathedram Archiepiſcopalem. Huius Eccleſiæ, quam *domum Annunc. B. V. Mar. & Incarnationis Dominicæ* apellat, exactiſſimam deſcriptionem inuenies apud Fr. Quareſmum t. 2. ſuæ Elucid. l. 7. c. 1. pereg. 3. ſubiungentē nunc Seraphici ordinis familiam ibi habitare, & ſacra facere. Enarrat quoque fusè venerandæ domus Lauretanæ translationem primum in Illhyricum prope oppidum, quod flumen appellatur, tum in Italiam, ac deinde difficultates contra hiſtoriam peregrinæ diuinæ ædiculæ egregiè reijcit. De tempore, quo Italiam conſecrauit hoc tot magnorum Myſteriorum Auguſtale conſulendus eſt Hieron. Angelita, qui hoc accidiſſe ait an. repar. ſal. 1294. 10. die dec. Bonifacio 8. Summo Pontifice. Quomodo Deus, Deique Mater in æde Lauretana miro quodam modo ſuam præſentiam declarent perpetuis miraculis, horrore quodam religioſo in eius aditu incuſſo, Peccatorum conuerſionibus, & alijs innumeris modis eloquentiſſimè deſcribit Horat. Turſell. in præfat. ad hiſt. Lauret. Concludam itaque hęc pauca ſuauiſſimis verſiculis Antonij Mauritij, qui ad B. V. Lauret eiuſque venerandam ædem conuerſus ſic canit.

Quænam igitur Regū ſedes, quæ Templa per orbem

Huic ſe auſint conferre loco? ter, & amplius omnes
Ante alias felix Piceni littoris ora,
Cui Solymos ſpectare domi, cui munere Diuum
Fas calcare domi Domini eſt veſtigia Chriſti.
En ego iam ſupplex procumbam, atque oſcula figã
Parietibus ſanctis, ſpargámque hoc puluere crines.
Aſpice me ſuperis e ſedibus, adſpice Virgo
Proſtratum, atque imo gemitus ex corde cientem.

An Angelus in corpore aſſumpto clauſum cubiculum penetrarit?

VII.

AFfirmat hoc Angelus Ancomitanus ſuper miſſus eſt, placetque Dyoniſ. Carthuſ. l. 1. de laud. Deip. a. 25. Refragatur Delrius l. 2. mag. q. 17., & confirmat ex teſtimonio Sagarum, quæ fatentur ſe nunquam per clauſa oſtia intromitti, ſed facto aditu, & deinde in priſtinam formam reſtituto. Inconceſſum eſt ergo probabiliter Angelicæ naturæ priuilegium penetrationis in corpore aſſumpto, ac delato. Inueniſſe Angelum cubiculum clauſum teſtatur S. Bern. ſuper Miſſus eſt his verbis. *Suſpicandum non eſt, quod apertum Angelus inuenerit Virginis oſtium, cui nimirum propoſitum erat fugere hominum frequentiam, vitare colloquia, ne orationis ſilentium perturbaretur.* Potuit tamen Angelus vel in corpore aereo aſſumpto ingredi ſine penetratione corporea thalamum Marianum, vel poſt ingreſſum ſuum, corpus aſſumptum in illo formare.

Et ſub qua humana ſpecie?

VIII.

IStud corpus non ſub ſpecie adoleſcentuli concinni, vt Pictoribus, & Poetis licentia

ſingendi audaciſſimis placet, ſed ſub ſpecie honeſti Viri aſſumpſiſſe Nuncium cęleſtem probat Card. Viguerius chorda 1. c. 18. videturque decentiſſimum. Aſſentior tamen Pictoribus, quoad genuflexionem indicem venerationis debitę Dei Matri, & auguſtiſſimę corporati Numinis conceptioni, quam nunciabat. Probat hoc Benzonius in explicatione Salut. Ang. Etiam B. VIRGO vt Alb. Mag. deſcribit c. 63. *orans inclinatis genibus, & eleuatis puris manibus, ac erectis in cælum oculis tunc tota diuinis vacabat, & in hoc ſitu aduenientem Angelum excepit. Mater Domini* ait quoque S. Auguſt. de mirab. Sac. Script. l. 3. *orans verbo Angeli annunciantis ſine vllo incredulitatis, aut inobedientiæ obiecto conſenſit.*

Prima ſalutationis Angelicæ vox AVE expenditur.

IX.

ANgelicum cum B. Virgine diuerbium Spiritu Sancto dictante calamo Scribæ velociter ſcribentis, nimirum Sacri Euangeliſtæ Luc. 1. deſcribitur, & egregia paraphraſi a Gullielmo Paruo in cat. Delrij in cant. c. 4. ſ. 1. v. 11. §. 4. Francone Abb. in opere de gratia tom. 6. & alijs innumeris exornatur. Inter recentiores totam Angelicam legationem, & B. V. reſponſa piè, & eruditè exponit Io. Baptiſta Nouatus de Em. Deip. t. 1. c. 7. a. 9. nona vſque ad 54. Ipſum primum elogium cæleſtis Nuncij varijs modis explicant SS. Patres. Circa initium Salutationis ab AVE, quod in verſis litteris EVA redditur ſic argutatur S. Fulg. ſ. de laud. Virg. *Cum dixit Aue oſtendit*

ex integro iram excluſam prima ſententia, *&* *plena benedictionis gratiam reſtitutam*, Ad hoc alludere videtur Eccleſia Cathol. ſic B. V. in hymno alloquens.

Sumens illud Aue
Gabrielis ore
Funda nos in pace
Mutans Eua nomen.

Et iure, nam vt piè philoſophatur S. Io. Chryſ. hom. de interd. arbore *Mors per Adam, vita per Chriſtum. Euam ſerpens ſeduxit, Maria Gabriel conſenſit*; *ſed ſeductio Eua detulit mortem, conſenſus Mariæ peperit ſæculo Saluatorem. Reſtauratur per Mariam, quod per Euam perierat &c.* In eodem ſenſu loquuntur D. Auguſt. de Symb. ad Catech. l. 3. c. 4. S. Greg. Nyſſ. S. Irenæus S. Iuſtinus Martyr in dial. cum Tryphone, S. Bern. ſ. de laud. Virg. Rup. Abb. l. 2. in cant. & alij.

De elogio B. V. ab Angelo ante legationem præmiſſo præſertim ad illa verba GRATIA PLENA.

X.

IVre ante expoſitionem diuinæ legationis ab Angelo præmiſſum fuit Elogium B. V. ex D. Th. 3. p. q. 30. a. 4. vt conciliaretur attentio magno cõnſilio myſterij Incarnationis. Addit Nouatus t. 1. c. 7. q. 8. vt facilius B. Virgo præſtaret aſſenſum diuinæ legationi. Certè magis eius humilitas illuſtris fuit; nam vt inquit S. Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt *non magnum eſt eſſe humilem in abiectione; magna profectò & rara virtus humilitas honorata.*

Illa verba GRATIA PLENA quæ in tantam commen-

commendationem B. V. cedunt non placent hæreticis nouatoribus ſemper Dei Matris infenſiſſimis hoſtibus. Marbacchius hæreticus apud Carthag. t 2. l. 5. hom. 5. impudentiſſimè hæc habet. *Latinus veſter interpres, quem adeò conſtanter ſequitur latina Eccleſia, S. Luc. mentem, & ſermonem græcum non aſſequutus. perperam vertit gratia plena; debet enim legi Aue gratioſa, vel vt Bucerus gratiam conſequuta, vel gratis dilecta vt Beza, vel gratificata vt Bulingherius, vel grata Deo practicè ſicut Sarcerius, vel cui Deus fauet vt Loſſius, vel accepta vt Caſtalion, vel quæ in gratiam recepta ſit vt Herigius, vel cuius conſuetudinem omnes ambiunt vt Culmanus.* Sed hæretici talpæ in tam bono lumine prorſus cæcutiunt, nam omiſſis Patribus latinis S. Auguſt. in Enchyr. S. Pet. Chryſol. ſ. 142. S. Ambroſ. in Luc. Beda in idem c. 1. Luc. Rup. Abb. l. 1. in cant. B. Pet. Dam. ſ. 3. de natiu. Mar. S. Bern. hom. de Nat. Mar. & alibi paſſim, ac demum thelog. Principe Angel. Doct. q. 27. a. 5. cui ſubſcribunt omnes Doct. ſcholaſtici, & alijs innumeris, ipſi Græci PP., quos ignaros græcanicæ linguæ ſcioli Lutherani, & Caluiniani magiſtelli inficiari non poſſunt vnanimi conſenſu ita interpretantur. Hi ſunt potiſſimum S. Athan. in Euang. de Sanctiſſima Deip. S. Epiph. Cypri Epiſc. in or. de B. V. Chryſippus Præsb. Hieroſol. ſ. de S. Mar. S. Io. Damaſc. in feſto Ann. Mar. Greg Ep. Neocæſ. hom. de Ann. B. Mar. And. Cret. ſ. de S. Mar. Deip. & alij. S. Ephrem. Syrus Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, cui græcæ linguæ peritiam Baſil. Mag. impetrauit, vt refert Caniſ. l. 3. de Deip. c. 7.

his

his verbis B. V. Salutat. *Aue Domina Maria gratia plena, Aue in mulieribus Virgo beatiſſima.* Imo ex hac plenitudine gratiæ varijs SS. Patrum Elogijs explicata eruit argumentum ad probandum Maternitatem Dei, ipſam Matrem Virginem Santificaſſe Martinez de Ripalda de ente ſupernat. loc. ſupra rel.. Omnes cum S. Hieron. ſ. de Aſſumpt. fateri debemus *quod cateris per partes, Maria verò tota ſimul ſe infudit gratia plenitudo.* Seraph. Doctor Bonau. vocat *plenitudinem gratia* in Maria *plenitudinem prarogatiua* his verbis. *Chriſtus plenus fuit gratia plenitudine ſuperabundantia, quoniam de eius plenitudine omnes accepimus, Virgo fuit plena plenitudine prarogatiua, reliqui Sancti pleni fuere plenitudine ſufficientia.* In eodem fere ſenſu loquutus eſt S. Th. 3. p. q. 27. a. 1. cum dixit. *Rationabiliter credimus, quod illa, qua genuit vnigenitum plenum gratia, & veritatis pra omnibus alijs maiora priuilegia gratia acceperit.*

An hac plenitudo gratia gratiam dicat in B. V. ſupra omnium aliorum SS. gratiam collectiuè maiorem?

XI.

PAter Vaſquez t. 2. in 3. p. d. 119. n. 8. dicit hoc non poſſe definiri, cum nobis non conſtet de numero Angelorum, aliorumque Sanctorum, neque de gradibus gratiæ, & gloriæ ſingulorum. Sententia tamen affirmatiua multorum Patrum, & grauiſſimorum Doctorum teſtimonio probatur. Fauent Idiota l. 6. t. 3. biblioth. Patrum S. Ephrem. de laud. Mariæ S. Anſel. l. de cont. Virg. B. Pet. Dam.

Dam. ſ. de Nat. Mar. B. Laur. Iuſtin. ſ. de Nat. Virg. S. Hildeph. ſ. 2. de Aſſ. S. Athan. ſ. in Euang. de Sanct. Deipa. S. Greg. Mag. in c. 1. Reg. S. Bernardinus Sen. ſ. 6. S. Io. Damaſc. or. 1. de dorm. Virg. S. Io. Chryſ. in ſ. quem Eccleſia refert in feſto Nat. Mar. S. Anton. 4. p. t. 15. c. 20. S. Pet. Chryſol. ſ. 140. S. Bonau. in ſpec. c. 5. S. And. Cret. ſ. de dormit. Deip & alij. Sapientiſſimus Idiota ſic expreſsè loquitur. *SS. omninm priuilegia o Virgo omnia habes in te congeſta: nemo æqualis eſt Tibi, nemo maior Te, niſi Deus*. D. Bernardinus Sen. ad illum locum eſtheris 1. *Poſuit diadema regni ſuper caput eius, & voluit eſſe Reginam* ſic ait. *Iſtud eſt diadema ſpeciei, & corona gloriæ, qua Virgo ſuper Angelos coronatur, vt citra Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit euecta, ac plus Beatiſs. Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat & fruatur, quam omnis alia pura creatura ſimul ſumpta*. Accedunt multi Doct. Scholaſt. & alij, Dyon. Carthuſ. l. 1. de laud. Virg. Gulliel m. Pariſ. in roſario aureo Fr. Suarez in comm. 3. p. ad q. 37. S. Th. Sebaſt. Barradius in concord. Euang. adductis alijs author. Io. Carthag. t. 2. lib. 5. hom. 7. Bernardinus de Buſto l. de Ann. ſ. 5. Angelus Cæleſtinus in c. 1. Luc. Onuphrius Mareſcalcus ſ. de Annunc. Henricus Henriquez l. de fine hominis ad c. 10. Mauritius in vita Deip. Mar. vbi refert reuelationem factam de B. Virgine S. Th. Cantuarienſi in hæc verba: *Maiorem gloriam habet ipſa ſola, quam omnes ſimul Angeli, & Sancti*. Pet. morales l. 2. tract. 9. Vincentius Regius l. 1. elucid. Euang. c. 5. Salazar in prou. c. 31. Nouatus t. 2. c. 6. q. 24. Fran. Venetus

netus in harmon. mundi cant. 1. t. 5. c. 6. Fa-
uere quoque videntur Ludou. de Ponte l. 3.
in cant. exhort. 18. & Vbertinus Caſalius l. 4.
arb. vitæ c. 38. & Io. Gerſon in Magnif. tract.
10. His addi poteſt quod S. Birgit. per reuela-
tionem ſe accepiſſe ſcribit l. 1. reu. c. 31. in
hæc verba. *Non eſt aliqua virtus in aliquo ſpi-
ritu, ſiue in corpore aliquo, quam ipſa (*ſcilicet
B.V.*) non habeat excellentius.* MARIAM Deip.
ſuæ gratiæ plenitudine ſingulos homines, &
Angelos ſanctos exceſſiſſe certum videtur
iuxta illud Io. Damaſc. iam relatum ſic allo-
quentis B. Virginem. *Solo Deo excepto cunctis
ſuperior exiſtis.* An eam plenitudinem gratiæ
habuerit, quæ gradus omnes gratiæ Angelo-
rum, & hominum ſanctorum ſimul ſumptos
excesserit non audeo definire. Pia ſententia
eſt, & in eam valde inclino. *Inter animas
SS. & Angelorum choros ſupereminens, & euecta
merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit*
ait B. Pe. Dam. ſ. de Aſſ. & apertius B. Laur.
Iuſtin. loc. cit. his verbis. *Meritò quidquid
honoris, quidquid felicitatis habetur in ſingu-
lis, hoc totum abundat in Virgine.* Sic etiam
plenitudinem gratiæ, de qua loquimur expli-
cat S. Bern. ad illud Eccl. 14. *In plenitudine
SS. detentio mea. Ideò in plenitudine SS. Ma-
ria detentio fuit, quia in mirifica perfectione
ſua plenitudo perfectionis omnium SS. illi non
defuit.* Pro ratione tantæ plenitudinis gratiæ
nihil aliud adduci poteſt, quam illud And.
Cret. ſ. de dormit. Deip. & referuntur apud
Euthym. ſ. de Zona Virg. *Si quid, quod nos
ſuperat in ea diuina gratia eſt operata nemo mi-
retur intuens ad nouum, & ineffabile quod in ea*

peractum

peractum eſt myſterium ab omni infinitate infinities infinitè exemptum. Vnde concludendum eſt cum S. Greg. Thaumaturgo ſ. de Ann. dicendo *quod in ea totus gratia theſaurus reconditur* iuxta illud Eccl. 24. *In me omnis gratia via*.

Angelicum cum B. V. diuerbium aliquibus notis illuſtratur.

XII.

ALia verba nuncij cæleſtis, & Mar. Deip. reſponſa miris expoſitionibus explicant SS. Patres, quæ in elogia luculentiſſima B. V. cedunt. Plures refert Io. Carthag. t. 2. l. 5. hom. 8., & ſeq. In turbatione ad Angeli alloquium virginitatis inuiolabilis, & prudentiæ incomparabilis ſtudium elucet. S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. exclamat. *Diſce Virginem moribus, diſce verecundia &c. Quod turbata eſt* inquit S. Bernar. ſ. 3. ſuper miſſus eſt *verecundia fuit virginalis, quod non perturbata fortitudinis, & quod tacuit, & cogitauit prudentia. Quid eſt* ſcripſit etiam aureo calamo Chryſol. ſ. 140. *quod Perſonam videt, & de ſermone turbatur; quia venerat Angelus blandus in ſpecie, fortis in bello, mitis in habitu, in ſermone terribilis, humana proferens, & diuina repromittens, vnde Virginem, quam leuiter viſus ſollicitauerat, nimium turbauit auditus, & quam miſſi præſentia parum mouerat, concuſſit toto pondere mittentis authoritas*. Humilem itaque Virginem tanta legatio de concipiendo ęterno Verbo concuſſit, fuitque virtutis motus, non naturæ illa turbatio. Primum Marianum reſponſum. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?*

tanquam

tanquam virginitatis amore, & prudentiæ laude refertiſſimum ornatiſſimis encomijs celebrant SS. Patres præſertim S. Io. Chryſ. hom. 29. in Gen. S. Bern. h. 4. ſuper miſſus eſt Ven. Beda in c. 1. Luc. S. Anſ. l. de excell. Virg. c. 3. S. Bonau. in c. 1. Luc. Alb. Mag. ſuper miſſus eſt, Hugo de S. Vict. de perp. Virg. Mar. & alij. Aurea ſunt de hac re Gregor. Niſſ. verba or. de Chriſti natiu. *Audi* ait *pura Virginis vocem! Angelus partum denunciat, & ipſa virginitatem amplectitur &c.* & paulò poſt. *Quomodo Mater eſt abſque viro? Ioſephum enim Sponſum quidem noui, virum autem non cognoſco &c.* Hunc fuiſſe ſenſum illorum verborum teſtantur Auguſt. Bernar. Anſel. Ambroſ. & alij apud Carthag. t. 2. l. 5. hom. 11., vt votum ſeruandæ perpetuæ virginitatis iam emiſſum indicarent. Nec obſtat quod B. V. loquuta fuerit de præſenti *non cognoſco*, quia eadem vox futurum deſignat apud Hebræos, vt notat Galat. l. 7. de Arc. Cum his conſentit doctrina S. Ambroſ. l. 2. in Luc. & Angel. Doct. 3. p. q. 25. a. 5. aſſerentium B. Virginem quæ ſæpius legerat, & meditata fuerat Iſ. oraculum *ecce Virgo concipiet &c.* habuiſſe notitiam magni myſterij Diuini Verbi a Matre Virgine concipiendi, ſed modum quæſiſſe admirabilem prorſus, & ignotum. Audiamus S. Bern. hom. 4. in Ann. *Non dubitat* inquit *de facto, ſed modum requirit, & ordinem. Nec enim quærit an fiet iſtud, ſed quomodo? quaſi dicat. Cum ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit eis, vt fiat iſtud? Si oportuerit me frangere votum, vt*

pariam

pariam filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito, ſin vero Virgo concipiam, Virgo & pariam, quod vtique ſi placuerit ei impoſſibile non erit, tunc ſcio verè, quia reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ.

Illa Angeli verba quæ Incarnationis Diuini Verbi modum, quem B. V. ſcire cupiebat, explicant *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, nobiliſſimis commentationibus expendunt SS. Patres præſertim B. Pet. Dam. de Ann. S. Io. Chryſ. in c. 1. Luc. S. Anſel. de concept. Virg. S. Bern. ſuper miſſus eſt S. Auguſt. in pſ. 67., & epiſt. 57. ad Dardanum S. Io. Damaſc. lib. 3. de fid. &c. Orthod. & ſcitiſſimè S. Th. 3. p. q. 32. a. 3. cum Doct. Scholaſt. omnibus. Explicatur per hæc verba id, quod fide diuina credimus, conceptum fuiſſe corporatum Verbum de Spiritu Sancto. Adſcribitur totius Trinitatis, & omnipotentiæ diuinæ miraculum ſupplentis vim actiuam Patris in generatione Ieſu Chriſti, tanquam opus ſummi amoris Spiritui Sancto, qui tamen vt docet idem Angelicus Doctor loc. cit. non eſt dicendus Pater Ieſu Chriſti. *Dicendum inquit, quod Chriſtus conceptus eſt de Mar. Virg. materiam miniſtrante in ſimilitudinem ſpeciei, & ideò dicitur filius eius. Chriſtus autem ſecundum quod homo conceptus eſt de Spiritu Sancto, ſicut de actiuo principio, non tamen ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ſicut homo naſcitur de Patre ſuo, & ideò Chriſtus non dicitur Filius Spiritus Sancti.* Sed magnum myſterium, quod tota Trinitas operata eſt in IESV Chriſti conceptione ſola Deip. Virgo, in qua corporatus Dei Filius cæpit habitare, nouit, iuxta

id,

id, quod ait Mellifluus Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt. *Sola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari, & ei datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri.*

Marianus conſenſus illis verbis expreſſus. ecce ancilla Domini &c. celebratur.

XIII.

AD hunc conſenſum Virgineum exprimendum tota Angelica legatio inſtituta erat, *Aue gratia plena* ait S. Pet. Chryſol. ſ. 43. *Hac gratia, qua dedit Cælis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam.* Ad hoc admirabile reſponſum ſic mellifluo ore, & calamo Nutricem, & Dominam ſuam prouocat hom. 4. ſuper miſſus eſt. *Expectat Angelus reſponſum, expectamus & nos o Domina verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. In ſempiterno Dei verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui verbo ſumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc ſupplicat à te o pia virgo flebilis Adam cum miſera ſobole ſua, exul de Paradiſo, hoc Abraham, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant Patres ſancti, hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat o Domina! Reſponde Verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium Rex, & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum.* Erupit tandem Nazarena Virgo in ineffabilia illa verba. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quid egerit admirabili reſponſo paucis exprimit B. Laur. Iuſtin. ſ. de Ann. *Iſto* ait, *vnico reſponſo compleuit cælum gau-*

dio,

dio, Angelis omnibus exaltationem præbuit, captiuo ſæculo ſpem dedit, dæmones vniuerſos exterruit, aſtantem lætum fecit Nuncium, ac detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromiſit. Hęc verba, quibus B. Virgo facta Dei Mater Verbum Diuinum concepit, miris elogijs exponunt, & celebrant S. Pet. Chryſol. ſ. 140. Rup. Abb. l. 1. in cant. S. Ambroſ. in c. 1. Luc. S. Bern. ſuper miſſus eſt S. Auguſt. ſ. de natiu. & alij omnes Patres, & ſacrarum litterarum Interpretes, vnde mihi in tanti myſterij admiratione ſuſpenſo ſilendum eſt.

Quid meruerit ſuo conſenſu, & quantum?

XIV.

IN hoc ſtupendo conſenſu elucent fidei, obedientiæ, humilitatis, & aliarum virtutum prodigia. S. Bern. ad humilitatis abyſſum, in quem ſe abiecit illis verbis *ecce ancilla &c.* virgo Deipara in apice rerum, vt pote Dei Mater conſtituta ſic exclamat. *Quæ eſt iſta ſublimis humilitas, quæ honori cedere neſcit inſoleſcere gloria non nouit? Dei Mater eligitur, & ancillam ſe nominat! Virginitate placuit, ſed humilitate concepit.* Nec ſolum humilitate, ſed fide, obedientia, alijſque magnis virtutum, & heroicis actibus meruit de congruo potiſſimum in hoc admirabili conſenſu, vt eſſet Mater Dei. Hoc certum eſt apud Doctores ſcholaſticos, qui de hoc merito fusè philoſophantur, & nos ſupra aliqua diximus. Addit S. Bernardinus Sen. t. 2. ſ. 51. a. 3. c. 1. *plus meruiſſe, quam meruerint omnes Angeli, & Sancti in omnibus ſuis actibus meritorijs.* Certè, vt docent Scholaſtici Doct. & explicat Suarez

diſp.

diſp. 8. ſ. 4. cum alijs, eo conſenſu B. Virgo meruit ſaltem de congruo eam dignitatem, cui excellentior ſupra omnes gratia, & gloria debebatur. *Si igitur* concludit ipſe *terminus tam ineffabilis fuit ſuo merito proportionatus, oportet, quod meritoria perfectio huius conſenſus fuerit perfectioni ſui termini conproportionata. Ex his igitur colligi poteſt Virg. Beatam plus meruiſſe, quam omnes creaturas, tam Angelos, quam homines in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus ſuis. In fine* deinde ait. *Vnde meritò prou. vlt. de ipſa B. Virg. Salomon ait. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

Cur expreſſus fuerit à B. V. conſenſus?

XV.

CVR Deus voluerit Diuini Verbi Incarnationem à B. V. conſenſu pendere plures rationes adducit Io. Baptiſta Nouatus t. 1. de emin. Deip. c. 7. q. 38. ex SS. Patribus, lucu-lentiſſimas præſertim ex Methodio martyre or. in hypap. D. Bern. ſ. 18. in cant. Andrea Hieroſol. ſ. de Aſſumpt. & alijs. Vnus S. Th. 3. p. q. 30. a. 1. audiendus eſt. *Nam per Angeli annunciationem* ait *expectabatur conſenſus Virginis loco totius naturæ humanæ in ſpirituali illo matrimonio inter Filium Dei, & humanam naturam.* Hæc eſt Virgo ait S. Hildeph. ſ. 2. de Aſſ. *in cuius vtero omnis Eccleſia ſubarratur, & coniuncta Deo fœdere ſempiterno creditur.*

An conſenſerit etiam morti Filij, & inſtitutioni Auguſtiſſimi Sacramenti?

XVI.

EO momento conſenſiſſe B. Virginem, vt Filius Dei, quem concipiebat iuxta placi-

tum

tum Patris in cruce moreretur aſſerit S. Bernardinus ſen. t. 3. ſ. 6. a. 2. c. 1. & poſt explicatam hanc ſuam ſententiam ſubdit. *Inſignum ergo, quod crucifixa, crucifixum concepit, ordinauit ſumma ſapientia Dei, quod eodem die Chriſtum conciperet, quo etiam fuit paſſus*. Fauet S. Anſel. l. de excell. Virg. c. 3. idemque habetur ex reuelat. S. Birgittæ in ſerm. Angelico c. 17. Probatur à Salaz. in c. 8. prouerb. ex illo pſ. 21. vbi Dauid in perſona Chriſti ait *In te proiectus ſum ex vtero*, & in Hebræo textu *expoſititius factus ſum apud te ex vtero matris meæ*. Addit Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 7. q. 40. conſenſiſſe etiam ſimul futuræ inſtitutioni Euchariſtici Sacramenti, quod eo momento eius menti obiectum erat, vel per peculiarem reuelationem, vel per notitiam, quam habebat arcanorum, quæ in Sacra Scriptura continentur, quorum Princeps, erat hoc myſterium fidei. Conſenſit ergo, vt ea caro, & ſanguis Filij Dei, quæ in eius virgine vtero diuinitus concipiebantur ex puriſſimis ſuis ſanguinibus, aliquando conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiam defecatam toti Eccleſiæ in vniuerſo terrarum orbe præberent vſque ad conſumationem ſæculi. Hanc ſcientiam arcanorum Sacræ Scripturæ cum prophetia etiam coniunctam in B. V. SS. Patres vbique celebrant, vt alibi oſtendam, præſertim S. Auguſt. ſ. 9. de temp. S. Epiph. de laud. Virg. Orig. hom. 6. in Luc. And. Cret. or. de Ann. Vnde iure ſic Mat. Deip. S. Epiph. loc. celſalutat *Aue Clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in eſum attulit*, *de quo Saluator Mundi Chriſtus* ait *Accipite & comedite*.

comedite. Hoc eſt corpus meum. Similia habet S. Bern. ſ. 2. de nat. Dom. De carne ait S. Auguſt. in pſ. 98. *Maria carnem accepit (de Chriſto loquitur) & ipſam carnem Mariæ nobis manducandam ad ſalutem dedit.* Hinc patet quanto iure in Euchariſtico epulo Euchariſticum gratiarum B. Virgini debeamus. Obſeruat hoc B. Pet. Dam. & docet ſ. de nat. Virg. his verbis. *Impar eſt Mariæ omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis ſuæ viſceribus cibum nobis protulit animarum, eum videlicet qui de ſe ipſo perhibet. Ego ſum panis viuus.*

Quando nam diuinum Verbum fuerit conceptum?

XVII.

IN vtero virgineo tunc tantum conceptum fuiſſe æterni Patris Verbum cum completa fuit Mariani conſenſus ſupra celebrati ſignificatio, quem expreſſit per illa verba. *Ecce ancilla Dom. &c.* communis eſt Patrum ſententia. Scio Pet. Alexandr. Epiſc. in lib. de Trin. cuius fragmentum refertur in concil. Epheſ. tom. 2. c. 7. & in Calcedon. a. 1. alioſque apud Suarez t. 2. in 3. p. d. 9. ſ. 4. & Vaſquez t. 2. in 3. p. d. 126. c. 5. aliter ſenſiſſe, ſed illa vera ſententia eſt, & omnino defendenda.

Et quomodo B. Virgo concurrerit?

XVIII.

ASſertum Catholicæ fidei certiſſimum eſt B. V. ad IESV Chriſti conceptionem materiam ſuggeſſiſſe, & vti aliæ influunt ad eam concurriſſe. Expreſsè habetur in 6. Syn.

act. 2. in Epiſt. Sophronij & apud Io. Damaſc. l. 3. fid. c. 2. dicentem. *Filius Dei contraxit ſibi ipſi ex puriſſimis, & caſtiſſimis Sanguinibus Virginis carnem animatam animal rationale.* Hic maternus concurſus in B. Virgine ſtat, quidquid ſit de quæſtione philoſophica an fæmina paſſiuè tantum concurrat iuxta Ariſtotelem 1. de gener. anim. c. 19. 20. & 29. de anim. c. 25. & 26., an etiam actiuè iuxta Hypocratem lib. de genit. & Galenum l. 6. de locis affectis, quam opinionem probabiliorem exiſtimo, defenduntque Andr. Laurent. in ſua anatom. l. 6. c. 7. Fernelius l. 7. ſuæ phyſiolog. c. 6. Veſſalius lib. de fabrica corporis humani & omnes Medici, ac Philoſophi recentiores communiter. Imò cenſeo cum D. Th. 3. p. q. 32. a. 3. materiam, de qua corpus IESV Chriſti conceptum eſt fuiſſe quidem puriſſimum B.V. Sanguinem, ſed ſalua puritate conformem materiæ, quam aliæ fæminæ ſubminiſtrant. Si quis tamen diceret in Mariana turbatione ad Angeli legationem aliquid ſanguinis purioris a corde ad vterum fluxiſſe, qui deinde cum alio ſanguine tributus fuerit conceptioni Filij non valde abnuerem, ſed fundamentũ efficax ad hanc doctrinam adſtruendam non video. Hinc reijciendi ſunt, qui abſolutè dicunt IESV corpuſculum fuiſſe ex illo ſanguine formatum, qui ſtagnabat in corde. Scio huic opinioni adhærere Pelbartum l. 1. Stellar. p. 7. a. 7. c. 1. poſt Io. Nider ſ. de Annunc. & approbari a Celada in Iuditha figurata n. 56. Sed hoc priuilegium Marianum nullo nititur fundamento, imo valde improbabile eſt, tum quia ſanguis cordis ſolus, & purus

P propter

propter ſuam ſubtilitatem ineptus eſt ad formationem humani corporis, tum quia non ita bene ſubſiſteret magnæ Virginis maternitas, ad illam enim requiritur tanquam materia ſanguis diſpoſitus ad ſuſceptionem animæ humanæ, qualis eſt ille, qui in vtero fœmineo reſidet.

An in corde conceperit?

XIX.

AVdiendi nullo modo ſunt qui dicunt Chriſtum Dominum fuiſſe conceptum in corde Virginis Matris, ſi localiter loquantur. *ex corde B. Virginis* (& hoc veriſſimum eſt) vt ait Rich. a S. Laur. l. 2. de Deip. p. 2. *proceſſerunt fides, & conſenſus, per quæ duo initiata eſt ſalus Mundi, & ipſum cor eius præ omnibus creaturis dignum inuentum eſt exeuntem de corde paterno primò ſuſcipere Vnigenitum Dei, quando ſcilicet cor Patris eructauit Verbum bonum, quod de ſinu Patris egrediens in ſinum Matris Virginis ſe recepit.* Idem ſenſus eſt verborum Adami de Perſe in allegor. Filmanni cum dixit circa illud Eccleſ. 24. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis, Chriſtum propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum veniſſe de corde Patris in cor Virginis.* In alio ſenſu locali commentum prorſus eſt inſulſum, & fictitium.

An cum præſentia definitiua?

XX.

ACrius adhuc repellendi ſunt illi, inter quos eſt Mayro in 3. d. 4. q. vnica, qui ſentiunt Chriſtum Dominum poſitum fuiſſe in ipſa conceptione, & deinceps cum præſentia definitiua in materno vtero, quia aliter ſine

nouo

nouo miraculo prodire in lucem ſalua corporis virginei integritate non poterat. En vt nouo miraculo parcant, multa illos ineptè & ſine fundamento miracula prodigere, neceſſe eſt! Præterquam quod illa præſentia fuiſſet ſupernaturalis in ſubſtantia, vt oſtendunt Doct. ſcholaſtici in tract. de Euchar. Sacram. & abſque nouis continuatis miraculis IESV corpuſculum definitiuè locatum non potuiſſet exercere ſenſationes, & alias operationes organicas materiales, quæ aliquam extenſionem requirunt, vnde ſuam ſententiam ijs, quibus armant argumentis, iugulant. Admitti tamen debent aliqua inter Chriſtum Dominum in vtero materno, & ſub ſpeciebus Euchariſticis conſtitutum paralella, quæ eruditè affert Turrian. l. 2. de Euchar. c. 17. Illud potiſſimum placet de quo diſſerunt Clyctouæus ſ. de viſitat. B. V. & Salazar. in c. 9. prouerb. Quod ſicut in Euchariſtia Chriſtus tegitur ſub ſpeciebus, & hoc ſacro inuolucro contectus colitur, ita in materno vtero incluſus, tum a Ioanne intra matris viſcera exiliente, tum a circumſtantibus pluſquam ſexaginta Fortibus, Angelicis nimirum Spiritibus, thronum regium veri Salomonis, colebatur.

An in inſtanti?

XXI.

AN fuerit IESV conceptio facta in tempore, vel inſtanti pendet ex ijs, quæ importat conceptio filij in vtero matris. S. Th. 3. p. q. 33. a. 1. aſſerit formationem corporis, in qua principaliter ratio conceptionis conſiſtit factam fuiſſe in inſtanti. Angelicum Doct.

ſequuntur omnes fere theologi. Fauet S. Baſilius apertiſſimis verbis hom. 25. de hum. Chriſti gener. & expreſſius etiam S. Io. Damaſc. l. 3. de fid. c. 2. vbi hæc habet. *Dei Filius per Spiritum Sanctum ſibi corpus condidit non ita, vt paulatim tacitis incrementis figura corporis abſolueretur, ſed vno, eodemq; momento abſolueretur, & perficeretur.* Intelligendus eſt S. Th. facere momentaneam ipſam filij generationem, non tamen præambulum ad illam puriſſimi ſanguinis concurſum, qui eſſentialiter ratione motus localis tempus includit, nec poteſt eſſe in inſtanti. Hoc aduertit doctiſs. Suarez t. 2. in 3. p. d. 11. ſ. 2. quidquid in contrarium dicat Nouatus t. 1. c. 7. q. 34.

Addo cum S. Th. 3. p. q. 6. a. 2. & latius q. 33. a. 1. & 2. alijſque theologis eodem momento & corpus Chriſt. Dom. organizatum fuiſſe, & animam creatam, corporique infuſam, imo hæc omnia per vnionem hypoſtaticam diuino Verbo vnita. Error Origenis fuit l. 2. Periarchon c. 6. Animam Chriſti Dom. cum omnibus alijs animabus creatam fuiſſe a principio vniuerſi, atq; inſeparabiliter Verbi diuini ſubſiſtentiæ vnitam, antequam eius corpus in vtero virgineo formaretur. Fuit hic error, de quo videri poteſt Niceph. l. 17. hiſt. c. 27. damnatus in conc. Conſtantinopol. can. 2. & in 6. Syn. in Epiſt. Sophronij. Hunc eundem errorem damnat Leo Papa epiſt. 9. contra Eutichen, & Anaſtaſius Papa, vt habetur in t. 2. concil. dicens ſimul atque B. Virgo protulit *Ecce ancilla Domini*, & animationem, & aſſumptionem fuiſſe completam. In concil. Conſtantinopol. hæc verba expreſsè habentur

Caro

Caro Dei Verbi Chriſti concepta in vtero Virginis, & ſimul animata caro, & animata caro, ſimul Verbi Dei caro.

An concurrerit B.V. vt inſtrumentum eleuatum ad productionem vnionis hypoſtaticæ?

XXII.

IN hac queſtione conſulendi ſunt Doct.ſcholaſt.quia theologicum prorſus negotium eſt. Affirmat Io.Bapt. Nouatus t. 1.c.7.q.37. negat Suarez t. 1.in 3.p. d. 10. ſ. 1.. Si loquamur de poſſibili non video implicantiam in hac eleuatione admiſſa potentia obedientiali,cum in ea ſuppoſitione vnio hypoſtatica ſit aliquid creatum, & conſequenter ad eam efficiendam omnipotentia Dei vti poſſit inſtrumentali concurſu creaturæ eleuatæ. De facto videtur probabilior ſententia negans, quia magnum opus vnionis hypoſtaticæ in ſacris litteris ſoli beneficæ Dei miſericordiæ attribuitur. Sunt etiam aliæ rationes, quæ legi poſſunt apud Doct. ſcholaſt.. Scio tamen contrariam ſententiam aliquibus Patrum ſuffragijs non carere, præſertim D. Bern. l. 5. de conſider. c. 10. & clarius D.Ambroſ.epiſt.82. vbi ait. *Per hominem, & mulierem caro eiecta eſt de Paradiſo: per Virginem iuncta eſt Deo.* At commodè hæc, & alia ſimilia, ſi quæ ſunt, explicari poſſunt de efficientia humanitatis,quæ diuini Verbi ſubſiſtentiæ vnita eſt. In hoc ſenſu Eſichius hom. 2.de B. V. in c. 1. biblior. *inſtrumentum incarnationis* eandem apellat. Omnis vera, & propria maternitas ſine hac eleuatione defenditur,cum vero, & proprio termino actionis generatiuæ, qui eſt vnio in-

ter animam, & corpus. Vnde vnio hypoſtatica fuit per aliam actionem a ſolo Deo ad ipſam terminata.

An Chriſtus Dominus habeat in ſuo corpore aliquas partes animatas prius anima B. Virginis?

XXIII.

HVius queſtionis ſolutio pendet a materia, ex qua corporati Verbi diuini corpuſculum conflatum fuit, & quidem iuxta varias ſententias philoſophicas. Si B. Virgo ſubminiſtrauit puriſſimum ſanguinem in ſemen puriſſimum conuerſum ſine vlla inordinatione, ac ſenſu voluptatis, quam opinionem approbat S. Anſelm. c. 14. de conc. virgin. nec improbant grauiſſimi Doct. Suarez, & Sanchez, cum ſemen ſit animatum, ſententia affirmatiua ſubſiſtit. Si quod probabilius eſt ex puriſſimo B. Virginis ſanguine tantum, fuit formatum IESV Chriſti corpuſculum iuxta varias ſententias de ſanguine animato, vel non animato definienda queſtio eſt. Animatum eſſe ſanguinem docent Conradus in comm. c. 2. q. 64. a. 1. Caiet. 1. p. q. 11. a. 1. & alij multi, præſertim recentiores, defenditque acerrimè Nauatus tom. 1. c. 7. q. 18. Hoc multò magis militat ſi B. Virgo tranſmiſit aliquam partem ſanguinis purioris cordis, & vitalium ſpirituum, quos eſſe animatos probat Iulius Cæſar Scaliger exercit. 270. in Cardanum. Hinc *a coniunctione cum auctore gratia* iure arguit S. Th. *plenitudinem gratiæ:* hinc illa *ineffabilis identitas* Io. Damaſc. inter Deum, & MARIAM, de quibus ſupra diximus. In hoc ſenſu

magis

magis congruunt verba S. Bern. in c. 12. Apoc. ſic B. V. alloquentis. *Quam familiaris es facta es Domina, quam proxima, imo quam intima fieri meruiſti? Quantam inueniſti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo.*

An in conceptione inauguratus fuerit in Regem Iudaeorum ex materna ſucceſſione?
XXIV.

ASſerunt aliqui in conceptione Filij Matrem Virginem Regni Iudaici hæredem a ſe abdicaſſe in gratiam ipſius, & in eum omne ſuum dominium tranſtuliſſe. Hæc abdicatio nec valde illuſtrat Matrem, nec ditat Filium, qui alijs titulis ſolidioribus erat in conceptione ipſa Rex Iudæorum, & omnino commentitia eſt. Scio aliquos Imperatores in gratiam Liberorum ceſſiſſe dominio regnorum. Sed vbinam ſunt, quidquid ſit de iure hæreditario regni Iudaici, Marianæ illius ceſſionis tabulæ, vbi Tabellio, vbi teſtes? Scio etiam illud cant. c. 3. *egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius* ab aliquibus de tempore Incarnationis explicari nō ſolum PP. ſed etiam priſcis Rabbinis apud Galatinum l. 3. de arc. c. 26. ſed de ſupernaturali inauguratione loquuti ſunt. Cum vnione hypoſtatica identificata. Vnio hypoſtatica fuit in Chriſto Domino titulus plane diuinus omnis dominij, tum iuriſdictionis, tum proprietatis rerum prorſus omnium, vt demonſtrat Card. de Lugo in tract. de Incar. cum alijs Doct. ſcholaſt. communiter. De eius regno etiam,

quod nimirum fuerit verus ſecundum humanitatem temporalis quoque Rex Regum, & Dominus dominantium, & conſequenter Mater Virgo vera mundi Regina, & Domina rerum, eruditè differit Nouatus t. 1. c. 7. q. 22. ad illa verba. *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob; & regni eius non erit finis*. Hoc regnum temporale, ac dominium omnium in Chriſto Dom. adſtruunt S. Anton. 3. p. t. 3. c. 2. Auguſtinus de Quiros in epiſt. B. Iudæ Apoſt. Aluarus Pelagius l. 1. de planctu Eccleſ. a. 37. 40., & 59. Almainus de poteſtate Eccleſ. c. 8. Salazar in c. 8. prouerb. Suarez t. 1. in 3. p. d. 4. ſ. 2. Vaſquez in 3. p. d. 87. c. 2. & alij innumeri iuxta illud Matth. 1. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Sed verè ex hoc titulo regnum omne Matris, vt infra videbimus, & dominium mediatum eſt per Filium, ſiue in Filio Rege vero ac Domino, quod innuit aureis verbis Pet. Chryſ. ſ. 142. ad illa verba huius myſterij. *Ne timeas Maria. Maria* ait *ante cauſam dignitatis Virginis annunciatur ex nomine; nam Maria Hebraico ſermone latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit authoritas.*

An conſenſu ſuo B. V. meruerit ſalutem humani generis?

XXV.

AFfirmat Salazarius in cap. 3. prouerb. de congruo tamen, & ex quadam decentia, eique ſubſcribit Nouatus t. 1. c. 7. q. 42. ex D. Bernar-

Bernardino Sen. tom. 3. ſ. 6. a. 2. c. 2. cuius hæc verba ſunt. *Virgo per hunc conſenſum in Incarnatione filij omnium electorum ſalutem viſceroſiſſimè expetijt, ac procurauit, & omnium ſaluti, ac ſaluationi per hunc conſenſum ſe ſingulariſſimè dedicauit*, ita vt ex tunc omnes in ſuis viſceribus baiularet tanquam veriſſima mater filios ſuos. At affectum illi S. Bernardinus tribuit, non meritum, vnde non audeo quæſtionem iuxta hos Doctores definire. Hoc meritum Filio tribuendum eſſe, & de condigno nemo dubitare poteſt iuxta illud pſ. 126. *ecce hæreditas Domini Filij merces, fructus ventris.*

An eo momento, quo in conceptione Filij facta eſt Mater Dei habuerit viſionem beatam?

XXVI.

HÆC quæſtio in vltimo capite huius vitæ Marianæ deciditur. Interim ſciendum eſt pro parte affirmatiua patronos non deeſſe. Certum eſt B. Virginem per conceptionem Filij ſui factam eſſe veram Dei Matrem. *O magnæ admirationis gratia!* exclamat Orig. hom. 1. in diuerſ. *O inenarrabilis ſuauitas! O ineffabile, magnumque Sacramentum! Ipſa eadem Virgo, & Mater Domini, ipſa & genitrix, ipſa eius ancilla, plaſmatio eius ipſa, quæ genuit! Quis vnquam iſta audiuit? Quis vidit talia, & quis cogitare potuit? &c.* Obmuteſcat igitur cum veteratore angue magnæ Virginis calcaneo inſidiante multiceps lernæa hæreticorum hydra, & ſibilantia capita tacito hiatu demittat, omneſque generationes beatam illam dicant, quia veram Dei genitricem, de

qua (pro omni laudum epitome vnicum hoc Angelicum decantetur elogium) *natus eſt Ieſus*. Non *Chriſtipara* tantum eſt, vt impius hæreſiarcha Neſtorius aſſerebat, ſed *Deipara, ac Theotocos*. Hunc illi titulum firmarunt præſertim Patres concil.Calcedonenſis,cuius hæc verba ſunt, omnium Patrum, ac totius Eccleſiæ Catholicæ ore prolata. *Chriſtus Deus eſt: Sancta Maria, Deipara ſcribatur. Qui non ſic ſapit hæreticus eſt. Neſtorianos mitte foras*. S. Ignatius Antiochenus coæuus Apoſtolorum, & ipſius Diuini Verbi loquentis auditor hæc habet. in epiſt. ad Trallianos. *Verè genuit Maria corpus habens in ſe Deum habitatorem. Verè natus eſt Deus verbum ex Virgine veſtitus corpore*. Vnde bene concludit S. Cyrillus Neſtorianæ hæreſeos profligator in epiſt. 1. *Sola inter cæteras Matres Sacra Virgo Chriſtipara ſimul, ac Deipara apellatur, & eſſe dignoſcitur, quandoquidem vna hæc non merum hominem vt cætera ſolent, ſed Dei Patris Verbum incarnatum, & hominem factum peperit. Non ſolum antiquiorem ſe Maria peperit, ſed & ipſum ſui authorem, omniumq; progenitorem. Facta eſt parentis parens, quia quam facile Deo fuit, vt hominem naſci faceret, tàm facile fuit, vt ipſe ex homine naſceretur*. Inſtantia illa Neſtoriana, quod B. V. nunquam in Sacris Scripturis Dei Mater nuncupetur plumbeus pugio eſt, nam litteræ diuinæ illam veram IESV Chriſti Matrem dicunt, & hunc verum Deum, vnde patet, ipſam eſſe verã Dei Matrem, vt notat theoligorum Princeps D Th. 3. p. q. 35. his verbis. *Licet non inueniatur expreſsè in ſcriptura dictum, quod B. V. ſit Mater Dei; inuenitur tamen expreſsè in ſcriptura, quod*

Ieſus

Ieſus Chriſtus eſt verus Deus vt patet. Io. vlt. & quod B.V. eſt Mater Ieſu Chriſti, vt patet Matth. 1. *vnde ſequitur ex neceſſitate ex verbis ſcripturæ, quod ſit Mater Dei.*

Certum etiam eſt ingens, & inexplicabile fuiſſe gaudium Deiparæ concipientis. Iſtud egregiè explicat Rich. a S. Laur. l. 3. tractans illud in die lætitiæ cordis eius. Idem præſtat auctor tract. in magnif. tom. 9. apud S. Auguſt. opera, S. Io. Damaſc. or. 2. de Aſſumpt. Ekebertus in deprec. ad B.V. & alij Patres paſſim. *Vbi erat*, ſic Amed. Lauſan. hom. 3. B.V. affatur *anima tua, vbi cor, vbi mens, vbi ſenſus, vbi ratio? Ardebas vt rubus, qui olim oſtenſus eſt Moyſi, & non comburebatis; liquefiebas & non conſumabaris. Ardebas liquefacta ſupernis ignibus, liquefacta in igne vires reſumebas ab igne, vt ſemper arderes, & interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminoſus vnctionem præbuit, vnctio ſemen ſanctum præſtitit, in quo repromiſſum eſt Abrahæ, quod in eo benedicerentur omnes gentes.*

An in ingenti illo gaudio fuerit ſupernaturaliter conſeruata?

XXVII.

EAM fuiſſe lætitiam Deiparæ concipientis aſſerit Nouatus t. 1. c. 7. q. 43. vt neceſſaria fuerit aliqua virtus diuina peculiaris ad eam in vita conſeruandam. Eruit ex Proclo, & alijs Patribus, qui eius in conceptione beatiſſima lætitiam celebrant. S. Procli apud Boſium l. 9. de ſignis Eccleſiæ hæc verba ſunt. *Hæc* (loquitur de Deipara concipiente) *animatus naturæ rubus, quem diuini partus ignis*

non conſumpſit. Scio Diagoram Rhodium apud Gellium l. 3. noctium attic. c. 15. tres Filios Coronatos in ludis Olympicis eodem die ſpectantem, cum populus flores in eum iaceret, & filij coronas ſuas capiti paterno imponerent, præ nimia lætitia expiraſſe, & alios apud Liuium l. 2. dec. 3. & Valerium Max. l. 9. c. 12. ſimili gaudio læthali perijſſe. Sed non habemus vllum fundamentum ad dicendum gaudium Deiparæ concipientis tale fuiſſe, cum præſertim, vel a viſione beata, vel a ſcientia infuſa independente a ſenſibus proueniret, & omnes cæleſtes dulcedines vitaliſſimæ ſint. *Concipitur* inquit Greg. Nazianz. *Deus ex Virgine, vt & generationem honore afficiat, & virginitatem honore præferat.*

Ineffabilitas in Myſterio clamoris.
XXVIII.

HOC myſterium ſacroſanctum *myſterium clamoris* apellat S. Ignatius in epiſt. ad epheſios. Et tamen ineffabile eſſe clamant Patres Io. Geometra in cat. Corderij ad c. 1. Lucæ S. Baſilius Seleucienſis or. 39. S. Epiphan. or. de laud. Virg. Guarricus Abb. ſ. 3. de Ann. S. Io. Chryſoſ. or. de S. Philogonio, Amed. Lauſan. hom. 2. S. Greg. Nyſſen. hom. 13. in cant. & alij. *O Virgo Sanctiſſima* exclamat S. Epiph. *quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti! Stupendum enim eſt miraculum in cælis mulier amicta Sole &c.* & paulò poſt *mulieris filius, qui & ipſius & ſæculorum eſt Pater.* An loquantur homines, vbi Angeli in extaſi ſtuporis obmuteſcunt! Concludam ergo cum Baſilio Seleucienſi his verbis. *Ad hanc orationis partem appulſus,*

appulſus, & ad miraculi magnitudinem reſpeƈtans præ admiratione mutus ſum, & elinguis, neque enim verbis res exæquare poſſum. Quomodo inopinato celebrabo inopinam illam Incarnationis gratiam? Quibus laudibus afficiam fontem charitatis? Quomodo profuſæ charitatis in homines flumen prædicabo? Qumodo virgineum pelagus audens tentabo? &c.

Peractum eſt in hoc ineffabili *clamoris myſterio* negotium omnium ſæculorum. Hinc ſumma Auguſtiſſimæ Triadi gloria, Deiparæ Virgini dignitas, cælo, terræ, Angelis, hominibus letitia prouenit. *Hodie* inquit S. Bonau. in lib. meditat. vitæ Chriſti *eſt ſolemnitas Dei Patris, qui nuptias fecit Filio ſuo in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie Filius ſibi vniuit inſeparabiliter. Hodie eſt ſolennitas nuptiarum Filij, & dies natalis eius in vtero, ſed poſtea erit ex vtero. Hodie eſt ſolemnitas Sancti Spiritus propter hoc opus mirificum, & ſingulare ipſius Incarnationis, quod eidem attribuitur, & hodie incepit oſtendere benignitatem ſiugularem humano generi. Hodie ſolemnitas eſt glorioſæ Dominæ noſtræ, quæ à Patre in Filiam, à Filio in Matrem, à Spiritu Sancto in Sponſam eſt recognita, & aſſumpta. Hodie eſt ſolemnitas totius Curiæ cæleſtis, quia inchoatur eorum reparatio. Hodie eſt multò magis ſolemnitas humanæ naturæ, quia eius ſalus incepta, & redemptio, & totius Mundi reconciliatio, & ſublimata eſt, atque deificata.*

NVMINE FAETA
Cognatam Eliſabeth adit.
ODE.
ELOG. XII.

Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum feſtinatione in Ciuitatem Iuda, & intcoiuit in domum Zacchariæ, & ſalutauit Eliſabet. Lucæ 1.

Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me. Pſ. 17.

Suſpendite aures a ſiderum ſymphonia
muſici Cælites,
& melos audite
mellitum prorſus in terris!
Huic poterit e teſtudinata cæli ſapphyro
innocenter repercuſſa echo reddi cæleſtis.
Strophen ELISABETH,
Antiſtrophen ZACCHARIAS,
Epodon MARIA dabit.
Nullum dramma chorum habuit nobiliorem;
nullus chorus diuinius cecinit dramma,
Virginalis, Sacerdotalis, Matronalis;
tum VERBO diuino oracula perſonante,
tum VOCE humana.
Alium chorum infantuli peragunt ſaltibus
IESVS & IOANNES
intra vteri materni ſiparium.
Illud mirum quod ſine vocibus, ac verbis
VERBVM VOCI, VOX VERBO reſpondet.
Præſtat tamen choragam
interim MARIAM ſequi:

hac

hac duce Diuinitatem comitem habebimus.
Exurgens illa abit in montana,
vt quantum in terris poteſt, cælum teneat.
Illhuc rapiebat vteri virginei pondus,
in ſua grauitate ſummè leue.
Si tamen oneri potuit eſſe Deus,
portantem portans.
Altiſſimi Mater ima non nouit
præter abyſſum humilitatis;
Vbi tamen primùm fuit Altiſſimi Mater.
Quod ars non adhuc inuenit,
arte ſua gratia fabrefecit,
ex cæli ingenio
ſanctorum hominum motum perpetuum.
Ne dubita Deum ſui ſemper comprehenſorem,
Viatorem etiam eſſe poſſe in terris.
E ſinu paterno vnigenitus Dei Filius deſcẽdens
non poteſt in terris non eſſe peregrinus.
Nec lentè peregrinari permiſſum eſt Matri,
quæ Gigantem ferebat
exultantem ad currendam viam.
Cum iubemur e cęlo paternam domũ deſerere
inſerenda ſunt talaria pedibus.
Plures ſunt domi compedes lentè abeunti;
& omnis mora mors amoris eſt.
Non ſunt ab aligero amore diuino vota,
quæ pennas non habent.
Si diuturno tempore foueas,
ſæculum ſapient.
Momentum ſalutis
non horis tantum, ſed momentis librari debet.
Paradiſi fructus nunquam acerbi ſunt:
hoc ipſo quod maturè colligas, matureſcunt.
Ita Aurora Dei
etiam ante ſui Solis puerperium,

de more cæleſtium Iudææ montibus
primùm illuxit.
Adoratus eſt tamen Sol oriturus;
agnitus in Aurora prægnante,
cum roſeo ore loqueretur,
& ſplendentibus vlnis rueret in amplexus:
Ædes Sacerdotis Deus ingrediens
in Templum conſecrauit.
Licet intra SANCTA-SANCTORVM eſſet
Summus Sacerdos;
tota tamen Dei domus oracula dabat.
Sed ſupra omnia oracula erat
VERBVM Infans.

Tunc ad alta Charitas mirabiliter ſurgit, cum ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & quæ benignè deſcendit ad infima, valenter incurrit ad ſumma. S. Greg. mag. in Paſtorali.

Vbi audiuit hoc Maria non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo; ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudio in montana perexit. Quo enim iam Deo plena niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. S. Ambroſ. l. 2. in c. 1. Lucæ.

De viſitatione S. Mariæ Eliſabeth. CAP. XII.

EMpyreo nuncio in cælum reuolante Dei Mater cæleſte iter ad montana Iudeæ meditatur. Imò illud ſine mora ſtatim aggreditur pari ferè celeritate, cum

alas

alas ſuas pedibus amor inſereret, ſed felicitate maiori, nam Deum illum, quem magnus Legatus Gabriel ore nunciauerat MARIA ſuum fecerat, vteroque geſtabat. Naſciturus extra patriam in Bethlemide ſpelunca, in Caluaria rupe moriturus DEVS-HOMO, vix cõceptus cæpit peregrinari, vt orbem terrarum vnigeniti Filij Dei patriam non eſſe conſtaret, & ſecundum Adamum homines venerarentur vbique innocentem, & de cælo cæleſtem. Prima hæc fuit cæleſtis Infantis expeditio terrena, vt *antequam ſciret puer vocare Patrem, & Matrem auferrentur ſpolia Damaſci*, nimirum, vt expiato à primigenea labe Ioanne Baptiſta, primum fulmen paruula Tonantis Puppuli manus ad euertenda Tartara intorqueret, *poteſtates expolians, & principatus palam triumphans eos in ſemetipſo*. Et quidem ſpeciem triumphi potius habuit, quam pugnæ hæc diuina peregrinatio, ſuppeditante Matre ferculum triumphale, arridente cælo, ſeruientibus elementis, vniuerſa natura militante, ſuperis laureatis plaudentibus, & certatim circumſtipantibus Deum in virgine vtero viatorem. Hebron vrbs nobilis in Iudæa Tribu, Abrahæ commoratione, inauguratione Dauidis, alijſque titulis celeberrima, deſtinata erat ſacri itineris meta. Illhuc MARIA magnis paſſibus cum tota diuina familia cõtendebat nouã, atque in auditã ZACCHARIÆ, & ELISABETH Hebronitis ciuibus nõ iure tantùm ſanguinis, ſed cognatione virtutis conſanguineis ſuis, eorumque prodigioſæ proli allatura felicitatem. Enimverò quis dubitare poterit de celeritate itineris, quod conficitur Matris pedibus,

dibus, ſed Filij impulſu, cæli raptu, amoris volatu? Siue aſcenderet, ſiue deſcenderet Dei Filius ſuum nomen ACCELERA ſemper impleuit. An vlla remora retardare poterat nauē Inſtitoris de longe portantem panem ſuum, qui de cælo deſcenderat, non niſi ad auras fecundiſſimas Sancti Spiritus velificantem in mari pacatiſſimo gratiarum? Ioſephus Sponſus bonus comes Sponſæ Virgini pro vehiculo fuit, & multò magis Filius Matri, ingens quidem, ac mundo maior, ſed leuis ſarcina. Vterque Mater, & Filius gradiebantur paſſibus non ſuis, Deus MARIÆ, MARIA Dei. Aliger quoque amor totam peregrinam diuinam familiam amantem ferebat, truncabatque recto, & continenti itinere, omnia, amantibus ſemper inimica lenta parerga morarum. Auem Paradiſiacam amorem diuinum dicas, illos quibus inſidet apodes reddit, ſine pedibus, quibus terræ adhæreant, æterno volatu cæli inquilinos. Spiritus Sancti columba hodiernum *ciiò* ingeminat, non coruinum *cras*. Sæpius vnum infelicis moræ momentum perdit ęuum felicitatis. Nec tantum Filius Matri comes itineris fuit, ſed Dux, ac Soſpitator; vnde nunquam rectius, nunquam felicius itum eſt, quam hoc bono lumine monſtrante viam. Facile quoquē fuit Dei Matri ad ſuperna montiū aſcendere, cum eius cor centrum haberet in cælo, nec niſi extra propriam ſphęram iaceret in terris. Hanc eſſe virtutum viam ſcias per aſpera tendere in ſublime. Attingitur tandem à beatis curſoribus meta, inuenitque MARIA ELISABETH conſobrinam ſuam myſterio etiam, & prolis felicitate cognatam. Magnam

cogna-

cognationem inter ſe habent ſterilis,& Virgo; VERBVM, & VOX. Quo pacto ſterilis fæcunda eſſe poſſet, maiori miraculo fæcunda Virgo etiam tacens docere potuiſſet. Expediuntur libera collo caſti amoris vincula, ruitur in ſanctos amplexus, virginitas fæcundam ſterilitatem, virginitatem fæcundam ſterilitas mutua gratulatione ſalutat, VERBVM VOCI, VOX VERBO amanter reſpondet, adoratur Deus Filius in Matre, in Filio colitur Virgo Mater, tota Sacerdotis domus in Dei Templum dedicatur, & oraculis perſonat.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Viſitatione S. Mariæ Eliſabeth.

SYNOPSIS.

1. AN S. IOSEPHVS fuerit itineris comes? 2. MARIA pregnans, & viatrix ex diuina ſarcina nullam defatigationem ſenſit, & quomodo? 3. Vnde nam admirabilis feſtinatio in montana prouenerit? 4. Vterus virgineus, tum Matri prægnanti, tum Filio concepto ingentia gaudia parturiebat. 5. Eiuſdem tanquam diuini hoſpitij, magnifica encomia ex SS. Patribus cælo illum præferentibus. 6. MARIA Deo fæta, & peregrina cum ferculo Salomonis confertur. 7. Quænam fuerint montana Iudeæ, vbi Zachariæ domus? 8. Cui noua Arca fæderis peregrinans omnem benedictionem intulit.

An S. Ioſephus fuerit itineris comes?

I.

HIſtoriam huius Marianæ peregrinationis luculenta hypotipoſi deſcribit Auctor tract. in cant. Virginis, qui inter opera S. Auguſt. tom. 9. habetur. In comitatu MARIÆ peregrinantis fuiſſe Virginem ſponſum, licet refragetur Theoph. Raynaudus in Dip. Mar. p. 1. puncto 6. plerique Doctores aſſerunt Iſolanus antiquus Doctor Mediolanenſis Ordinis Prædicatorum de donis S. Ioſephi p. 2. c. 6. Morales lib. 4. in Matth. tr. 1. n. 10. Matth. Naueus, a quo refertur S. Bonauentura or. 11. de S. Ioſepho, Suarez tom. 2. in 3 p. d. 13. Salmeron tom. 3. tract. 10. ad illa verba *exurgens autem Maria* Nouarus t. 1. c. 8. q. 4. & alij, videturque eſſe communis fidelium ſenſus.

Statim

Statim inquit S. Bernardinus Sen. ſ. de S. Ioſepho a. 2. c. 1. *cum ipſo Ioſepho Virgo abijt in montana*. Hunc comitatum congrueutiſſimum fuiſſe Iſolanus ſupra relatus ſic probat. *Quamuis neminem affuiſſe viſitationi B. Virginis, & Eliſabeth diuina referant littera, nullus tamen eſt ſana mentis, catholicique ingenij, qui Mariam Virginem, teneræque ætatis ſolam domo receſſiſſe aſſeueraret.*

MARIA prægnans & viatrix ex diuina ſarcina nullam defatigationem ſenſit, & quomodo?

II.

INter cæteras B. V. prærogatiuas hoc priuilegium quoque numeratur, quod non fuerit ex grauiditate grauata, nec grauiditas fuerit triſtitiæ plena, ſed gaudiorum. *Quantò magis* ait Magnus Athanaſius or. de cenſu *venter intumeſcebat, eò ſecuriori animo B. Virgo viuebat ſimul & virginitatem incorruptam cuſtodiens, & fœtum ſine faſtidio geſtans, non tantùm partus labore feſſa, quantùm illo leuata*. Subſcribit melleis verbis mellifluus Doctor ſ. in ſig. mag. & ſingularis MARIAM priuilegij, alijs prægnantibus fœminis inconceſſi rationem reddit. *Iure illud moleſtiſſimum tædium, quo reliquæ omnes mulieres laborare noſcuntur ſola non ſenſit, quæ ſola ſine libidinoſa voluptate concepit. Vnde & in ipſo ſuæ conceptionis initio, quando potiſſimum cæteræ mulieres affliguntur Maria tota alacritate montana conſcendit, vt Eliſabeth miniſtraret. Sed & aſcendit Bethleem imminente iam partu portans pretioſiſſimum illud depoſitum, portans onus leue, portans a quo portabatur*. Idem prius dixerat S. Fulgentius ſ. de

laud.

laud. Mar. & elegantiſſima ratione firmauerat dicens. *Nulla fieri grauedo potuit concipienti, nulla triſtitia parturienti. Qui enim venerat triſte lætificare ſæculum, ventris non contriſtauit hoſpitium.* Et paulò poſt diuinam ſarcinam vteri Virginei lumini comparat his verbis. *Cum eſſet grauida ſalubri leuitate plaudebat. Lumen enim, quod intra ſe habebat pondus habere non poterat. Facta eſt Maria feneſtra cæli, quia per ipſam Deus verum ſæculis fudit lumen. Quis porro inueniat in radijs ſolaribus pondus, aut de lucis ſarcina iure conqueratur?* Hoc tamen non accidit, quia Chriſti Domini corpus dote agilitatis potiretur, vt ex Maiore philoſophatur Barradius t. 1. l. 8. c. 24., ſed quia per potentiam miraculorum effectricem Chriſtus Dominus ſuſpendebat ſui corporis grauitationem, itaut nulla eſſet e diuina ſarcina Matris fatigatio. Approbantur hæc omnia a Rich. a S. Laur. l. 3. priu. 3. vbi ait. *Tertia Mariæ prærogatiua ſecundum B. Bernardum, quod fuit ſine grauamine grauida.* Et certè ſi Heb. Doctores ad illud l. paralip. 15. cum adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant Arcam dixerunt Leuitas Arcam geſtantes nullum pondus in ea geſtatione ſenſiſſe, quia Arca quodamodo ſe ipſam geſtabat, quantò melius hoc dici debet de Chriſto Infante Arca ſanctificationis Domini, de quo legimus Iob. 9. *ſub quo curuantur, qui portant orbem*, & ad Heb. 2. *qui portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Explicat hanc dominici corporis leuitatem oraculo ſuo Euangelicus Propheta c. 9. dicens. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem.*

Vnde

Vnde nam admirabilis feſtinatio in montana prouenerit?

III.

ABijt Deipara Virgo in montana cum feſtinatione. Sed vnde nam tanta feſtinatio prouenit? Procul dubio ex amore proximi, ex vera illa charitate, quæ foras mittit timorem, quæ patiens eſt, non agit perperam, neque quærit, quæ ſua ſunt. *Machina mentis eſt vis amoris* inquit B. Laur. Iuſtin. c. 8. de charit. *qua eam dum à Mundo abſtrahit, ad alta ſuſtollit*. Et certè Anima Deo prægnans vi conceptæ initus cum Deo charitatis neſcit humilia, & ad ſublimia tendit, ad montana *ad montem Domini; & locum Sanctum eius. Quo enim Deo plena* ait S. Ambroſius in 1. Luc. *niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet?* Probat hoc fusè ex SS. Patrum teſtimonijs luculentiſſimis doctiſſimus vir Marcellinus de Piſe in enclicopedia morali tom. 1. in feſto Viſit. ſect. 1. etiam ille canebat eleg. 2.

Difficile eſt fateor, ſed tendit inardua virtus. Tunc anima exultat ad currendam viam, tunc gigantæis paſſibus exantlantur viæ difficiles, ita vt iuxta S. Bern. ſ. 3. de Aſcenſ. Dom. *omnia, quæ primo difficilia, imò impoſſibilia videbantur cum multa percurrantur dulcedine.* Ambulabunt vt Aquilæ magnarum alarum, & non deficient. Nec tantum ad ſublimia tendit, abit in montana anima Deo prægnans & charitate ardens, ſed cum feſtinatione. *Otium Sanctum* ait Auguſtinus l. 9. de Ciu. Dei c. 19. *quærit charitas veritatis: negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis.* Ex Magiſtro ſuo

Ambroſio

Ambroſio diſcere potuit Auguſtinus, dicente; *Non ſatis eſt rectè facere, niſi etiam ſtudeas maturare, quod facias. Interiores fructus habet celerata deuotio*. Hinc Sanctus Vates pſ. 17. canebat *Perfecit pedes meos, tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens*, verè homo iuxta cor Dei cæleſtis Sponſi, qui aſſimilatur capreæ, hinnuloque ceruorum. Sancta quoque illa animalia Ezech. 1. *ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Typicum exemplum* Venerab. Bedæ ſunt verba hic in c. 1. Luc. Marianam viſitationem admirantis & expendentis *Virgo tribuit, quod omnis anima, quæ Verbum Dei mente concepit, virtutum ſtatus celſa cacumina greſſu contendat amoris*. Nec tantum feſtina, ſed benefica fuit charitas MARIÆ, nam vt idem Venerab. Doctor hom. de Viſit. docet. *Intrauit Virgo domum Zachariæ, non vt verbum Angeli atteſtatione mulieris probaret, ſed vt mulieri prouectæ ætatis Virgo iuuencula miniſterium ſedula impenderet. Semper habet* ait S. Auguſt. in pſ. *36 vnde det, cui plenum eſt pectus charitatis*, cum ſit charitas ex eodem de catech. rud. *alijs ſerua, nulli inimica, omnibus Mater*, & ex Mag. Greg. l. 10. mor. *ad omnia virtutum facta dilatetur*. Ab hac vnica omne operæ, operiſq; pretium habetur, numeruſque, ac menſura meritorum; iuxta enim Auguſt. l. de laud. charit. *Non numeroſitas operum, non diuturnitas temporum, ſed maior charitas, meliorque voluntas auget meritum. Nam quod patet, & quod latet in diuinis codicibus tenet, qui charitatem ſeruat in moribus*. Admirari etiam omnes debemus, ac prædicare Deum Infantem, vt IOANNEM

ſantificaret, & prodigioſè beneficia cæleſtia prodigeret in Matre, cum feſtinatione in montana abeuntem, vt iure impoſitum iam illi a Patre nomen Iſ. 8. congrueret. *Accelera ſpolia detrahere, feſtina, prædare*, & nondum natus *Deus eſſet ſalutes faciendi*. Et certè Deus vt ſcripſit Orignes in comm. Ier. Proph. *ſemper ad benefaciendum promptus eſt, ad puniendum autem eos, qui pœna digni ſunt, diſſimulat.*

Nec ſolitaria fuit in hac benefica viſitatione Deiparæ Virginis charitas, ſed omnium choragio ſtipata virtutum *Læta* inquit S. Ambroſ. loc. iam rel. *pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio ad montana perexit*. Feſtinauit propter tria, vt obſeruat Alb. Mag. in hoc c. 1. Lucæ, vt videlicet citò publicum verecunda euaderet, vt obſequendi deſiderio ſatisfaceret, vt citò illam videret. Feſtinabat ex illo zelo animarum de quo S. Greg. hom. 12. in Ezech. ait. *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum*, nam IOANNES BAPT. ſantificandus erat per Filium, & a labe originali mundandus. Huic zelo alas indidit amor *Parum diligis* dicebat ille magnus Philoſophus Plato, *ſi multum quieſcis*. Sed melius, & religioſius Hugo lib. de charitate ſcriptum reliquit. *Citò pergere, eſt ardenter amare. Per charitatem viam eligis, per charitatem viam curris*. Vtcunque tamen omnes virtutes, præſertim charitas Marianæ peregrinationi talares alas addiderint, humilitatem Mariæ maximè laudant SS. Patres, præſertim S. Bern. h. 4. ſuper Miſſus eſt D. Antonin. 4. p. ſummæ t. 15. c. 29. Vener. Beda loc. cit. Hugo Card. ad illud Eccleſ. 14. *Quaſi*

oliua

oliua ſpecioſa in campis, vnde hoc pio epiphonemate concludit Euſeb. Emiſſ. in c. 1. Luc. de Mariæ viſitatione loquens. *Sic Maria ad Eliſabeth, Chriſtus ad Ioannem, Domina ad ancillam, ad ſeruum Dominus venire non dedignatur!* Liceat mihi abeuntem cum feſtinatione in montana MARIAM Deiparam pio veluti celeuſmate proſequi cæleſtis ſponſi verbis ſurge, propera: liceat in extaſi ſtuporis cum Sanctis Angelis ſuſpenſo dicere *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* liceat poſt oſcula ſacris, ſi minus pedibus, ſaltem veſtigijs rerum Dominæ, libata, exclamare. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis!*

Vterus virgineus tum Matri prægnanti, tum Filio concepto ingentia gaudia parturiebat.

IV.

IN vtero MARIÆ IESVM deliciatum fuiſſe clamant plures SS. Patres, & delicias inueniſſe ſupra omnes illas, quas habet inter filios hominum. Theodotus in or habita in conc. epheſ. de Matre Dei prægnante ſic exclamat. *O Virgo, quæ ipſum viciſti deliciarum Paradiſum!* Hunc illi titulum paſſim SS. Patres etiam reſpectu Filij tribuunt præſertim S. Ephrem. or. de Deip. And. Cret. or. de Ann. Chryſippus or. de Virg. Mar. S. Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Virg. Proclus Conſtant. or. de Deip. S. Ambroſ. in pſ. 1. Rup. Abb. l. 4. in cant. S. Bern. ſ. 2. de aduentu, S. Bonau. in ſpec. c. 5. S. Io. Chryſ. or. de Ann. Sophronius de Aſſumpt. & fuſiſſimè omnium B. Pe. Dam. ſ. de Ann. qui poſt multa ait. *Locum*

alas ſuas pedibus amor inſereret, ſed felicitate maiori, nam Deum illum, quem magnus Legatus Gabriel ore nunciauerat MARIA ſuum fecerat, vteroque geſtabat. Naſciturus extra patriam in Bethlemide ſpelunca, in Caluaria rupe moriturus DEVS-HOMO, vix cõceptus cæpit peregrinari, vt orbem terrarum vnigeniti Filij Dei patriam non eſſe conſtaret, & ſecundum Adamum homines venerarentur vbique innocentem, & de cælo cæleſtem. Prima hæc fuit cæleſtis Infantis expeditio terrena, vt *antequam ſciret puer vocare Patrem, & Matrem auferrentur ſpolia Damaſci*, nimirum, vt expiato à primigenea labe Ioanne Baptiſta, primum fulmen paruulà Tonantis Puppuli manus ad euertenda Tartara intorqueret, *poteſtates expolians, & principatus palam triumphans eos in ſemetipſo*. Et quidem ſpeciem triumphi potius habuit, quam pugnæ hæc diuina peregrinatio, ſuppeditante Matre ferculum triumphale, arridente cælo, ſeruientibus elementis, vniuerſa natura militante, ſuperis laureatis plaudentibus, & certatim circumſtipantibus Deum in virgine vtero viatorem. Hebron vrbs nobilis in Iudæa Tribu, Abrahæ commoratione, inauguratione Dauidis, alijſque titulis celeberrima, deſtinata erat ſacri itineris meta. Illhuc MARIA magnis paſſibus cum tota diuina familia cõtendebat nouã, atque in auditã ZACCHARIÆ, & ELISABETH Hebronitis ciuibus nõ iure tantùm ſanguinis, ſed cognatione virtutis conſanguineis ſuis, eorumque prodigioſæ proli allatura felicitatem. Enimverò quis dubitare poterit de celeritate itineris, quod conficitur Matris pe-

dibus, ſed Filij impulſu, cæli raptu, amoris volatu? Siue aſcenderet, ſiue deſcenderet Dei Filius ſuum nomen ACCELERA ſemper impleuit. An vlla remora retardare poterat nauē Inſtitoris de longe portantem panem ſuum, qui de cælo deſcenderat, non niſi ad auras fecūndiſſimas Sancti Spiritus velificantem in mari pacatiſſimo gratiarum? Ioſephus Sponſus bonus comes Sponſæ Virgini pro vehiculo fuit, & multò magis Filius Matri, ingens quidem, ac mundo maior, ſed leuis ſarcina. Vterque Mater, & Filius gradiebantur paſſibus non ſuis, Deus MARIÆ, MARIA Dei. Aliger quoque amor totam peregrinam diuinam familiam amantem ferebat, truncabatque recto, & continenti itinere, omnia, amantibus ſemper inimica lenta parerga morarum. Auem Paradiſiacam amorem diuinum dicas, illos quibus inſidet apodes reddit, ſine pedibus, quibus terræ adhæreant, æterno volatu cæli inquilinos. Spiritus Sancti columba hodiernum *citò* ingeminat, non coruīnum *cras*. Sæpius vnum infelicis morę momentum perdit ęuum felicitatis. Nec tantum Filius Matri comes itineris fuit, ſed Dux, ac Soſpitator; vnde nunquām rectius, nunquam felicius itum eſt, quam hoc bono lumine monſtrante viam. Facile quoquē fuit Dei Matri ad ſuperna montiū aſcendere, cum eius cor centrum haberet in cælo, nec niſi extra propriam ſphęram iaceret in terris. Hanc eſſe virtutum viam ſcias per aſpera tendere in ſublime. Attingitur tandem à beatis curſoribus meta, inuenitque MARIA ELISABETH conſobrinam ſuam myſterio etiam, & prolis felicitate cognatam. Magnam cogna-

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Viſitatione S. Mariæ Eliſabeth.

SYNOPSIS.

1. AN S. IOSEPHVS fuerit itineris comes? 2. MARIA pregnans, & viatrix ex diuina ſarcina nullam defatigationem ſenſit, & quomodo? 3. Vnde nam admirabilis feſtinatio in montana prouenerit? 4. Vterus virgineus, tum Matri prægnanti, tum Filio concepto ingentia gaudia parturiebat. 5. Eiuſdem tanquam diuini hoſpitij, magnifica encomia ex SS. Patribus cælo illum præferentibus. 6. MARIA Deo fœta, & peregrina cum ferculo Salomonis confertur. 7. Quænam fuerint montana Iudeæ, vbi Zachariæ domus? 8. Cui noua Arca fæderis peregrinans omnem benedictionem intulit.

An S. Ioſephus fuerit itineris comes?

I.

HIſtoriam huius Marianæ peregrinationis luculenta hypotipoſi deſcribit Auctor tract. in cant. Virginis, qui inter opera S. Auguſt. tom. 9. habetur. In comitatu MARIÆ peregrinantis fuiſſe Virginem ſponſum, licet refragetur Theoph. Raynaudus in Dip. Mar. p. 1. puncto 6. plerique Doctores aſſerunt Iſolanus antiquus Doctor Mediolanenſis Ordinis Prædicatorum de donis S. Ioſephi p. 2. c. 6. Morales lib. 4. in Matth. tr. 1. n. 10. Matth. Naueus, a quo refertur S. Bonauentura or. 11. de S. Ioſepho, Suarez tom. 2. in 3 p. d. 13. Salmeron tom. 3. tract. 10. ad illa verba *exurgens autem Maria* Nouatus t. 1. c. 8. q. 4. & alij, videturque eſſe communis fidelium ſenſus.

Statim

Iaud.Mar. & elegantiſſima ratione firmauerat dicens. *Nulla fieri grauedo potuit concipienti, nulla triſtitia parturienti. Qui enim venerat triſte lætificare ſæculum, ventris non contriſtauit hoſpitium*. Et paulò poſt diuinam ſarcinam vteri Virginei lumini comparat his verbis. *Cum eſſet grauida ſalubri leuitate plaudebat. Lumen enim, quod intra ſe habebat pondus habere non poterat. Facta eſt Maria feneſtra cæli, quia per ipſam Deus verum ſæculis fudit lumen. Quis porro inueniat in radijs ſolaribus pondus, aut de lucis ſarcina iure conqueratur?* Hoc tamen non accidit, quia Chriſti Domini corpus dote agilitatis potiretur, vt ex Maiore philoſophatur Barradius t. 1. l. 8. c. 24., ſed quia per potentiam miraculorum effectricem Chriſtus Dominus ſuſpendebat ſui corporis grauitationem, itaut nulla eſſet e diuina ſarcina Matris fatigatio. Approbantur hæc omnia a Rich. a S. Laur. l. 3. priu. 3. vbi ait. *Tertia Mariæ prærogatiua ſecundum B. Bernardum, quod fuit ſine grauamine grauida*. Et certè ſi Heb. Doctores ad illud l. paralip. 15. cum adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant Arcam dixerunt Leuitas Arcam geſtantes nullum pondus in ea geſtatione ſenſiſſe, quia Arca quodamodo ſe ipſam geſtabat, quantò melius hoc dici debet de Chriſto Infante Arca ſanctificationis Domini, de quo legimus Iob. 9. *ſub quo curuantur, qui portant orbem*, & ad Heb. 2. *qui portat omnia verbo virtutis ſuæ*. Explicat hanc dominici corporis leuitatem oraculo ſuo Euangelicus Propheta c. 9. dicens. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem*.

Vnde

Vnde nam admirabilis feſtinatio in montana prouenerit?

III.

ABijt Deipara Virgo in montana cum feſtinatione. Sed vnde nam tanta feſtinatiò prouenit? Procul dubio ex amore proximi, ex vera illa charitate, quæ foras mittit timorem, quæ patiens eſt, non agit perperam, neque quærit, quæ ſua ſunt. *Machina mentis eſt vis amoris* inquit B. Laur. Iuſtin. c. 8. de charit. *qua eam dum à Mundo abſtrahit, ad alta ſuſtollit*. Et certè Anima Deo prægnans vi conceptæ initus cum Deo charitatis neſcit humilia, & ad ſublimia tendit, ad montana *ad montem Domini, & locum Sanctum eius. Quo enim Deo plena* ait S. Ambroſius in 1. Luc. *niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet?* Probat hoc fusè ex SS. Patrum teſtimonijs luculentiſſimis doctiſſimus vir Marcellinus de Piſe in enclicopedia morali tom. 1. in feſto Viſit. ſect. 1. etiam ille canebat eleg. 2.

Difficile eſt fateor, ſed tendit inardua virtus. Tunc anima exultat ad currendam viam, tunc gigantæis paſſibus exantlantur viæ difficiles, ita vt iuxta S. Bern. ſ. 3. de Aſcenſ. Dom. *omnia, quæ primo difficilia, imò impoſſibilia videbantur cum multa percurrantur dulcedine*. Ambulabunt vt Aquilæ magnarum alarum, & non deficient. Nec tantum ad ſublimia tendit, abit in montana anima Deo prægnans & charitate ardens, ſed cum feſtinatione. *Otium Sanctum* ait Auguſtinus l. 9. de Ciu. Dei c. 19. *quærit charitas veritatis: negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis*. Ex Magiſtro ſuo

Ambroſio

Ambroſio diſcere potuit Auguſtinus, dicente: *Non ſatis eſt rectè facere, niſi etiam ſtudeas maturare, quod facias. Interiores fructus habet celerata deuotio.* Hinc Sanctus Vates pſ. 17. canebat *Perfecit pedes meos, tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens,* verè homo iuxta cor Dei cæleſtis Sponſi, qui aſſimilatur capreæ, hinnuloque ceruorum. Sancta quoque illa animalia Ezech. 1. *ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Typicum exemplum* Venerab. Bedæ ſunt verba hic in c. 1. Luc. Marianam viſitationem admirantis & expendentis *Virgo tribuit, quod omnis anima, quæ Verbum Dei mente concepit, virtutum ſtatus celſa cacumina greſſu contendat amoris.* Nec tantum feſtina, ſed benefica fuit charitas MARIÆ, nam vt idem Venerab. Doctor hom. de Viſit. docet. *Intrauit Virgo domum Zachariæ, non vt verbum Angeli atteſtatione mulieris probaret, ſed vt mulieri prouectæ ætatis Virgo iuuencula miniſterium ſedula impenderet. Semper habet* ait S. Auguſt. in pſ. *36 vnde det, cui plenum eſt pectus charitatis*, cum ſit charitas ex eodem de catech. rud. *aliis ſerua, nulli inimica, omnibus Mater*, & ex Mag. Greg. l. 10. mor. *ad omnia virtutum facta dilatetur.* Ab hac vnica omne operæ, operiſq; pretium habetur, numeruſque, ac menſura meritorum; iuxta enim Auguſt. l. de laud. charit. *Non numeroſitas operum, non diuturnitas temporum, ſed maior charitas, meliorque voluntas auget meritum. Nam quod patet, & quod latet in diuinis codicibus tenet, qui charitatem ſeruat in moribus.* Admirari etiam omnes debemus, ac prædicare Deum Infantem, vt IOANNEM

Q ſanti-

ſantificaret, & prodigioſè beneficia cæleſtia prodigeret in Matre, cum feſtinatione in montana abeuntem, vt iure impoſitum iam illi a Patre nomen Iſ. 8. congrueret. *Accelera ſpolia detrahere, feſtina, prædare*, & nondum natus *Deus eſſet ſaluti faciendi*. Et certè Deus vt ſcripſit Orignes in comm. Ier. Proph. *ſemper ad benefaciendum promptus eſt, ad puniendum autem eos, qui pœna digni ſunt, diſſimulat.*

Nec ſolitaria fuit in hac benefica viſitatione Deiparæ Virginis charitas, ſed omnium choragio ſtipata virtutum *Læta* inquit S. Ambroſ. loc. iam cit. *pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio ad montana perexit*. Feſtinauit propter tria, vt obſeruat Alb. Mag. in hoc c. 1. Lucæ, vt videlicet citò publicum verecunda euaderet, vt obſequendi deſiderio ſatisfaceret, vt citò illam videret. Feſtinabat ex illo zelo animarum de quo S. Greg. hom. 12. in Ezech. ait. *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum*, nam IOANNES BAPT. ſantificandus erat per Filium, & a labe originali mundandus. Huic zelo alas indidit amor *Parum diligis* dicebat ille magnus Philoſophus Plato, *ſi multum quieſcis*. Sed melius, & religioſius Hugo lib. de charitate ſcriptum reliquit. *Citò pergere, eſt ardenter amare. Per charitatem viam eligis, per charitatem viam curris*. Vtcunque tamen omnes virtutes, præſertim charitas Marianæ peregrinationi talares alas addiderint, humilitatem Mariæ maximè laudant SS. Patres, præſertim S. Bern. h. 4. ſuper Miſſus eſt D. Antonin. 4. p. ſummæ t. 15. c. 29 Vener. Beda loc. cit. Hugo Card. ad illud Eccleſ. 14. *Quaſi*

oliua

oliua ſpecioſa in campis, vnde hoc pio epiphonemate concludit Euſeb. Emiſſ. in c. 1. Luc. de Mariæ viſitatione loquens. *Sic Maria ad Eliſabeth, Chriſtus ad Ioannem, Domina ad ancillam, ad ſeruum Dominus venire non dedignatur!* Liceat mihi abeuntem cum feſtinatione in montana MARIAM Deiparam pio veluti celeuſmate proſequi cæleſtis ſponſi verbis ſurge, propera: liceat in extaſi ſtuporis cum Sanctis Angelis ſuſpenſo dicere *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* liceat poſt oſcula ſacris, ſi minus pedibus, ſaltem veſtigijs rerum Dominæ, libata, exclamare. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis!*

Vterus virgineus tum Matri prægnanti, tum Filio concepto ingentia gaudia parturiebat.

IV.

IN vtero MARIÆ IESVM deliciatum fuiſſe clamant plures SS. Patres, & delicias inueniſſe ſupra omnes illas, quas habet inter filios hominum. Theodotus in or. habita in conc. epheſ. de Matre Dei prægnante ſic exclamat. *O Virgo, quæ ipſum viciſti deliciarum Paradiſum!* Hunc illi titulum paſſim SS. Patres etiam reſpectu Filij tribuunt præſertim S. Ephrem. or. de Deip. And. Cret. or. de Ann. Chryſippus or. de Virg. Mar. S. Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Virg. Proclus Conſtant. or. de Deip. S. Ambroſ. in pſ. 1. Rup. Abb. l. 4. in cant. S. Bern. ſ. 2. de aduentu, S. Bonau. in ſpec. c. 5. S. Io. Chryſ. or. de Ann. Sophronius de Aſſumpt. & fuſiſſimè omnium B. Pe. Dam. ſ. de Ann. qui poſt multa ait. *Locum*

voluptatis Vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Domini s. Additque ibidem, quod in huius Vtero nimirum MAAIÆ prægnantis *Maieſtas Altiſſimi mirabiliter liquefacta eſt ſicut adipe, & pinguedine*. Aurea prorſus ſunt in hoc ſenſu S. Pet. Chryſol. verba ſ. 46. *Vna puella* ait *ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, vt pacem terris, cælis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis, cæleſtibus cum terrenis parentelam, ipſius Dei cum carne commercium pro ipſius vteri mercede conquirat, & impleat illud propheticum. Ecce hæreditas Domini Filij merces fructus ventris*. Ad illa verba. *Surge Domine in requiem tuam* ſubdit Chryſipp. Præsb. in biblioth. Vet. PP. t. 2. ſ. de laud. Deip. *Tua enim requies eſt Virgo, & vterus tua requies*. S. Bernar. Sen. t. 3. ſ. 9. a. 2. c. 1. vocat *Mariam Ieſu requiem non tantum, quia in ea nouem menſibus requieuit, verum etiam, quia plus per quietum amorem requieuit in ea, quam in tota alia creatura rationali. Hanc elegit* ait B. Pet. Dam. ſ. cit. *vt poſt tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inueniret*. Quid iactamus ad Dei delicias Angelorum cantus, & hominum obſequia? Tumultus ſunt, ſi cum requie Mariani vteri conferantur. Hinc violentiam quodamodo paſſus eſt Dei Filius in natiuitate, cum exire è Paradiſo deliciarum deberet, vnde iure dicebat æterno Patri pſ. 21. *Tu es, qui extraxiſti me de vtero Matris meæ, ideſt* vt legit S. Hieron. hic *de vtero S. Mariæ. Quod auellitur*, verba Tertulliani ſunt de vera carne Chriſti alludentis ad locum rel. Regij Plalmis, *niſi quod inhæret, quod infixum eſt ei, a quo*

auel-

auellitur? Si non adhæret vtero, quomodo auulſus eſt? Sinus Chriſti ait egregiè S. Ambroſ. ſ. 28 *erat in Deo Patre Diuinitas, in Maria Matre virginitas, cuius ſic tenebatur pulchritudine, ſic irretiebatur amore, vt niſi ſibi inferret vim ab illa exire nequiret*. Hanc violentiam in conceptione IESVS non patitur, nam vt ait S. Zeno Veron. ſ. 4. de Natiu. *dignitate depoſita non tamen poteſtate cælo egreſſus, Sacrario Templi virginalis hoſpes pudicus illabitur*. Nec tantum Filius, ſed tota Auguſtiſs. Trias inuenit delicias in vtero Dei Matris, quam *triclinium totius Trinitatis nobile* vocat Adam de S. Vict. in proſa de Aſſumpt. & *Triclinium Deitatis* S. Th. opuſ. 8. In eo accubuiſſe veluti in nuptiali thalamo tres diuinas perſonas, & quodamodo conuiuium celebraſſe aſſerit Alanus in hoc ſenſu explicans illud cantic. 1. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuauitatis*. At quæ gaudia Deo plena concepit, parturijtque B. Virgo ex contubernio Filij inhabitantis in vtero, qui erat *aceruus tritici vallatus lilijs*, atque adeò paſcentis inter lilia. Paradiſus erat voluptatis Mater Filio, ſed Filius lignum vitæ Matri, vt expreſsè aſſerit S. Ambroſ. in pſ. 1. IESVS ait *eſt lignum vitæ, lignum Sapientiæ plantatum in vtero Virginis voluntate Patris*. Ab hoc ligno vitæ ipſa fieri potuit Paradiſus voluptatis, & omnis creaturæ gratulationem meretur. *Tibi*, ſic S. Iacobus Apoſt. B. V. affatur in ſua Lithurgia, *quæ es Templum ſantificatum, Paradiſus ſpiritualis &c. vniuerſa creatura gratulatur*. De Deiparæ etiam prægnantis delicijs erat ille Angelicus ſtupor. cãt. 8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit*

de deſerto delicijs affluens? Hæc gaudia cumulatiſſima fuere, ſi interdum viſione beatam Deum per eſſentiam vidit, cum diuinum Infantulum vtero Virgine geſtauit. Abſolutè viſionem beatam B. V. viatrici concedunt Patres, vt in vltimo capite huius breuiarij Marianæ vitæ dicemus. Expreſsè ad hoc tempus IESV Infantis reuocat S. Bernardinus Sen. ſ. de B. V. qui habetur in tom. 2. *Credendum eſt* ait *Chriſtum frequenter Matrem ad montem myrrhæ, & ad collem thuris ſublimaſſe in cellam vinariam occultaſſe, ſui prout nouit, & voluit gloriam deificam, & ſupercæleſtem reuelaſſe notitiam.* Sed hæc innumeris figuris Sacræ litteræ, & ſententijs SS. Patres explicant.

Eiuſdem tanquam diuini hoſpitij ex SS. Patribus magnifica encomia cælo illum præferentibus.

V.

IN hac ſua peregrinatione nobiliori modo, quam vetus Enoc, *Maria ambulauit cum Deo,* quem peregrinum vtero Virgine geſtabat viatrix ſanctiſſima, ex S. Io. Damaſc. or. 1. de natiu. verè *mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Innumeris elogijs vterus Marianus a SS. Patribus celebratur, Deo hoſpite planè diuinus, ſed præſertim cum magnificis encomijs illum cælo præferunt, & iure cum illam immenſitatem intra ſe clauſit, quam cæli cælorum non capiunt. *O vterum* exclamat S. Epiph. ſ. de laud. Deip. *impollutum habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehenſibilem, in te verò comprehenſum portaſti.* Hæc conſiderans S. Bernardin. Sen. t. 3. ſ. 3. de gl. nom. Mar. a. 2. c. 1.

ſic

ſicait. *Meritò B. V. dixit; gyrum cæli circuiui ſola; ex hoc enim Bernardus in quodam ſermone clamans ait. O venter capacior cælis, diffuſior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non potuit, & qui tribus digitis terræ molem appendit!* Similia habent S Greg. Nyſſ. in or. de Nat. Dom. S. Io. Chryſoſt. in Lithurg. Georgius Nicomed. or. de Præſent. S. Pet. Chryſol. ſ. 142. & 143. S. Io. Damaſc. or. 7. de dormit. & alij, qui toti ſunt in celebrando vtero virgineo Diuinitatis capaci procul dubio, quia vt ait S. Bonau. in ſpec. c. 5. *immenſa fuit gratia, qua ipſa B. V. plena fuit.* Hinc vbi eam apellauit cælum, terram, abyſſum, alludens ad illud, quod Eccleſ. 11. legitur. *Altitudinem cæli, latitudinem terræ, ac profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Concludit. *Quis huius cæli altitudinem? quis huius terræ latitudinem? quis huius abyſſi, profunditatem? quis inquam Mariæ immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolum in gratia, & in gloria, ſed etiam in miſericordia tam altiſſimam, tam latiſſimam, tam profundiſſimam operatus eſt?* Obſtupuiſſe tantam Virginis Nazarenæ magnitudinem, quæ vniuerſum impolluto vtero excederet, ipſum Legatum Angelum teſtatur S. Pet. Chryſol. ſ. 142. his verbis. *Stupet Angelus totum Deum veniſſe intra virginalis vteri anguſtias, cui tota ſimul anguſta eſt creatura.* Concludendum eſt itaque cnm B. Pe. Dam. ſ. de Natiu. *Quid* inquit *grandius Virgine, quæ magnitudinem ſummæ diuinitatis intra ſui ventris clauſit arcanum?* Sed vlterius etiam philoſophandũ cum Seraphico Doctore loc. iam

rel. *Si ergo Maria tam capaciſſima fuit ventre; quantò magis mente?* Innumeræ ſunt Sacrarum litterarum laudes, ac tituli, quibus vterus virgineus Deip. Sanctiſs. celebratur, quæ omnia inter alios fusè perſequitur Spinellus grandi libro, & ſpiſſo, ſed iſta cum cælo collatio videbatur MARIÆ prægnanti, & peregrinanti conuenire.

Maria Deo fœta & peregrina cum ferculo Salomonis confertur.

VI.

EXcedit MARIA Deo plena cæli magnitudinem vtero ſuo; ſed tota videri poteſt in hac ſua peregrinatione veri Salomonis Principis pacis de orbe terrarum primùm triumphantis, ferculum triumphale. Scio MARIAM Deiparam Deo fœtam teſte D. Bern. *Signum illud magnum, mulierem ſole amictam, luna calceatam, & ſtellis coronatam* vnde eam ſ. in ſig. mag. ſic alloquitur. *Quam familiaris ei facta es Domina, quam proxima, imò quam intima fieri meruiſti, quantam inueniſti gratiam apud Deum? In te manet, & tu in eo, & veſtis eum, & veſtiris ab eo: veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſua Maieſtatis: veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.* Scio in viſitatione demonſtrari *Lunam myſticam* feſtinantem a Maximiliano Sandæo fusè in opere, cui titulus MARIA Luna myſtica. *Arca nunquam quieſcens* dicitur a Io. Geometra in cat. cord. ad c. 1. Lucæ, *Thronus cherubinis ſublimior* a S. Io. Damaſc. or. 1. de natiu. Deip. *Aqueductus gratiæ* a S. Bern. de Nat. B.V. & alijs *Tabernaculum ſanctiſſimum Verbi omnium Crea-*

teris

toris ab And. Cret. or. 2. de Aſſumpt. *Aſtrum non occidens magnum Solem inducens mundo, nubes leuis, quæ ſuper Cherubim ſedentem geſtauit* a S. Hieron. in pſ. 77. *Quadriga Eliæ virtutibus trahentibus concita* ab eodem rel. Geometra hym. 1. de B. V. & hym. 4. *ſocia viatorum, & lumen errantium*, alijſque titulis a Patribus celebratur, qui maximè Deiparæ peregrinanti, & Deum in vtero virgineo ferenti congruunt. Sed conuenientiſſimè cum ferculo Salomonis confertur, quod Cantic. 3. ſapientiſſimus Rex ſic deſcribit. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem.* De B. Virgine explicant And. Cret. or. 2. de dorm. Honorius in Sigillo, Guillelmus paruus apud Martinum Delrium in cant. 3. Georgius Nicomed. in orat. de oblat. S. Anton. 4. p. t. 15. c. 44. & latè Ricch. a S. Laur. l. 10. p. 575. Mitto alia omnia, quæ Marianas virtutes indicant. An non fuerunt charitate conſtrata eius viſcera *beata, quæ portauerunt æterni Patris Filium?* Vnde S. Bern. ſ. 1. de Aſſ. ſic ait *Nemo poteſt dubitare omnino in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt, charitas nouem menſibus corporaliter requieuit.* Et quidem propter Filias Hieruſalem, cum in Montana Iudeæ abiret. Vnicum Bonau. audiamus, qui in ſpeculo B. V. ſic loquitur. *Vide quod Maria affectuoſa fuit per charitatem. Ipſa enim eſt Maria, de qua dicitur in Luca. Exurgens autem Maria abijt in montana cum feſtinatione. Abijt inquam vt viſitaret, vt ſalutaret, vt miniſtraret*

ſtraret Eliſabeth. Vide quomodo illa viſitatio MARIÆ plena fuit charitate! Propter hanc cælum ipſum ne dum patria domus, deſerendum eſſet, & remeandum in terras. *Deſcendit Paulus* ait S. Cyrill. Catech. 14. *iterum, non quod dignus non eſſet conuerſatione cæleſti, ſed vt guſtatis ſupercæleſtibus deſcendens Chriſtum prædicaret*.

Quænam fuerint montana Iudææ vbi Zachariæ domus.

VII.

INter Scriptores Eccleſiaſticos præſertim Sacrorum Euangeliorum Intepretes controuerſia eſt, quænam fuerint montana Iudææ, ad quæ Deipara Virgo numine fæta abijt cum feſtinatione, & ciuitas Iuda in qua erat Zachariæ domus, & Cognata Eliſabeth fuit ſalutata. Circa Montana Iudææ videtur exprimi illa pars terræ promiſſionis, cuius fit mentio Gen. 22. *Vade in terram viſionis*, Lippomanus enim in catena in Gen. putat vocatam eſſe terram viſionis Iudææ partem aſperiorem, & montanam.

Circa Ciuitatem Iuda patriam ſanctæ familiæ maior eſt difficultas. Oſcitantiæ ſacrum Hiſtoricum arguebant Iulianus Apoſtata, & Porphirius Atheus infenſiſſimi noſtræ religionis hoſtes, quod hanc Ciuitatem non indigitarit. Apologiam ſcripſit breuiter Card. Baronius in appar. ad ann. &c. quæ in eo conſiſtit, quod illa Ciuitas nimirum, vt ipſe putat, Hebron antonomaſticè dicebatur Ciuitas Iuda, & erat omnibus nota. Nicolaus de Lyra putat fuiſſe vniuerſaliter nomen loci in Tribu

Iuda

Iuda altioris Galilea, a qua MARIA receſſe-rat. Card. Tol. in c. 1. Luc. annot. 116. reij-cit eos, qui cenſent fuiſſe Bethleem, dicitque ſe ex Græco Cod. legiſſe in ciuitate Dauid. D. Bonau. Vener. Beda Hugo Card. Alb. Mag. apud Carthagenam t. 2. l. 6. hom. 1. exiſti-mant fuiſſe Hieroſolymam. Fauent etiam Hieroſolymæ Clyctouæus in l. de viſit. Virg. c. 2. Ekius in ſerm. de viſitat. & alij. Hanc ſententiam putat probabilem Ianſenius in concord. Euang. c. 4. ex eo, quod hæc profe-ctio B. V. in montana Iudææ circa ſolemnita-tem paſchalem acciderit. Sed Hieroſolyma non in Tribu Iudæ, ſed in Tribu Beniamin Ioſue 18. recenſetur. Veroſimilius eſt ex Card. Baronio, & alijs hanc vrbem montanam fuiſſe Hebron, quæ in montanis Iudææ ſita erat, & ad Sacerdotes, vt conſtat ex Ioſue 21. perti-nebat. Brocchardo teſte in deſcript. terræ ſanctæ Zachariæ domus prope Vallem Re-phaim non longè a Hieroſolymæ finibus erat. Alij hanc Hebron, Chebron, & Cariatharbe nominant. Ibi ſepulti iacebant quatuor inſi-gnes Patriarchæ Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob. Ibi etiam Dauid vnctus, & inaugura-tus eſt in Regem Hebræorum. Ibi tandem ex Ioſepho Heb. l. 5 c. 1. antiq. fuit celeberrima quercus mambre, prope quam apparentibus tribus Angelis, vnus tantum eſt adoratus. Hæc de vrbe montana Hebron communis ſententia eſt, quam amplectitur, certamque reputat Be-ned. Pererius in c. 23. Gen. Scio tamen reijci fusè a Franciſco Quareſmo t. 2. Eluc. terræ Sanctæ ſ. 6. c. 2. per. 4. adductis Antonio Aranda c. 37, & alijs ſacrorum locorum de-

ſcriptoribus. Multa deinde habet hic Auctor c. 4. & 6. de domo Zachariæ Patris Io. Baptiſtæ duplici, in qua conceptus, & in qua natus fuit. Prima domus fuit a pijs fidelibus in Eccleſiam conuerſa, ſed modò fere diruta iacet, præſertim quoad partem ſuperiorem. Altera etiam domus facta Eccleſia adhuc colitur. In ea locus etiam nunc demonſtratur in ſacello Eccleſiæ, vbi Phoſphorus æterni Solis in lucem editus cæpit orbem terrarum manifeſtis ſplendoribus ſuis illuſtrare.

Cui noua Arca fœderis peregrinans omnem benedictionem intulit.

VIII.

HVnc titulum B. V. Patres adſcribunt, ſed in hac peregrinatione illi maxime conuenit. *Arca nunquam quieſcens* dicitur a Io. Geometra loco ſupra allegato, *arca viua, & animata, ac veluti propitiatorium in terra* a Methodio or. de Hypap. *Arca Sancta, & indiſſolubilis* a S. Io. Chryſoſt. ſ. 6. de Aſcenſ. *Arca gloriæ ſpiritalis* a S. Epiph. orat. de Deip., *Arca noua, in qua Dei ſpiritus delapſus quieuit* ab And. Hieroſol. in ſal. Ang. *Arca verè regia, Arca pretioſiſſima, quæ excepit totius ſanctificationis theſaurum*, a Chryſipp. or. de Deip. Alij quoque Patres hunc illi titulum attribuunt S. Athanaſ. S. Ambroſ. S. Ephrem, Georgius Nicomed. S. Hildephonſ. Heſychius, S. Io. Damaſc. S. Bonauent. & alij in magno numero, apud Spinellum in Th. Dei c. 5. Vnicum B. Laurentium Iuſtinianum audiamus ſ. de natiu. Virg. *An non ait Maria teſtamenti Arca veriſſima diuinis manibus fabricata, auro*

veſtita

veſtita mundiſſimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis ſpiritualiter facta, teſtamenti tabulas, frondentem virgam, & ſuauiſſimum in ſe manna continuit? Exurgenti IESV cum MARIA & abeunti in montana Iudææ certè dici veriſſimè poterat illud pſ. 131. *Surge Domine tu, & Arca Sanctificationis tuæ*, & B. Virgini Infantulum Deum vtero portanti gratulatorio carmine occinere poſſumus illud S. Eccleſiæ tetraſtichon.

Beata Mater munere,
Cuius ſupernus artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub Arca clauſus eſt.

Huic conſonat illud Greg. Nazianz. in trag. Chriſtus pat.

O Virgo formæ, quæ nitore cæteras
Preis puella nobilis, quæ baiulans
Infantem in vtero (vt tu refers) Deum,
Theſaurum eodem baiulaſti maximum.

At quamnam benedictionem peregrinans hæc Arca noui teſtamenti intulit non Obededom domui, ſed ZACHARIÆ? Omnem prorſus; nam Dei Filium, in quo iuxta Apoſtoli oraculum Pater æternus *benedixit nos omni benedictione in cæleſtibus*. Quis ab hac Thaumathurga Arca prodigioſæ beneficentiæ in vna domo patrata miracula explicare poſſit? Excellentiam diuinorum arcanorum in Mariana viſitatione admiratur S. Greg. Mag. & magnificis verbis explicat. D. verò Bonauent. ſic exclamat. *O qualis domus, qualis Camera, qualis lectus, in qua, & in quo requieſcunt tales Matres, talibus Filijs fæcundatæ, Maria, & Eliſabeth, Ieſus & Ioannes! Sunt*

autem ibi Magnifici ſenes Ioſeph, & Zacharias. Ipſa Io. Baptiſtæ admirabilis natiuitas ex ſterilibus parentibus, vt notat S. Greg. Nyſſ. prodromum miraculum fuit, quo magnus Præcurſor virgineum Verbi Infantis, cuius ipſe vox erat, partum præcucurrit, hominum fidem minoribus prodigijs ad maiora erudiens, ac veluti manuducens. *Ne in credibile* inquit or. de S. Chriſti Natiu. *putarent homines ex Virgine partum edi poſſe, minoribus miraculis ante exercendo fideles ad aſſentiendum, & credendum aſſuefacit: ſterilis, ac decrepita filium parit. Id quaſi præludium, & principium extitit miraculi, quod in Virgine ſubſequutum eſt.* Hoc obſeruauit etiam S. Pet. Chryſ. ſerm. 87. & aureis verbis expreſſit dicens. *In Ioanne Dominus accendit ſui luminis, & præmiſit lucernam, vt deguſtato lumine in ſe, iam diuini Solis iubar ipſum præferrent, ipſam Deitatis caperent claritatem. Ille erat lucerna ardens, & lucens, vt ille denſas noctis placido lumine aperiret tenebras, ipſe noctis neſcium diem iam deſiderantibus ad lucem perpretem redonaret.* Sed de omni benedictione a Summo Sacerdote intra materni vteri virginei Sancta-Sanctorum in Sacerdotalem domum illata plenius in ſequenti capite dicemus.

AD IESV PRAESENTIAM Ad MARIAE vocem IOANNES exultat. APETHEOSIS.

ELOG. XIII.

Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth exultauit Infans in vtero eius. Lucæ 1.

Surge Domine in requiem tuam Tu, & Arca Sanctificationis tuæ: Sacerdotes tui induantur iuſtitia, & Sancti tui exultent. Pſ. 31.

Magna hæc IOANNIS Apotheoſis
IESV Infanti debetur, & MARIÆ loquenti.
Illius ritus ne quære:
prodigia ſunt.
VERBI Dei VOX exultat, cum Dei
ſilet VERBVM:
mutus eſt Pater VOCE iam genita:
Matres conceptis miraculis,
oracula edunt.
Sed his prodigijs Deus loqui
cõſecrari IONNES in hominũ maximũ debuit.
HęcVOX VERBI Infantis, quę tacet in vtero,
eo loquente clamabit in eremo.
Interim ſibi VERBVM IOANNEM
in VOCEM inaugurat;
ſed ſilentem, quia infans;
vt inter etiam VERBI, & VOCIS ſilentia
Echo fieret ſilens admiranda.
Puduit Filium ante Patrem loqui,
cui

cui prius reſtituenda erat vox, quam eripuerat.
Orator Empyrei declamaturus ad populum
a MARIA plena verbo domi
erat prius exercendus.
At ipſa exultatio geſtientis cordis vox fuit,
& geſtus loquentis.
In eo, qui totus Vox eſt
nemo negabit ſaltus etiam eſſe eloquentes.
Vti potuit audire Matrem;
ita ſi voluiſſet poterat cum Filio loqui.
Sed ſatius duxit Deum factis,
quam verbis adorare.
Ante Arcam e Dauidis exemplo
à IOANNE ſaltus in obſequium exhibentur.
Sed mirum eſt, quod grandæuum Regem
paruulus ſuis ſaltibus nondum natus æquauit.
Fallor ſuperauit!
Ante nobiliorem diuinam Arcam
inter Prophetica tracula
non in obſequium exultat ſed ad miraculum.
Hæc prima IESV cum IOANNE hypapante
ex homine ferè Angelum fecit.
Nec poteſt dubitari de tituli iure,
cum illum ſuprema veritas dedit.
Nemo magis Angelus inter homines,
quam qui minus hominis geſſit.
Antequam homo naſceretur, Deo natus,
ſibi ipſi poſthumus,
cum inter homines naſcitur
ferè inter illos locum non inuenit.
Hominum maximus
inter Angelos numerari poteſt.
Quis hominem dicat
Diuini VERBI humanam VOCEM,
Gigantem in vtero, Heroem in infantia,
monſtrum

monſtrum ſanctitatis in eremo?
In Dei Phoſphoro nihil non diuinum eſt,
quod ſolem æternum minuat.
Aliquid etiã IOANNES pluſquã humanũ fuit,
cum nondum natus lucem vidit,
vt iam non mirum fuerit
Infantem ſine infantia,
& virum a virtute non ab ætate fuiſſe,
cum populis in eremo,
in Aula Regibus imperauit.
Adhuc ſine nomine antequam naſceretur
ita impleuerat ſui nominis GRATIAM,
vt æquæ GRATIA ex IOANNE,
Et IOANNES ex GRATIA vocari poſſet.
Magni titulum, quem alij poſt orbem domitũ;
ipſe naſcens accepit;
& iure quia non inquilinus,
ſed trium phator mundum intrauit,
At ex Tanto IOANNE quantulus fuit,
cum ſe neminem eſſe dixit,
& Angelus cum vocari poſſet inter homines
ſe nihil eſſe præter VOCEM, voce contendit?
Quaſi nihil ſit quod omnium eſt maximum
Diuini VERBI VOCEM eſſe,
Author tamen omnium VERBVM
fecit quoque VOCI ſuæ authoritatem.
Quantum ſibi IOANNES detraxit,
tantum infinito auctario Deus illi addidit,
Ille ſe nihil dixerat:
Hic ſui Præconis Præco,
hominum maximum prædicauit.
Parũ erat magnũ in Angelico genethliaco dici,
niſi fuiſſet in diuino præconio maximus.
Parum adhuc erat hominum maximum dici,
niſi Deus encomiaſtes ſuprà homines

Angelum celebraſſet.
Sic VERBVM diuinum,
totum in ſuæ VOCIS Elogium migrauit.
Nec mirum, cum ita VOX VERBI
Homo Dei,
IOANNES IESV typum expreſſerit,
vt etiam Prototypus videri potuerit.

Planè incomparabilis gratia, inæſtimabilis diuinæ virtutis potentia vox Mariæ! Dum auribus Eliſabeth intonat, ad cor Ioannis penetrat, qui abſtruſus intra materna latebat viſcera, ſpiritum eius animat, gaudioque ſalutari vegetat, & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeo vt de plenitudine Filij copioſè videatur in Matrem refundi. Guarricus Abb. ſ. 1. in Natiu. D. Io. Bapt.

Tanto tempore manet cum Eliſabet virginalis integritas; nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Ioannem puerum conſecrat, & inſignit. B. Pet. Dam. ſerm. 23.

De exultatione Ioannis Ad Mariæ vocem, & Ieſu præſentiam.

CAP. XIII.

AD ſuauiſſimas magnæ Deiparæ voces, noua atque inaudita apotheoſi planè diuina conſecratus IOANNES exultat, Verbo Infante vim verbis maternis cæle-

cæleſtem addente, & breui ſalutationi plurimam, æternamque inſerenti ſalutem. ZACHARIAS Sacerdos IOANNIS Pater in extaſi ſtuporis mutus internam hecatonbem gratiarum in ara cordis incendit. MARIA, & ELISABETH de diuini amoris laudibus amebæum inſtituunt. Illa magnificis cantibus diuinæ prolis honorem celebrat: hæc beatiſſimis vocibus Dei Matrem, mortalium feliciſſimam, infra tamen virginei ſui vteri Hoſpitem maximum, prædicat. Tota ſacerdotalis domus plaudente, & ferè inuidente terris cælo, non modo Templum, ſed oraculum eſt, vbique arcana cæleſtia aperiens, & Deum ſonans. Imo tota hæc nouella Dei ſedes, denſatis Angelorum choris frequentiſſima, ſignis illuſtribus illuminata, breue in terris cælum dici poteſt. Magna ZACHARIÆ ſtuporis materies cum IESV & MARIA conſanguineis tot cognata miracula, Deus homini iunctus, mixta cum Virgine Mater, ſterilitas prægnans, fæta virginitas, ac tota illa, quæ cælo excelſior eſt, & mundo maior immenſi Numinis Maieſtas, domeſtica, ac familiaris. Erat MARIÆ vnicum, ſed glorioſum hymni argumentum diuinum VERBVM, quod iam ſuum fecerat, ſtylo amoris a Sponſo Spiritu virgini vtero breuibus notis inſculptum; ſed cælum, terram, & omnia implens. Erat ELISABETHÆ illuſtris panegyrici theſis Mater Virgo Deo fæta, geminatis ſplendoribus oculos verberans, cum interim etiam exultans Filius, Dei Infantis tacitè reſonans Echo, & VERBI VOX vterum prodigioſè pulſaret. Erat tandem IOANNI ſuauiſſimus lætiſſimi tripudij ſtimu-

lus, IESV præſentia, MARIÆ vox, Deus nimirum in Arca quidem latens, ac materni vteri Sanctuario incluſus, ſed arcanis miraculis, iam tum ex Arca thaumaturga, diuina inter homines patrans, & expiata primi criminis labe iam tum ex illo Sanctuario conferens ſanctitatem. Ita ſalutatione ſalutari prologum exhibente, ſanctiſſimis Matribus cæleſtia diuerbia interferentibus, IESV miraculis, IOANNE ſaltu, ZACHARIA geſtu agentibus, Superis pleno choragio plaudẽtibus, diuinum dramma perfectum eſt, quo nobilius, & auguſtius nunquam cælum, ac terra ſpectarunt. Vtcunque tamen ZACHARIAS Sacerdos ſtupeat, ſterilis Anus ELISABETH Matrem virginem celebret, Deum Mater Virgo ſui iam vteri magnum hoſpitem magnificè extollat, ſolus IOANNES exultat eodẽ temporis momento Deo operante non emaculatus tantùm ab inuſta humano generi macula, ſed tanto gratiæ, aliorumque donorum cæleſtium faſtigio intra materni vteri clauſtra coronatus, vt nullus hominum illo maior ipſius veritatis loquentis teſtimonio cælum intrauerit. Eadem diuina apotheoſi IOANNES tripudians in Hominum maximum, in Superum primatem, in ſacrum Heroem, in Gigantem ſanctitatis, extollitur: in æterni Solis Phoſphorum accenditur: in cæleſtis Sponſi Paranymphum adornatur. Inſtituitur Primogenitus gratiæ, Parens Apoſtolorum, Anachoretarum Patriarcha, virginitatis poſt diuinæ familiæ virgines Sponſos, MARIAM & IOSEPHVM virginum Duces, magnus vexillifer. Inauguratur declamator Empyrei, Iudeæ luſtrator, po-

pulorum

pulorũ cenſor, Regum Iudex, naturæ victor, Tartari triumphator. Prophetarum tandem poſtremus, Martyrum primus, myſtes veritatis, Dei præco, virtutum omnium choriphæus, legis clauſula, Euangelij apex, Eccleſiæ Princeps, diuini VERBI VOX, Homo-Angelus, & referente ad viuum, Prototypum Typo Meſſiæ imago, & Chriſti veluti Chriſtus conſecratur. Iure magnus Dei e cælo deſcendentis Præcurſor, vt dignitatem ſuam cælo probet, ac terris, vitam a ſaltibus orditur, & vnico ſaltu cęlum, atque aſtra tranſcendit, fortunatiſſimis initijs, cum in ipſis carceribus beatus curſor metam ſuæ felicitatis inueniat. A pio ſaltu vitam IOANNES ille inchoat, qui accepturus erat ab impijs ſaltibus mortem, vt mors ſanctiſſima, beatiſſimæ vitæ reſpondeat. Illorum ſaltuum magnũ præmium erit IOANNIS, & fere dixerim Iudeæ, ac totius orbis caput; Sed huius pretium maius ſunt, IESVS præſens, MARIA loquens, Parentum prophetia, domeſticus Paradiſus, & in vnam domum congeſti omnium bonorum theſauri. Nimirum MARIA ſalutatione ſua, ſalutem omnium Deum, quo plena erat, vni IOANNI attuliſſe viſa eſt. Iactet hæc Auguſti ætas, qua IOANNES conceptus eſt ſui maximi Imperatoris genituram ſub virginis ſtellantis ſigno, & orbis imperium inde illi præſagiat. Inaniæ ſunt, quibus in bono lumine aſtrorum omnium ſplendidè mendaces tenebriones, fatorum venditores per ſummum nefas cælum ipſum venale proſtituunt. Solem tamen æternum in domo Virginis aſcendentem ad montana Iudeæ in IOANNIS conceptione, ac geneſi Horoſco-

Horoſcopum ſupra cælites domos, quæ aereis tantũ fundamentis nituntur, fabricaſſe auſpicatiſſimum non præſagium, ſed oraculum eſt. Quantus ex prodigioſo puerperio obſtetricante MARIA in lucem, quam illa ipſa Dei Aurora totum ſuum Solem ſpirans, dederat, IOANNES prodierit, magna totius vitæ teſtimonia probarunt. Ipſe nimirum IOANNES demonſtrauit, totus diuini VERBI veriſſima VOX. Hæc admirabilis VOX concepta Matrem vaticinijs, naſcens Patrem mutum alioquin fecit oraculis eloquentem: hæc fere lactens infantiam clamoſam reddidit; & in deſerto diſertam. Adulta deinde ita declamauit, vt populos traxerit, Reges terruerit, orbem terrarum impleuerit, abyſſum concuſſerit, cælum aperuerit, nec vna VOX, ſed Echo Dei, qui ſcientiam habet vocis in omnibus loquens, & mille-linguis diuina quędam fama videretur. Prima IOANNIS gloria fuit ſacerdotalis generis diuinæ familiæ conſanguineum a ſanctiſſimis ſterilibus parentibus concipi, nimirum ex virtutũ, ac prodigiorum coniugio, mundi miraculum, epitomem ſanctitatis. Sed aliena luce non indiget: vnus hic Dei *Lucifer* ſplendoribus ſuis totius Abrahamici cæli aſtra extinxit, diem gratiæ nuncians, ad quem citatis votis omnia ſæcula properabant. Antequam terris naſceretur cælo natus, ita naturam diuinus Præcurſor præcucurrit, vt pro illa ferè gratiam habuerit, Deo prius viuens, quam ſibi. Non mirum deinde eſt IOANNEN fuiſſe cum GRATIA cognominem, quaſi idem eſſet IOANNEM & GRATIAM naſci. Si aliud quam IOANNIS no-

men

men habuiſſet, feciſſet ſibi ſuis moribus GRA-TIÆ cognomentum. Edito antequam naſſeretur intra materni vteri cortinam oraculo, totus exultans viuum Dei in ipſo ſemper loquentis euaſit oraculum. Nobile hoc, feſtiuumque IOANNIS non adhuc nati tripudium alij ſterilitatis triumpho, alij cæleſtis Principis aduentui adſcribunt. Ego reor carmen etiam illud, cui omnes Vates lauream cedent, quo magnificè MARIA Deum laudauit, in lætitiæ argumentum, prodigioſum extorſiſſe a IOANNE tripudium. Certè nihil puto beatis Superum auribus, & delicatis, vt pote aſſuetis æternis cantibus, ſapere magis, quam Dei laudes, ſed MARIÆ verbis intextas, cum præſertim a lingua virgine panguntur. Tunc tam libenter audiunt hominum cantus Angeli, quàm nos homines Angelorum melos ſuauiſſimum audiremus. Ortus ſui IOANNES adhuc antequam naſceretur Angelum Nuncium habuit, cælo exhibente ſeruo communem cum Domino ſuum honorem; nec immeritò cum ex diuino teſtimonio homo angelus futurus eſſet. Apage Lucina: IOANNES naſcitur, cuius partui Diua Virgo melioribus auſpicijs præeſt. Inter oracula naſcitur, & iure futurus tota vita Dei præco, ac tandem pro veritate moriturus. Imo cum eſſet totus VOX prima pietas naſcentis filij fuit os Patris implere, vt præpoſtero magiſterio, & Filius in Patre, & Pater loqueretur ex Filio, fieretque ſtatim ex fæcundo facundus. Quid ex tot prodigiorum Filio non admirabile expectari poteſt? Quid non ſacrum in vita ex tot natalibus Sacramentis oriente? Eadem MARIÆ vox, quæ non-

dum

dum nato tripudiũ excitauit, omnem paruulã infantiam abſtulit; Si tamen vnquam paruulus fuit, quem ſemper magnum fore antequam naſceretur Angelus panegyriſta pronunciauit. A Domino peregrinante didicerat rectas vias Domini, quas homines doceret, nec alia eguit eruditione poſt diuinam. Eremum itaque adhuc puer quæſiuit, quaſi poſt IESV & MARIÆ aſpectum nihil aliud ſpectabile eſſet, & reliqua omnia iure inuiſa eſſe poſſent. Ferè ab vtero ſpeluncam ingreſſus non deſeruit ſolitudinem, ſed mutauit, tam illuſtri poſt primum luſtrum ſanctitate, vt non puerum in virtute diceres, ſed ſæcularem. At fruſtra ſolitudinem quæſiuit in tanta ſuarum virtutum frequentia. Tunc primum cæpit ipſa ſolitudo habitari, & exhauſtis in eremum vrbibus ad tantum ſanctitatis monſtrum vrbana frequentia ſylueſcere. Innocens Gymnaſium omnigenæ virtutis eremum expertus eſt, ac planè diuinum. Aues canebant, ſuſurrabant auræ, aquæ murmurabant, pingebant flores, frutices germinabant, muta omnia ſilentio ipſo IOANNI vbique Deum perſonabant. Etiam nos nunquam magis ad patriam accedimus, quam cum a patria in eremo exulamus, & cælum in cella fabricantes, toto veluti cælo a terra diſtamus. Orando Deum didicit apud homines perorare, quibus non lingua tantum, ſed vita, Dei VOX, ſine voce rectum iter ad cælum docere potuiſſet. Imo negotioſo otio ſolitarius ſalutaris, cæleſtis oratoris in eremo, diuini Anachoretæ in vrbibus Ideam expreſſit. In paterno ſilentio conceptus, VERBO operaturus, e voce ſilentis

factus

factus eſt tandem VOX clamantis in deſerto. Illhuc miſſus a Deo nomen ſuum IOANNES impleuit totus GRATIA, vbi cæleſtem viam omnibus parauit, & ineuntibus rectum iter, cælum aperuit. Cum feram induit Cameli pelle clamydatus non ſolum hominem exuit; ſed ſupra hominem Angelus dici potuit, & ſupra Angelum Meſſias putari facili deceptione, cum non multum VOX a VERBO differet, & cognatio potius virtutis, quam ſanguinis Miſſum cum Meſſia confunderet. Ipſe impijs Legatis Deum ſuſpicantibus ſe NEMINEM eſſe reſpondit ſine contradictione veritatis, cum nec Deus eſſet, & homo fere eſſe deſijſſet, nihil hominis retinens præter nomen, imo ne nomen quidem, quod naturæ nomen non erat, ſed GRATIÆ. Abolito errore veritatem docuit, cum addidit ſe VERBI VOCEM eſſe clamantis in deſerto & quod mirum eſt etiam cum taceret, Cameli pelle in veſtium luxum, locuſtarum cibo in conuiuiorum licentiam, tota ſanctiſſima vita in bacchantem per vrbes vitiorum omnium colluuiem, declamante. Sed cæci Hebræi populi duces non videntes Deum operantem in VERBO, nec intellexerunt loquentem in VOCE, & prodigium impietatis fuit, cum IOANNES totus Dei VOX eſſet, eo audito, nec Deum inueniſſe, nec agnouiſſe IOANNEM. Arcam ſaltem Domini eſſe illud, quo tegebatur, cilicium, aliquid ſupra homines, & monſtrum ſanctitatis illæ quibus veſcebatur locuſtæ deuorandis humanis cibis natæ, non paſcendis hominibus, indicabant. Amarum mel, quo longiſſima ieiunia condiebat e cæleſti epulo Cælitem probabat.

Hoc in Nectar, & Ambroſiam conuerſo aſſiduus declamator populos paſcebat, prælibata hac ſuauitate æternorum conuiuiorum famem, ac ſitim accendens. Innumeras Victoriarum palmas, quas in eremo palmaris Dei Præco collegerat ad Iordanem tranſtulit, vt felicius creſcerent in fructus ſuauiſſimos cælo dignos, & aucto flumine pænitentibus lachrymis, proxima nouum florentem Paradiſum deſerta germinarent. Iudæa ferè tota ad Iordanem peregrina cucurrit, & plures iam fere populi IOANNEM colebant, quam Herodem timerēt. Inuidere iam poterat cęleſtis Eridanus Iordani, cum illum fingendi licentia homines cælo donarint, hic verè cælo donaret homines, & illius ſtellas, huius ſtillæ lucis pretio, candoriſque ſuperarent. Viſus eſt non niſi ijs aquis, quæ ſuper cæleſtes orbes ſunt Iordanis fluere; ita proximum vadum ad Empyreum aperiebat. Tot hominibus portum felicitatis dedit, quot beatis ſuis naufragijs merſit. Puriori inde decurrit argento, imo totus aureus, ac gemmeus ſupra Pactolum, & Gangem, cum poſt Iudeos populos IESVM Nazarenum abluit verum Iudæorum Regem, ſtupentibus aquis, dubioq; flumine, & ancipiti, an mundaret, an mundaretur. Hæſit iterum Iordanis ad diuinioris Arcæ præſentiam verum IESVM Imperatorem veneratus, quem adumbratum in magno Ioſue adorarat inter obedientiam, admirationemque ſuſpenſus. Sed obedientia vicit, totuſque inundauit, vt eum Diuinitas corporata conſecraret. Hæſit quoque magnus IOANNES, & Agnū puritate ipſa puriorem, quem manu explicata indigitauerat

uerat luſtratorem mundi, eadem ſuſpenſa, ac ſtupente luſtrauit. Humilitatis deinde certamen, vnicum ferè ſpectaculum cælo dignum, in quo VOX diuino VERBO veluti eius Echo reſpondere contendit, cælum aperuit, paternum ſupra Filium elogium prouocauit, & columbam traxit indicem Orbis terrarum renaſcentis, vnde ſenſibilibus prodigijs ſupra omnium retrò ſæculorum felicitatem in Diuinis Auguſtiſſimæ Triados Perſonis, totus patuit Deus. In hac tanta cæli, terræque celebritate magno IOANNIS nomini plaudentibus ſuperis, maximum BAPTISTÆ cognomentum acceſſit. Inde pellitus populorum Pater, & Regum cenſor, Apoſtolum cum Propheta coniungens, nouus Elias Hærodis aulam ingreditur de impietate cum Acabo certantis, vt poſt ſubactos ſalutari luſtratione populos, Regem etiam expugnaret, & inceſtas maculas nouo ex oculis Iordane fluente, ſuis lachrymis, ſi poſſet elueret. Non clamauit tantùm VERBI VOX, ſed tonuit, & imminens de cælo coronato capiti, in quo tot vitia regnabant, fulmen indicauit. Vidit, quod nunquam contigerat Herodiana aula Herodem Herodi pingi, exprimiq; totum coloribus ſuis. Vidit Hebræum Herculem Cameli, non Leonis exuuio ſagatum omnibus vitiorum monſtris, etiam purpuratis, & coronatis bellum indicere, ſtragemque minari. Sed magnus BAPTISTA in teterrimo Herode vitijs inquinatiſſimo, quem nec toto Iordane emaculaſſet, Æthyopem lauit. Innocentia locum non habuit in Regia impietatis: veritas inter tot Adulatorum, vndequeque perſtrepentia

lenocinia audiri non potuit, hoc ipſo rea, ac damnata, quod in eam aulam redijt, a qua cum alijs virtutibus proſcripta fuerat. Viſum eſt Regi capitale piaculum illud dictum Dei nomine a Præcone diuino NON LICET; quaſi liceat ſemper Regibus quidquid libet. Innocens in pellicea tunica Adamus ſtatim perijſſet, ſi magis quam Deum, populum Herodes non timuiſſet, qui ſupra Herodem Prophetam venerabatur Regibus imperantem. Sed purpurata Pellex Herodias libidine ſua omnium incentrix ſcelerum, totius regni Erynnis facem furialem admouit, facileque Herodi, quem impuris amoris tanquam luxuriæ mancipium ſuis imperijs addixerat, ſuaſit, vt liberam vocem, quæ commune nefas inſectabatur carceri damnaret, vinculiſque adſtringeret. Si exilio non mulctatur veritas in aula Regum, fere ſemper carceri mancipatur. IOANNES tamen in vinculis, qui totus veritas erat libertatem non amiſit, ſilentio ipſo clamans, & Herodem increpans vbicunque IOANNEM obijceret, muta virginitate, minitabundam libidinem damnante. Scelera cumulantur ſceleribus, & auctarium additur, cum non Anachoreta tantum veritas, & bonus ab Eremo monitor ſpeluncæ damnatur in regio carcere, ſed inceſto, & adultero Matris Proco, filia procax ſaltu lenocinatur. Nouus hic veluti inceſtus fuit Herodiadis ita in communionem criminis filiam trahere, vt parentum adulteria vnico parricidio ſuperaret. Illa ſiquidem viuente adhuc Matre, maternorum ſcelerum heres ſuo nomine, ſed Matris imperio in ſuorum ſaltuum præmium mediam regni partem

exhi-

exhibenti Herodi IOANNEM impudentiſſima poſtulatione popoſcit, toto regno, imo toto orbe maiorem. Non minus funeſtum Herodi erat diuidi IOANNEM, quam regnum. Miror etiam inconſultam puellam poſtulaſſe in diſco IOANNIS caput, quem aula Herodis non capiebat. Nunquam tam lautè gula cenauit, margaritum menſæ apponens, ſupra inſanam barbaræ Reginæ liberalitatem pretioſiſſimum. Prodigioſa prorſus prodigalitas fuit tantum caput ad ſaltatriculæ pedes proijcere. Niſi etiam gemina ebrietas vini, & luxuriæ conuiuæ Regi caput abſtuliſſet, nunquam IOANNEM mulctari capite iuſſiſſet; accuſatio enim erat, non excuſatio adulterij, parricidium. Sed Tyrannus gemino ſemper ſanguine purpuram dibapham tingit muriceo, & humano. Hoc largius hauſto plus ſitit; nam habet ſuam quoque crudelitas cruoris hydropiſim. Quid atrocius a Buſiride expectari poterat, quam a b Herode! quid crudelius a Circe quam ab Herodiade? Mitia ſunt Lapitharum conuiuia, ſi cum hac cæna Herodiana conferas, in qua regnant omnia prophanorum pſeudedeorum propudia Bacchus & Venus, imò venerationi Bacchus eſt, bacchatur venus. Superatur tragica Atrei menſa, dum ingentem Heroem helluatur, non conuiuij immanitas, ſed humanitas, & natalis Herodis mortem IOANNI indicit, impudentis ſaltatuculæ præmium conuiuale. Iniquo iure actum eſt, cum grauiſſimo homine, vbi ceſſit in præmium leuitatis ſaltanti puellæ, quæ cum careret capite, pedibus tantum ſapiebat. Fallor ius ſimul, & iniuria fuit cum in ſententia capitali IOANNIS ca-

put Galilæo regno prælatum eſt. Inconſultus tamen Herodes ſe ipſum cum IOANNE perdidit, regnum truncauit, & in vno abſtulit omnium caput. Abſiſte Hebræa Tomyris Herodias! Cyrus hic, cuius caput eſuriſti, & abligurisſti in nefanda cęna non ſanguinem ſitiuit, ſed lacrymas populorum. At regia tandem meretrix noua Iezabel cum Acabo ſuo in Eliam incidit, cuius zelo, cælum zelotypum patrocinaretur. Cæleſtis declamator, quia totus VOX erat ſecto capite non tacuit, exerto ore adhuc adulteria increpans, parricidium damnans. Appendix regij epuli inter cupidinis cupedias allatus in diſco Protomartyr caſtitatis, vti Aſſyrio Monarchæ babylonia manus infelicibus conuiuis funeſtiſſimum fatum ſcripſit. Sequuta eſt non claudo pede ſaltatriculæ culpam pediſequa pœna, & quidem iuſtiſſima, cum flagitium ſibi ipſi pęna fuerit. Impia puella, quæ Matrem in ſe geminauerat ſaltu conceptum facinus, ſaltu etiam expiauit, & incendium amoris naufragio extinxit, Bachi, & Veneris ſcelus Neptuno puniente. Contumax licet chryſtallum frigidæ glaciei tantum luxuriæ pondus cum ferre non poſſet, ceſſit, & ſumma ſupplicia in cæde ipſa addidit, viuam in aquis ſepeliens & terram mortuæ negans. His glorię ſplendoribus Phoſphorus æterni ſolis, & Heſperus IOANNES ſolem ſuum naſcentem prę iuit, & morientem. Eius laudes pertexere eſt lucem Lucifero ferre. Vox Dei humana voce non creſcit, & omnibus eſt laudibus maior, qui Deum encomiaſtem habuit, tam nobilis ſui Principis Nuncius, vt meruerit pro eo coli, & homo

potuerit

potuerit Deus putari. Eodem munere fun-
ctus poſt mortem, quo ante exortum,
vitam mortuis iam iam in ſui
Domini morte naſcituris
nunciauit.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de exultatione Ioannis ad Ieſu præſentiam, ad Mariæ vocem.

SYNOPSIS.

DE MARIAE ſalutatione. 2. Cur prima ſtatim cognatam ELISABETH ſalutarit? 3 Quot, & quantorum bonorum origo hæc ſalutatio fuerit? 4. De admirabili Deiparæ cantico MAGNIFICAT. 5. MARIA ſiue loquens, ſiue tacens ſemper Magnificat Deum, imò ſumma eſt ipſius Dei magnificentia. 6. An manſerit in Sacerdotali domo tempore ortus S. IO. BAPTISTAE. 7. Incomparabile beneficium ex hac commoratione in S. IO. infantulum redundans.

De Mariæ ſalutatione.

I.

HÆC myſteria quæ totam domum ZACHARIÆ conſecrarunt ſupra omnes laudes ſunt, & omnibus laudibus digna, vnde iure dixere Patres Concilij Baſileenſis, quorum ſuffragio, & approbatione feſtum Viſitationis Marianæ ceptum eſt celebrari, ſeſſ. 43. *Quis tanta myſteria condignis laudibus proſequatur? Quis hæc gaudia ſufficienter exponat, dum Ioannes nondum natus exultat, Eliſabeth aduentu Virginis collætatur, Maria in myſterijs gaudet, clauſus in vtero Saluator a ſuo recognoſcitur Præcurſore, lætantur Angeli, cælum, & terra iucundantur, & tota Trinitas nouis laudibus glorificatur. Hæc igitur gaudiorum magnitudo ſpecialibus eſt extollenda præconijs: hæc ſingula-*

ſingularibus ſolemnitatibus celebranda, in qua & Dominum, qui geſtatur vtero, & virginem, qua portat, & ſterilem qua concepit, & Præcurſorem, qui viſitatur condecentibus proſequi debemus honoribus. Anteceſſit omnia MARIAE ſalutatio, & ſacer textus manifeſtè indicat. At quibus verbis concepta fuit? Cum hoc ſilentio Sacer Agiographus Lucas in Euangelio prætererit, conijcere potius poſſumus, quam ſtatuere. Angelus Cæleſtinus apud Carthag. t. 2. lib. 6. hom. 6. putat veriſimile eſſe quod Mater Dei dixerit *Pax tibi* vel *Pax huic domui*, cum illum geſtaret vtero, qui ſecundum Apoſtolum *eſt Pax noſtra & fecit vtraque vnum*. Eruditiſſimus Salmoron tom. 2. in Euang. tract. 10. ex aliorum ſententia refert hæc fuiſſe verba Marianæ ſalutationis Eliſabethæ dicta. *Pax tibi magni Propheta, & vocis clamantis in deſerto digniſſima Mater*. Aurea fuiſſe verba Deiparæ ſalutantis, & mellea, ſummi pretij, & miræ ſuauitatis nemo dubitare poteſt, qui MARIAM agnoſcat, & hæc grandia myſteria expendat.

Cur ſtatim prima Cognatam Eliſabeth ſalutauerit.

II.

HÆC queſtio gemina eſt nimirum cur prius MARIA cognatam ſalutauerit, quam ab ea ſalutaretur, & cur prius ſalutauerit ELISABETH, quam ZACHARIAM. Excellentiam Marianæ humilitatis extollit S. Ambroſ. in c. 1. Lucæ ex eo quod MARIA prior ſalutauerit ELISABETH, quam ab ea ſalutaretur, *Venit* inquit *propinqua ad proxi-*

mam, iunior ad ſeniorem, nec ſolum venit, ſed prior ſalutauit. Decet enim vt quantò caſtior Virgo, tantò humilior ſit, nouerit deferre ſenioribus, ſit magiſtra humilitatis, in qua eſt profeſſio caſtitatis.

At cur prius Deipara Virgo ELISABETH, quam ZACHARIAM ſalutauit? Ad excellentiam charitatis reuocari principaliter poteſt. Finis ſiquidem principalis Marianæ peregrinationis, & ſalutationis fuit S. IOANNIS BAPT. ſanctificatio, quam Filius collaturus erat ad Matris vocem, vnde voluit ne quidem per breuem morulam ſalutare prius ZACHARIAM, ne pro illo temporis exiguo ſpatio Infantulus IOANNES in peccato originali immoraretur. Hoc videtur innuere S. Bernar. Sen. ſ. de S. Ioſepho a. 2. c. 1. his verbis. *Et ſtatim cum ipſo Ioſeph Virgo abijt in Montana, vt viſitaret Eliſabeth cognatam ſuam, magis autem vt præcurſor Filij ſui præſentia ſanctificaretur.* Et certè *factum eſt vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth exultauit Infans in vtero eius.* Hæc eadem excellentiſſima charitas totius peregrinationis calcar, illius feſtinationem citauit, ſtimulauitque, vt notant communiter SS. Patres. Alijs omiſſis ſic ait S. Bonau. in ſpec. c. 4. *Maria autem Charitatem proximi habebat in corde. Et propter hoc exurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione. Quid enim eam ad officium charitatis feſtinare cogebat, niſi charitas, quæ in eius corde feruebat? Legimus quod paſtores venerunt feſtinantes ad præſepium, & quod Maria abijt cum feſtinatione ad obſequium, & quod Zachæus feſtinans deſcendit ad hoſpitandum Dominum. Væ ergo tardis ad opera charitatis!*

tatis! Et cap. 5. Mariam comparans cum Ruth, cuius nomen eſt idem, quod videns, & feſtinans ſic ait *Ruth ſignat B. V. quæ verè videns in contemplatione, & bene feſtinans fuit in actione. Videns etiam noſtram miſeriam eſt, & feſtinans ad impendendam nobis ſuam miſericordiam.* Et certè ab illa, *quæ erat gratia plena* (verba S. Cypriani ſunt in epiſt. ad Donatum) *compendio gratiæ maturantis hauritur beneficiũ.*

Quot & quantorum bonorum origo hæc ſalutatio fuerit.

III.

INnumerabilia bona ex hac Mariana ſalutatione totam ZACHARIAE domum inundarunt, ſed præſertim pleno alueo in magnum BAPTISTAM deriuata ſunt. Hinc ille inauguratus in verbi Vocem, in magnum Angelico nuncio, in hominum maximum diuino teſtimonio, in Angelum mortalem prophetico oraculo. Ad IESV ergo præſentiam, & MARIAE vocem iure lætiſſimo tripudio exultauit in materno vtero; fuit enim tunc non ſolum ſanctificatus, emundatus a primigenea labe, gratiæ, aliorumque cæleſtium bonorum theſauris ditatus, rationis vſu anticipato illuminatus, ſed ſingulari initiatus prophetiæ dono. Aſſerunt luculentiſſimis verbis hoc S. Bern. ſ. de natiu. Io. Bap. Ven. Beda S. Io. Chryſoſt. S. Ambroſ. S. Leo S. Pet. Chryſol. S. Hieron. S. Cyrill. Hieroſ. S. Auguſt. Theophilactus, Euthymius, Rup. Abb. D. Vinc. Ferrer. Metaphr. Niceph, & alij apud Carthag. loco iam alleg. Ex quo infans ait S. Bonau. *ſic ſupra naturam exultauit, certum eſt, quod natura Domi-*

nus ei occurrerit, & ex quo infantulus reſpondit ex vtero, certum eſt ſe concepiſſe illum, qui vocat ab vtero iuxta illud Iſaiæ. Dominus ab vtero vocauit me, de Ventre Matris meæ recordatus eſt nominis mei. Clarius adhuc loquitur Origenes his verbis. *Sancta erat anima Ioannis, & adhuc in vtero Matris clauſa, quæ ventura erant in mundum quaſi per experientiæ ſenſum ſciebat, quæ Iſrael ignorabat, vnde exiliuit, & non ſimpliciter exiliuit, ſed in gaudio; ſenſerat enim veniſſe Dominum ſuum, vt ſanctificaret ſeruum ſuum, antequam de Matris vtero procederet.* Idem Orig. hom. 1. ſic loquentem Ioannem infantulum inducit. *Dum adhuc eſſem in vtero Matris prophetico Spiritu, vidi illum coram me conceptum in vtero Virginis.* S. Io. Chryſ. hom. 27. imperfecti *ſtatim ait puer prophetauit non voce, ſed motu.* Et S. Leo magnus ſ. de Natiu. *Præcurſor Chriſti ſpiritum prophetiæ intra viſcera matris accepit, & nondum editus Genitrici Domini ſigna exultationis oſtendit.* IOANNIS in vtero materno beatitatem ad IESV præſentiam, & MARIÆ vocem ſic aureo calamo S. Pet. Chryſol. expreſſit ſ. 91. *Beatus, qui ante diuina poſſidere meruit, quam ſortiretur humana: Beatus qui ante meruit cælum ſcire, quam terram: Beatus qui antequam videret præſentia, futura meruit nunciare, qui ante Deum capere potuit, quam ſuo ipſe caperetur a corpore. Beatus, & ſingulariter beatus, qui antequam ſaperet quærere meritum, conquiſiuit. Beatus qui non peruenit ad gloriam per laborem, ſed ad labores ipſius gratiæ dignatione deſcendit.* Aureo Chryſologo conſonat Melleus Bern. ſ. de natiu. S. Io. Bap. ſic loquens. *Ioannes in*

ſpiritu

ſpiritu tanquam Angelus eruditur, nimirum tanto propinquior verbo, quanto vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris ſonet, oportet intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, ſed inſpiratio docuit &c. Hæc tota IOANNIS Bap. beatitas ſummè B. Virginem celebrat; nam eius vox inſtrumentum fuit diuinæ virtutis ad ſanctificandum IOANNEM, & donum prophetiæ illi conferendum, imo ZACHARIAM quoque, & ELISABETH cæleſtibus donis cumulandos. Hinc Pet. Rauennas dixit ſ. de S. Io. Baptiſta. *Per vocem Virginis facta eſt ſanctificatio præcurſoris*, & D. Cyrillus de recta fide. *Salutatio Sanctæ Mariæ Virginis Ieſum ferentis in vtero, Ioannem mouit ad prophetiam.* Clarius adhuc loquitur Chryſoſt. in c. 2. Lucæ *Ideo Chriſtus* inquit *fecit Mariam ſalutare Eliſabeth, vt ſermo procedens de vtero Matris, vbi habitabat Dominus, per aures Eliſabeth ingreſſus deſcenderet ad Ioannem, vt illum vngeret in Prophetam.* Hic non ſtatuo an Deiparæ vox inſtrumentum fuerit morale, an phyſicum, an ex decreto diuino, placitoque pura conditio ad ſanctificandum IOANNEM. Hæc ſingula neque cum omnipotentia Dei pugnant, neque textui Euangelico diſſonant, in quo habentur. *Intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius.* Ad omnia extendit Mariæ Deiparæ influxum gratioſum S. Bern. dicens ſ. 3. in vigil. natiu. *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non tranſiret.* Aliqui, inter quos ſunt Philippus Berlaymontius in Paradiſo puerorum parte 1. c. 4. & Vincentius Regius l. 1. diluci-

dilucidat. in Euang. c. 6. theor. 2. aiunt IOANNEM Infantulum in ſuo prodigioſo tripudio faciem ad IESVM in vtero Virginis conceptū obuertiſſe. Sed cum puppuli in materno vtero facies ſit eiuſdem geniculis appreſſa ſuapte natura, ſine neceſſitate multiplicantur miracula, & ſine fundamento. Aſſentior potius Regio, etiam ſi diſſentiat Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 6. in eo, quod dicit IOANNIS exultationem fuiſſe quandam adorationem Christi Domini recens aduentantis, imo etiam MARIÆ Deiparæ. Hinc Vener. Beda hom in Euang. Exurgens Mar. &c. ſic Ioannem exultantem alloquitur. *Vnde tibi hæc exultatio, nondum eſt propheta? Matrem Domini in voce cognoſcas, quam quia reſalutare non potes, exultando agis, quod pater. Quam lætus ei accurreres, ſi iam natus eam videres, cuius voce audita, exultando obuiam ire conaris.*

IOANNE exultabundo tripudiante, ELISABETH Mater impleta eſt Spiritu Sancto ad IESV præſentiam & MARIÆ vocem. Inde exclamauit voce magna & protulit pretioſiſſima illa verba. *Benedicta tu &c. Aperiente* inquit Beda loco iam relato *os ad ſalutandum B. Maria, repleta eſt vox Spiritu Sancto Eliſabeth, repletus eſt & Ioannes, atque vno, eodemque Spiritu ambo edocti illa ſalutantem, quæ eſſet cognouit, & vt Matrem Domini ſui debita cum benedictione venerata eſt: ille ipſum Dominum eſſe, qui in vtero Virginis portaretur intellexit, & quia lingua nec dum valuit animo exultante ſalutauit, officiumque præcurſionis, quam deuotè iuuenis eſſet impleturus, etiam antequam naſceretur adueniente Domino quibus valebat indi-*

cijs intimauit. Imo vt loquitur S. Ambroſius l. 1. in Lucam *vocem prior Eliſabeth audiuit, ſed Ioannes prior gratiam ſenſit. Exultauit Infans, & repleta eſt Mater, non prius Mater repleta, quam filius, ſed cum filius eſſet repletus Spiritu Sancto, repleuit & Matrem.*

De admirabili Deiparæ cantico Magnificat.

IV.

EAdem charitas Mariana, quæ erga proximum, ad ſalutarem ſalutationem ELISABETH linguam prouocauerat, ergà Deum ardens ad laudes diuinas laxauit magnificentiſſimas procul dubio in illo admirabili cantico *Magnificat*, quod per excellentiam Deiparæ canticum dicitur. *Item Maria* inquit S. Bonau. in ſpec. B. V. c. 4. *ſicut in omnibus charitatem habuit ad proximum, ita ſuper omnia charitatem habuit ad Deum. Ipſa enim eſt Maria, quam cantaſſe ibidem dicitur. Magnificat anima mea Dominum. Anima quod amat, hoc Magnificat, & in hoc exultat. Idcirco anima Mariæ Deum decentiſſimè magnificauit, & in Deo firmiſſimè exultauit, quia Deum excellentiſſimè amauit. De cuius amore bonum verbum dicit Magiſter Hugo de S. Victore. Quia inquit in corde eius amor Spiritus Sancti ſingulariter ardebat, ideò in carne eius virtus Spiritus Sancti mirabilia faciebat*. Hoc diuinorum magnalium canticum quantum ſapientiæ cæleſtis complectatur demonſtrant paſſim SS. Patres, ſacrorum Euangeliorum Interpretes, & Deiparæ Encomiaſtæ. Præter hos iuſtis illud commentarijs exponunt Albertus Mag., Viguerius in Decach. chor. 7. Auguſtinus Anconitanus,

Hugo

Hugo Victor. in alleg. in Lucam, Pelbartus in Stellario, Iacobus de Valentia, Petrus Loyecius, Valentinus Gerardus, Antonius Agellius in cantica diuini officij, Io. Carthagena decem, & ſeptem eruditiſſimis homilijs Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 7. per ſexdecim queſtiones a. 12. vſque ad 28. & pleno, ac ſpiſſo opere Rutilius Benzonus, alijque. Nobiliſſimi illi tituli inſcribuntur. Nuncupatur ab Orig. hom. 8. in Lucam *vaticinium virginale* a Io. Gerſ. Cancell. Pariſ. tract. 2. in Mag. *Pſalterium Decachordum* a Caniſ. l. de Deip. c. 5. *Primus noui teſtamenti hymnus*. Alij vocant *Canticum Virginis*, alij *carmen triumphale*, alij *virgineum epithalamium*, alij *carmen ſanctiſſimum*, & *diuinum encomium*, alij *compendium diuinorum Sacramentorum*, alij *Symbolum Marianum*. Ingens Mariani gaudij argumentum Doctore S. Spiritu ad præſentiam Saluatoris ſui fuiſſe hoc magnificentiſſimum canticum teſtatur Hugo Victor. in præf. ad Magnif. *Quis dubitet B. Mar.* inquit *recens Spiritus Sancti in ſe ſuperuenientis tanta plenitudine, & gratia repletam, non potuiſſe paruum aliquid, & quod ſupra terrenarum mentium capacitatem non eſſet in laudem Saluatoris ſui proferre? Conſtat ergo de tanta plenitudine eructantem, tantaque deuotione nouum illud, & humanis mentibus inſolitum gaudium Ieſu ſuo iubilantem noua laude, & ſingulari praconio, nouam lætitiam in nouo aduentu æterni Domini prædicaſſe. Sit in ſingulis* (non poſſum aptius concludere quam S. Ambroſ. verbis lib. 2. in Lucam) *Maria anima, vt magnificet Dominum: ſit in ſingulis Spiritus Mariæ, vt exultet in Deo.*

Maria

Maria ſiue loquens, ſiue tacens ſemper magnificat Deum, imo eſt ſumma ipſius Dei magnificentia.

V.

Aliqui ſententiam Io. Gerſonis trac. 12. ſer. in *Magnificat* ſequentes putant de hoc cantico Mariano eſſe illa verba Regij Pſaltis. *Deus canticum nouum cantabo tibi in pſalterio decachordo pſallam tibi, & hoc canticum nouum* B. Virginem non fuiſſe tantum modulatam in domo ZACHARIÆ, ſed toto tempore vitæ, & hanc fuiſſe perpetuam, & familiariſſimam eius modulationem. Vnde ſemper Anima eius beatiſſima magnificabat Dominum, & Spiritus eius exultabat in Deo ſalutari ſuo.

At quidquid tandem loqueretur, magnificabatur Deus in ipſa loquens. *Omnis ſermo* eius inquit S. Bonau. de medit. Chriſti c. 3. *ita erat gratia plenus, vt Deus cognoſceretur in lingua eius*. In hoc ſenſu Rup. Abb. illud Cantic. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt*, intelligit. Vnde concludit. *In me dilectus loquutus eſt, quoties ei peſſulum oſtij mei aperui, quoties linguam moui, & Verbo Dei, quod eſt ipſe, vocem meam accommodaui*: Hinc non ſanctiſſima tantum, ſed ſuauiſſima fuere ſemper MARIÆ Deiparæ verba. Vox MARIÆ in hac viſitatione ex Guarri. Abb. ſ. 1. in Natiu. D. Io. *fuit vox Spiritus Sancti*, & ex Orig hom. 7. in Lucam *vox Diuini Verbi, quod corporatum vtero virgine geſtabat. Verbum* inquit *quod Maria loquuta eſt Filius Dei in ventre Matris ſuggeſſerat. Mariæ verba, verba vitæ æternæ fuere ſemper* vt loquitur Bernard. Buſt. ſ. 5. de Nat. B. Mar.: *Eius labia* ex Rup. Abb.

in

in cant. *non minus, quam labia cæleſtis Sponſa ſicut vitta coccinea. Sed & fauus diſtillans labia eius propter ſingularem ſuauitatem. Mariæ verba* ait Ricch. a S. Laur. l. 4. de laud. Virg. *dicuntur fauus mellis, quia ſicut in fauo eſt cera luminis inſtrumentum, & dulcedo mellis reficiens guſtum, ſic in verbis eius eſt veritas illuminans intellectum, & omnimoda bonitas reficiens affectum.* Imo mel & lac fuit ſub lingua eius; ſed mel & lac Spiritus Sancti iuxta illa, quæ habet S. Bonau. in ſpec. l. 11. *In ore Mariæ non fuit fel, & venenum diaboli, ſed mel, & lac Spiritus Sancti.* Hanc miram dulcedinem deguſtaſſe Infantulum IOANNEM adhuc in materno vtero clauſum teſtatur S. Methildis diuinitus edocta l. 1. ſuarum reuelat. c. 40. *Iure* itaque ſacer Sponſus illi dicebat cantic. 2. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Hæc verba diuini epithalamij ſic ad MARIÆ ſalutationem, & IOANNIS exultationem flectit Rup. Abb. l. 2. in cant. *Audiam ego, audiant, & amici, quorum vnus vel primus audiuit, cum eſſet adhuc clauſus in vtero Matris ſuæ, & exultauit ad vocem ſuam, quæ hoc modo ſonuit in auribus meis. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Ibi ad vocem meam & vocem tuam audire, atque exultare cæpit, vnde & quodam loco dixit. Qui habet Sponſam Sponſus eſt, amicus autem Sponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi.* Argumentum nobile a minori ad maius, vt vocant, eruit S. Bern. ſ. 1. in Aſſump. ab exultatione IOANNIS nondum nati ad gaudia beatorum. *Virgo hodie inquit glorioſa cælum aſcendens ſupernorum*

gaudia

gaudia ciuium copioſis ſine dubio tumulauit augmentis. Hæc eſt enim, cuius Salutationis vox & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quod ſi paruuli nec dum nati anima liquefacta eſt, vt Maria loquuta eſt; quid putamus quanam illa fuerit cæleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præſentia meruerunt. Erant ergo eius colloquutiones, & propter vtilitatem, & propter ſuauitatem emiſſiones Paradiſi iuxta illud in Amoris cantico c. 4. *Emiſſiones tua Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus* nimirum, vt explicat Alcuinus apud Delrium hic *honeſtis & pudicis eius loquutionibus, ex quibus in mente fidelium proceſſit fructus informationis.*

At MARIA ſilens non minus, quam loquens magnificabat Deum. Eius etiam exigua opera erant Deo probatiſſima, vnde illa in digitis cæleſtis ſponſæ agnoſcens Guillel. Abb. ad 5. cantic. ad MARIAM Deiparam alludens concludit. *Ideò & digiti pleni dicuntur myrrha, non vt aliorum probata tantum, ſed probatiſſima, hoc eſt Deo commendatiſſima.* Hoc idem egregijs verbis expreſſit S. German. Patriarcha Conſt. or. de Zona. *Omnia inquit in Virgine ſunt admirabilia, & natura vires excedentia, in qua Deus ſuam exercuit potentiam. Fecit* enim *magna, qui potens eſt in ea, & ſanctum nomen eius. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri.* Hæc ciuitas Dei procul dubio Deipara virgo eſt iuxta Io. Damaſc. or. 1. de dorm. de qua glorioſa dicta ſunt. *Fundatur exultatione vniuerſa terra mons Sion latera aquilonis ciuitas Regis magni. Deus in domibus*

eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. Hinc iurè MARIA Deipara tota vocatur *magnificentia Dei* a Rich. a S. Laur. l. 4. p. 228. Suffragatur S. Bernardinus Sen. t. 3. ſ. 11. a. 1. c. 2. qui ad illud pſ. 8. *Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos Deus* ſubiungit *ſingularis magnificentia Dei fuit B. V. quia in eius exaltatione plus magnificatur. Et etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plus magnificat Dominum, quam omnis alia creatura ſimul ſumpta*. S. quoque Birgitta in ſermone Angelico B. Virginem apellat *mundum minorem, ſed qui mundum maiorem ſuperet, & maiorem Deo gloriam, Angelis lætitiam, hominibus vtilitatem afferat, quam vniuerſitas aliarum rerum om*[illegible]*m*.

An manſerit in Sacerd [illegible]
ort [illegible]

[illegible] ...cali domò
...TH cu...
...modu...
...cumul...
...plus...

...ucæ
...us in
...ententia,
...Lucæ v. 75.
...rinus, & alij,
...cognatæ virginis

ginis opera,& officio egebat. Fauet S.Eccleſiæ feſtum Viſitationis poſt natalem S.Io. celebrans, & regreſſum inſinuans. Idem apertiſſimè teſtatur B. Pet. Dam. ſerm. 23. vbi colloquia, & amplexus MARIAE cum Infantulo IOANNE celebrat. Etiam S.Bonau.c.5. vitæ Chriſti deſcribit Ioannis & Mariæ tenera, ac ſuauiſſima officia his verbis. *Peperit Eliſabeth filium, quem Domina leuauit a terra, & diligenter aptauit, vt expediens erat. Paruulus autem ipſam quaſi intelligens aſpiciebat, & cum eum Matri porrigere vellet, ad eam caput vertebat, & in ea ſolum delectabatur*. Inde ſubiungit exclamans, *O felicem Infantem, quem calorum Regina natum excepit. Si rationis vſu pollebat ... is poſſit fundo explicare quanta in Deipa... tum Virgini, tum Chriſto maximè ... latitia exilierit? Conſidera magnifi... nis: nullus vnquam talem geru...* ...idem charitas, quæ v... tionem ...morationem ſua... pen... Doctor in ſpec... his ...*ria charitatem* ... *orde* ... *m ore foueba* ... *pere* ... *im eſt Mari* ... *dici*... *m Maria c* ... *men*... *anſit aute* ... *elicet* ... *conſolat* ... Vnde, ...roſius ... *um ve*... *lareb* ... *be* ... *moratione* *ne* ... *dans*.

...nem exultauit ..., & cumulatus ... cæleſti-

cæleſtibus donis intra materna viſcera non-dum natus. Quid de eodem nato dicemus cum illum virgo Deipara alloquijs diuinis recreabat, cantu ſopiebat, fouebat amplexibus, beabat oſculis, & omni officiorum genere tenerrimo amore conſecrabat! Ad ſalutationem ſalutarem exclamat S. Bonau. in ſpec. B.V. c.4. *O quam dulciter Maria ſalutare nouit! O Maria digneris nos per gratiam ſalutare!* Inde nos quoque ad mutuam Mariæ ſalutationem prouocat his verbis. *Et certè ipſa nos libenter ſalutat beneficio, & conſolatione, ſi nos eam frequentet ſalutamus ſeruitio, & oratione. Libenter nos ſalutat cum gratia, ſi libenter eam ſalutamus cum Aue Maria.* Ioannis deinde profectus ex MARIA per trimeſtrem commorationem contubernali luculentè exprimitur a S. Ambroſ. in Lucam his verbis. *Non ſola familiaritas cauſa eſt, quod Virgo diu manſit, ſed etiam tanti Vatis ideſt Ioannis profectus. Nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, vt ad ſalutationem Mariæ exultaret Infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto Mater Infantis, quantum putamus vſu tanti temporis S. Mariæ addidiſſe præſentiam? Vngebatur itaque Ioannes, & quaſi bonus Athleta accingebatur in vtero Matris; ampliſſimo enim virtus eius certamini parabatur.* Aliter fieri non decebat ex Origene hom. 10. in Luc. *Valde quiſque* ait *indignum eſt in puncto exultare Infantem, repletamque eſſe Spiritu Sancto Eliſabeth, per tres verò menſes, nec Ioannem, nec Eliſabeth ex vicina Matris Domini, & ipſius Saluatoris præſentia profeciſſe. Audiſtis* inquit S. Pet. Chryſol. ſ. 86. *quemadmodum Zacharias ille Summi Sacerdotij*

ſplendor,

ſplendor, dum exorat obmutuit, tacuit pater vo-cis. *Ego* inquit *vox clamantis in deſerto: genitor clamoris obmutuit, & egreſſus ſilentium retulit, qui reſponſa relaturus intrauerat.* Hæc, aliaq; prodigia, vt Sacer Euangeliſta narrat, ſecum tulit nunciata IOANNIS natiuitas. *Nec mirum* eſſe ait paulò poſt idem aurei ſermonis Doctor *ſi turbatur Sacerdos, ſi ſtupet Doctor, ſi paueſcit Antiſtes, ſi tacet minima, cum videt maxima, ſi deſerit verba, cum ſigna conſpicit.* Quid de natiuitate ipſa dicendum eſt, in qua, vt idem ait *ille non dedignatur a Filio verbum recipere, cui dederat vocem?* Quid cum edita verbi Dei voce ſilentium ſolutum eſt? *In hora incenſi* pergit ſ. 187. *per Angelum aperitur ſterilitas, conceptus iubetur, promittitur partus, & inter Sacraria natiuitas ſacra procuratur. Hinc eſt quod adhuc in vtero cum membrorum compage pene concepta eſt in Ioanne prophetia: ante nutu Dei loquitur, quam perueniat ad vocis officium.* Quid erit *magnus iam coram Domino, cum multi in natiuitate eius gaudebunt!* *Qui magnus eſt* ait ipſe *coram Domino quantus ſit penes homines quis probabit? Sterilitas iſta nimirum Zachariæ & Eliſabeth* pergit ſ. 189 *non erat maledicta, ſed myſtica, in qua partus non ablatus eſt, ſed dilatus, neque erat pignori clauſa ſed tempori. Celebatur tempore, virtute tenebatur, maturabatur ætate, ſenectute creſcebat, vt in filio ſingulari tota fæcunditas penſaretur, quando in vno naſcebatur numeroſitas congeſta virtutum. Beata ſterilitas, quæ vnum ſeruabatur ad partum, & expectabat Ioannem, cui quia prima omnia debebantur primogeniti dignitas non periret.* *O quanta exclamat* ſ. 182.

ſilentio

ſilentio vox naſcitur! o quanta taciturnitate tuba ſaculis inclamatura generatur! O quod ſecretum diuini Iudicis dat praconem! Et ibidem *ſterilitas fugit, reuiuiſcit ſenectus, fides concipit, parit caſtitas, naſcitur maior homine, par Angelis, tuba cali, Praco Chriſti, arcanum Patris, Filij nuncius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorum venia, Iudaorum correctio, vocatio Gentium, & vt proprie dicam legis & gratia fibula, qua diploidem Summi Sacerdotis ſancto Patri iungebat in pectore.* At quantum huic admirandæ natiuitati tot myſterijs illuſtri, ac Sacramentis, ſplendoris contulit, quantum ſanctitatis, quantum excellentiæ MARIÆ Deiparæ Deo plenæ præſentia? Quid mirum deinde ſi IOANNES per hanc apotheoſim Marianæ viſitationis, manſioniſque triũ menſium ſpatio cõſecratus euaſerit non ſolum *Lucerna ardens, & lucens* ex euangelico teſtimonio, ſed ex Angelica legatione inter homines MAGNVS, ex diuino elogio *hominũ maximus,* & prophetico oraculo ANGELVS præcurſor, ex ſuo ſuffragio VERBI Diuini VOX, ita verbo ſimilis, vt pro ipſo haberi potuerit? Quid mirum ſi hic ſanctitatis Gigas, ac Angelus terrenus repletus Spiritu Sancto ab vtero matris ſuæ puer propheta Altiſſimi, vocari potuerit à Guarric. Abb. ſ. de nat. Io. Bap. *columna cali, gloria generis humani, miraculum mundi, parentum nobilitas, ſtirps Sacerdotalis* ab Ambroſ. in aurea cat. ad Euang. vig. *qua in vtero Matris exiliens Domini euangelizauit aduentum, non Euangeliſta tantum* ab Auguſt. hom. in vig. S. Io., ſed Baptiſta *miſſus ante faciem Chriſti praparare vias eius* à Pet. Chryſ. *Pra-*

curſor

curſor verbi, Sacerdotij ſpeculum, ſanctitatis exemplum, Euangeliſtarum Princeps, clauſula Prophetarum, Iudaicæ doctrinæ veſper, Euangelij aurora, diuini luminis lucerna, cum prophetia conceptus, inter ſacraria procuratus, Sacramenti Filius inter Sacramenta conceſſus, Antiſtes de venerando generatus Antiſtite, Angelus ore Angeli Sancta delatus in viſcera, maior homine Præco Chriſti, feruens nuncius, qui ante geſtiuit nunciare, quam viuere? Limitem quendam legis, & Euangelij figura, & veritatis apellat Vener. Beda hom. in Euang. vig. *Glorioſi Agni dignum oſtenſorem* Auguſt. hom. 1. de feſto. Etiam nomine ipſo gratiam ſonans, vt inquit ſupra relatus Ven. Beda hom. 2. *quia gratia plenus extitit, & cæteris Dei gratiam euangelizauit rectè præconium gratiæ ipſo etiam ſuo nomine ſignauit.* Sed nihil magnificentius illo elogio Pet. Dam. loc. cit. de Ioanne in Iordane Filium Dei baptizante, voce Patris e cælo audita, & columba deſcendente &c. *Vides* inquit *quia ad ſacratiſſimorum nominum nouitatem cælorum palatia reſerantur, Pater auditur in voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie demonſtratur, glorioſumque Baptiſtam ſanctificant indiuiſæ ſubſtantiæ perſonata vocabula. Ipſe vterus maternus ſterilis Eliſabethæ* quia recepturus Ioannem erat, a Pet. Chryſol. ſ. 91. dicitur *Sacrificij domus, Sanctitatis hoſpitium, meatus metatoris Chriſti, Angeli domicilium, aula Spiritus Sancti, Dei templum. Non immeritò tantæ excellentiæ fuit Ioannes, quem.* Verba S. Ambroſ. ſunt apud Nouar. in vmb. Virg. l. 4. n. 259. *in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento*

S *Domini*

Domini Mater exercuit. Imo in totam Sacerdotalem domum beneficium hoc incomparabile Marianæ viſitationis, & commorationis redundauit; nam vt aureus Epiſ. Rauennas ait *Patris, Matris, Filij corda vnus, atque idem implet Spiritus Sanctus*, *vt vno ſanctitatis organo reſonet natiuitatis dominicæ cantilena*. *Amatrix omnium mortalium* dicitur a S. Bonau. in pſalt. MARIA. At quo ſingulari amore mortalem hunc Angelum ne dicam an hominem proſequuta eſt? *Mater electorum dicitur* ab Ambroſ. Ansb. ſ. de purif.: Sed Ioannes electiſſimus Mariæ Filius inter electos eſſe meruit; *Genitrix virtutum* a Io. Geom. hym. 2. de B. V. ſed illas omnes primùm Ioanni ingenerauit. Illam nutricem ferè agnoſcit, quæ vt loquitur Philippus Abb. l. 1. in cant. c. 14. *eſt nutrix nutritoris omnium*. *Magiſtra eſt* Dei Mater ex Ruperto Abb. l. 1. in cant. *Magiſtrorum*, & ex S. Greg. hom. in Euang. *Magiſtra ſapientiſſimorum omnium Doctorum*, ſed peculiari eruditione hunc Verbi Præconem inſtruxit. Angelus eſt IOANNES inter homines, ſi non natura, ſaltem munere, ſed ad hanc nomenclaturam cæleſtem MARIAE voce initiatus fuit, cuius laus veriſſima eſt iuxta S. Ephrem in laud. B. V. dici *Reginam ſupernorum ciuium, & Dominam Angelorum*. Phoſphorus eſt æterni ſolis; ſed *Maria aurora* iuxta Hugonem Victor. ſ. 34. *de qua naſcitur Sol iuſtitiæ*, Magnus eſt inter Sanctos, ſed Virgo Deipara vt Rupertus ait l. 9. in cant. *mons montium, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum*. Maximum hominum vtcumque voce mus IOANNEM, hæc Sancta *Sanctis Sanctior* ad ſummam illum San-

ſtitatem inaugurauit. Ille verè de ſe dixit ego vox nimirum diuini Verbi, ſed hæc *ianua eſt* vt canitur in hym. Græc. apud Buteonem p. 133. *quam Verbum ſolum pertranſijt*. Illius titulus nobilis eſt dici Paranymphum cæleſtis Sponſi, ſed hæc Sponſa eſt, *& thalamus, e quo ſponſus* ex Epiph. de laud. B. V. *Chriſtus proceſſit*. Certè ſi MARIA Deipara iure dicitur *vrna aurea* ab Amed. Lauſan. hom. 1. *continens manna cæleſte, theſauraria gratiarum Dei* a Raym. Iord. in prol. *Triclinium nobile totius Trinitatis* ab Adamo de S. Vict. in proſa de Aſſ. *Adiutorium Altiſſimi* ab Hugone Card. in pſ. 90. *Altare animatum panis vitæ* a Method. or. de hypap. *Bonum generis humani ab Apollinari* in trag. Chriſtus patiens, *Solatium mundi* a S. Ephrem ſ. de laud. Virg. *Salus omnium hominum* a Theoſteričto or. in S. Nicetam quæ ſanctitas, conſecrarit Ioannem, qui theſaurus gratiarum illum ditarit, quæ gaudia in eum inundarint ex MARIA Deipara, quam ipſe velut alteram Matrem, nutricem, & Magiſtram habuit, nemo pro dignitate explicare poteſt.

in cant. *non minus, quam labia cæleſtis Sponſæ ſicut vitta coccinea. Sed & fauus diſtillans labia eius propter ſingularem ſuauitatem. Mariæ verba* ait Ricch. a S. Laur. l. 4. de laud. Virg. *dicuntur fauus mellis, quia ſicut in fauo eſt cera luminis inſtrumentum, & dulcedo mellis reficiens guſtum, ſic in verbis eius eſt veritas illuminans intellectum, & omnimoda bonitas reficiens affectum.* Imo mel & lac fuit ſub lingua eius; ſed mel & lac Spiritus Sancti iuxta illa, quæ habet S. Bonau. in ſpec. l. 11. *In ore Mariæ non fuit fel, & venenum diaboli, ſed mel, & lac Spiritus Sancti.* Hanc miram dulcedinem deguſtaſſe Infantulum IOANNEM adhuc in materno vtero clauſum teſtatur S. Methildis diuinitus edocta l. 1. ſuarum reuelat. c. 40. *Iure* itaque ſacer Sponſus illi dicebat cantic. 2. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Hæc verba diuini epithalamij ſic ad MARIÆ ſalutationem, & IOANNIS exultationem flectit Rup. Abb. l. 2. in cant. *Audiam ego, audiant, & amici, quorum vnus vel primus audiuit, cum eſſet adhuc clauſus in vtero Matris ſuæ, & exultauit ad vocem ſuam, quæ hoc modo ſonuit in auribus meis. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Ibi ad vocem meam & vocem tuam audire, atque exultare cæpit, vnde & quodam loco dixit. Qui habet Sponſam Sponſus eſt, amicus autem Sponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi.* Argumentum nobile a minori ad maius, vt vocant, eruit S. Bern. ſ. 1. in Aſſump. ab exultatione IOANNIS nondum nati ad gaudia beatorum. *Virgo hodie inquit glorioſa cælum aſcendens ſupernorum*

gaudia

gaudia ciuium copioſis ſine dubio cumulauit augmentis. Hac eſt enim, cuius Salutationis vox & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quod ſi paruuli nec dum nati anima liquefacta eſt, vt Maria loquuta eſt; quid putamus quanam illa fuerit cæleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præſentia meruerunt. Erant ergo eius colloquutiones, & propter vtilitatem, & propter ſuauitatem emiſſiones Paradiſi iuxta illud in Amoris cantico c. 4. *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus* nimirum, vt explicat Alcuinus apud Delrium hic *honeſtis & pudicis eius loquutionibus, ex quibus in mente fidelium proceſſit fructus informationis.*

At MARIA ſilens non minus, quam loquens magnificabat Deum. Eius etiam exigua opera erant Deo probatiſſima, vnde illa in digitis cæleſtis ſponſæ agnoſcens Guillel. Abb. ad 5. cantic. ad MARIAM Deiparam alludens concludit. *Ideò & digiti pleni dicuntur myrrha, non vt aliorum probata tantum, ſed probatiſſima, hoc eſt Deo commendatiſſima.* Hoc idem egregijs verbis expreſſit S. German. Patriarcha Conſt. or. de Zona. *Omnia inquit in Virgine ſunt admirabilia, & natura vires excedentia, in qua Deus ſuam exercuit potentiam. Fecit* enim *magna, qui potens eſt in ea, & ſanctum nomen eius. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri.* Hæc ciuitas Dei procul dubio Deipara virgo eſt iuxta Io. Damaſc. or. 1. de dorm. de qua glorioſa dicta ſunt. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion latera aquilonis ciuitas Regis magni. Deus in domibus*

eius

eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. Hinc iurè MARIA Deipara tota vocatur *magnificentia* Dei a Rich. a S. Laur. l. 4. p. 228. Suffragatur S. Bernardinus Sen. t. 3. ſ. 11. a. 1. c. 2. qui ad illud pſ. 8. *Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos Deus* ſubiungit *ſingularis magnificentia Dei fuit B. V. quia in eius exaltatione plus magnificatur. Et etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plus magnificat Dominum, quam omnis alia creatura ſimul ſumpta*. S. quoque Birgitta in ſermone Angelico B. Virginem apellat *mundum minorem, ſed qui mundum maiorem ſuperet, & maiorem Deo gloriam, Angelis lætitiam, hominibus vtilitatem afferat, quam vniuerſitas aliarum rerum omnium*.

An manſerit in Sacerdotali domo tempore ortus S. Io. Bapt. virgo Deipara.

VI.

MAnſio, & ſtatio B. V. in Sacerdotali domo ZACHARIÆ, & ELISABETH cum aduentu conſenſit, & mirum in modum beneficijs cæleſtibus IOANNEM cumulauit. *Manſit* vt ait Sacer Chronographus *quaſi menſibus tribus*. Dubium eſt an interfuerit tempore partus Eliſabeth, & ortus Ioannis. Negant tunc affuiſſe Rup. Abb. l. 1. in cant. Euthymius, ac Theophil. Lucæ 1. Niceph. l. 1. hiſt. c. 8. Caniſius l. 4. Marial. c. 6. Corderius Lucæ 1. & alij, quibus ſuffragatur Raynaudus in Dip. Mar. Placet magis contraria ſententia, cui adhærent Fran. Lucas ad 1. Lucæ v. 75. Toletus ibidem annot. 134. Catharinus, & alij, quia tunc ELISABETH magis cognatæ vir-

ginis

ginis opera,& officio egebat. Fauet S. Eccleſiæ feſtum Viſitationis poſt natalem S. Io. celebrans, & regreſſum inſinuans. Idem apertiſſimè teſtatur B. Pet. Dam. ſerm. 23. vbi colloquia, & amplexus MARIAE cum Infantulo IOANNE celebrat. Etiam S. Bonau. c. 5. vitæ Chriſti deſcribit Ioannis & Mariæ tenera, ac ſuauiſſima officia his verbis. *Peperit Eliſabeth filium, quem Domina leuauit a terra, & diligenter aptauit, vt expediens erat. Paruulus autem ipſam quaſi intelligens aſpiciebat, & cum eum Matri porrigere vellet, ad eam caput vertebat, & in ea ſolum delectabatur.* Inde ſubiungit exclamans. *O felicem Infantem, quem cælorum Regina natum excepit. Si rationis vſu pollebat quis poſſit fundo explicare quanta in Deipara gremio tum Virgini, tum Chriſto maximè coniunctus lætitia exilierit? Conſidera magnificentiam Ioannis: nullus vnquam talem gerulam habuit.* Eadem charitas, quæ viſitationem imperauit, commorationem ſuaſit, vt expendit idem Seraph. Doctor in ſpec. B. V. c. 4 his verbis. *Item Maria charitatem non ſolum corde habebat, non ſolum ore fouebat, ſed etiam opere exercebat. Ipſa enim eſt Maria, de qua ibi dicitur. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus. Manſit autem Maria, videlicet pro miniſterio, & conſolatione Eliſabeth.* Vnde, concludit, Ambroſius, *quæ propter officium venerat, officio inhærebat.*

Incomparabile beneficium ex hac commoratione in S. Ioannem infantulum redundans.

VII.

AD Mariæ primam ſalutationem exultauit IOANNES ſanctificatus, & cumulatus cæleſti-

cæleſtibus donis intra materna viſcera nondum natus. Quid de eodem nato dicemus cum illum virgo Deipara alloquijs diuinis recreabat, cantu ſopiebat, fouebat amplexibus, beabat oſculis, & omni officiorum genere tenerrimo amore conſecrabat! Ad ſalutationem ſalutarem exclamat S. Bonau. in ſpec. B. V. c. 4. *O quam dulciter Maria ſalutare nouit! O Maria digneris nos per gratiam ſalutare!* Inde nos quoque ad mutuam Mariæ ſalutationem prouocat his verbis. *Et certè ipſa nos libenter ſalutat beneficio, & conſolatione, ſi nos eam frequenter ſalutamus ſeruitio, & oratione. Libenter nos ſalutat cum gratia, ſi libenter eam ſalutamus cum Aue Maria.* Ioannis deinde profectus ex MARIA per trimeſtrem commorationem contubernali luculentè exprimitur a S. Ambroſ. in Lucam his verbis. *Non ſola familiaritas cauſa eſt, quod Virgo diu manſit; ſed etiam tanti Vatis ideſt Ioannis profectus. Nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, vt ad ſalutationem Mariæ exultaret Infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto Mater Infantis, quantum putamus vſu tanti temporis S. Mariæ addidiſſe præſentiam? Vngebatur itaque Ioannes, & quaſi bonus Athleta accingebatur in vtero Matris; ampliſſimo enim virtus eius certamini parabatur.* Aliter fieri non decebat ex Origene hom. 10. in Luc. *Valde quiſque* ait *indignum eſt in puncto exultare Infantem, repletamque eſſe Spiritu Sancto Eliſabeth, per tres verò menſes, nec Ioannem, nec Eliſabeth ex vicina Matris Domini, & ipſius Saluatoris præſentia profeciſſe. Audiſtis* inquit S. Pet. Chryſol. ſ. 86. *quemadmodum Zacharias ille Summi Sacerdotij ſplendor,*

ſplendor, dum exorat obmutuit, tacuit pater vo-cis. Ego inquit *vox clamantis in deſerto: genitor clamoris obmutuit, & egreſſus ſilentium retulit, qui reſponſa relaturus intrauerat.* Hæc aliaq; prodigia, vt Sacer Euangeliſta narrat, ſecum tulit nunciata IOANNIS natiuitas. *Nec mirum* eſſe ait paulò poſt idem aurei ſermonis Doctor *ſi turbatur Sacerdos, ſi ſtupet Doctor, ſi paueſcit Antiſtes, ſi tacet minima, cum videt maxima, ſi deſerit verba, cum ſigna conſpicit.* Quid de natiuitate ipſa dicendum eſt, in qua, vt idem ait *ille non dedignatur a Filio verbum recipere, cui dederat vocem?* Quid cum edita verbi Dei voce ſilentium ſolutum eſt? *In hora incenſi* pergit ſ. 187. *per Angelum aperitur ſterilitas, conceptus iubetur, promittitur partus, & inter Sacraria natiuitas ſacra procuratur. Hinc eſt quod adhuc in vtero cum membrorum compage pene concepta eſt in Ioanne prophetia: ante nutu Dei loquitur, quam perueniat ad vocis officium.* Quid erit *magnus iam coram Domino, cum multi in natiuitate eius gaudebunt! Qui magnus eſt* ait ipſe *coram Domino quantus ſit penes homines quis probabit? Sterilitas iſta nimirum Zachariæ & Eliſabeth* pergit ſ. 189 *non erat maledicta, ſed myſtica, in qua partus non ablatus eſt, ſed dilatus, neque erat pignori clauſa ſed tempori. Celebatur tempore, virtute tenebatur, maturabatur ætate, ſenectute creſcebat, vt in filio ſingulari tota fœcunditas penſaretur, quando in vno naſcebatur numeroſitas congeſta virtutum. Beata ſterilitas, quæ vnum ſeruabatur ad partum, & expectabat Ioannem, cui quia prima omnia debebantur primogeniti dignitas non periret. O quanta exclamat* ſ. 182.

ſilentio

ſilentio vox naſcitur! o quanta taciturnitate tuba ſæculis inclamatura generatur! O quod ſecretum diuini Iudicis dat præconem! Et ibidem *ſterilitas fugit, reuiuiſcit ſenectus, fides concipit, parit caſtitas, naſcitur maior homine, par Angelis, tuba cæli, Præco Chriſti, arcanum Patris, Filij nuncius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio Gentium, & vt proprie dicam legis & gratiæ fibula, quæ diploidem Summi Sacerdotis ſancto Patri iungebat in pectore.* At quantum huic admirandæ natiuitati tot myſterijs illuſtri, ac Sacramentis, ſplendoris contulit, quantum ſanctitatis, quantum excellentiæ MARIÆ Deiparæ Deo plenæ præſentia? Quid mirum deinde ſi IOANNES per hanc apotheoſim Marianæ viſitationis, manſioniſque triũ menſium ſpatio cõſecratus euaſerit non ſolum *Lucerna ardens, & lucens* ex euangelico teſtimonio, ſed ex Angelica legatione inter homines MAGNVS, ex diuino elogio *hominũ maximus*, & prophetico oraculo ANGELVS præcurſor, ex ſuo ſuffragio VERBI Diuini VOX, ita verbo ſimilis, vt pro ipſo haberi potuerit? Quid mirum ſi hic ſanctitatis Gigas, ac Angelus terrenus repletus Spiritu Sancto ab vtero matris ſuæ puer propheta Altiſſimi, vocari potuerit à Guarric. Abb. ſ. de nat. Io. Bap. *columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi, parentum nobilitas, ſtirps Sacerdotalis* ab Ambroſ. in aurea cat. ad Euang. vig. *quæ in vtero Matris exiliens Domini euangelizauit aduentum, non Euangeliſta tantum* ab Auguſt. hom. in vig. S. Io., ſed Baptiſta *miſſus ante faciem Chriſti præparare vias eius* à Pet. Chryſ. *Præcurſor*

curſor verbi, Sacerdotij ſpeculum, ſanctitatis exemplum, Euangeliſtarum Princeps, clauſula Prophetarum, Iudaicæ doctrinæ veſper, Euangelij aurora, diuini luminis lucerna, cum prophetia conceptus, inter ſacraria procuratus, Sacramenti Filius inter Sacramenta conceſſus, Antiſtes de venerando generatus Antiſtite, Angelus ore Angeli Sancta delatus in viſcera, maior homine Præco Chriſti, feruens nuncius, qui ante geſtiuit nunciare, quam viuere? Limitem quendam legis, & Euangelij figura, & veritatis apellat Vener. Beda hom. in Euang. vig. *Glorioſi Agni dignum oſtenſorem* Auguſt. hom. 1. de feſto. Etiam nomine ipſo gratiam ſonans, vt inquit ſupra relatus Ven. Beda hom. 2. *quia gratia plenus extitit, & cæteris Dei gratiam euangelizauit rectè præconium gratiæ ipſo etiam ſuo nomine ſignauit.* Sed nihil magnificentius illo elogio Pet. Dam. loc. cit. de Ioanne in Iordane Filium Dei baptizante, voce Patris e cælo audita, & columba deſcendente &c. *Vides* inquit *quia ad ſacratiſſimorum nominum nouitatem cælorum palatia reſerantur, Pater auditur in voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie demonſtratur, glorioſumque Baptiſtam ſanctificant indiuiſæ ſubſtantiæ perſonata vocabula. Ipſe vterus maternus ſterilis Eliſabethæ* quia recepturus Ioannem erat, a Pet. Chryſol. ſ. 91. dicitur *Sacrificij domus, Sanctitatis hoſpitium, meatus metatoris Chriſti, Angeli domicilium, aula Spiritus Sancti, Dei templum. Non immeritò tantæ excellentiæ fuit Ioannes, quem.* Verba S. Ambroſ. ſunt apud Nouar. in vmb. Virg. l. 4. n. 259. *in tribus menſibus oleo quodam ſua præſentiæ, & integritatis vnguento*

Domini Mater exercuit. Imo in totam Sacerdotalem domum beneficium hoc incomparabile Marianæ viſitationis, & commorationis redundauit; nam vt aureus Epiſ. Rauennas ait *Patris, Matris, Filij corda vnus, atque idem implet Spiritus Sanctus*, *vt vno ſanctitatis organo reſonet natiuitatis dominicæ cantilena*. *Amatrix omnium mortalium* dicitur a S. Bonau. in pſalt. MARIA. At quo ſingulari amore mortalem hunc Angelum ne dicam an hominem proſequuta eſt? *Mater electorum dicitur* ab Ambroſ. Ansb. ſ. de purif.: Sed Ioannes electiſſimus Mariæ Filius inter electos eſſe meruit; *Genitrix virtutum* a Io. Geom. hym. 2. de B. V. ſed illas omnes primùm Ioanni ingenerauit. Illam nutricem ferè agnoſcit, quæ vt loquitur Philippus Abb. l. 1. in cant. c. 14. *eſt nutrix nutritoris omnium*. *Magiſtra eſt* Dei Mater ex Ruperto Abb. l. 1. in cant. *Magiſtrorum*, & ex S. Greg. hom. in Euang. *Magiſtra ſapientiſſimorum omnium Doctorum*, ſed peculiari eruditione hunc Verbi Præconem inſtruxit. Angelus eſt IOANNES inter homines, ſi non natura, ſaltem munere, ſed ad hanc nomenclaturam cæleſtem MARIAE voce initiatus fuit, cuius laus veriſſima eſt iuxta S. Ephrem in laud. B. V. dici *Reginam ſupernorum ciuium, & Dominam Angelorum*. Phoſphorus eſt æterni ſolis; ſed *Maria aurora* iuxta Hugonem Victor. ſ. 34. *de qua naſcitur Sol iuſtitiæ*, Magnus eſt inter Sanctos, ſed Virgo Deipara vt Rupertus ait l. 9. in cant. *mons montium, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum*. Maximum hominum vtcumque vocemus IOANNEM, hæc Sancta *Sanctis Sanctior* ad ſummam illum Sanctitatem

ctitatem inaugurauit. Ille verè de ſe dixit ego vox nimirum diuini Verbi, ſed hæc *ianua eſt* vt canitur in hym. Græc. apud Buteonem p. 133. *quam Verbum ſolum pertranſijt*. Illius titulus nobilis eſt dici Paranymphum cæleſtis Sponſi, ſed hæc Sponſa eſt, *& thalamus, e quo ſponſus* ex Epiph. de laud. B. V. *Chriſtus proceſſit*. Certè ſi MARIA Deipara iure dicitur *vrna aurea* ab Amed. Lauſan. hom. 1. *continens manna cæleſte, theſauraria gratiarum Dei* a Raym. Iord. in prol. *Triclinium nobile totius Trinitatis* ab Adamo de S. Vict. in proſa de Aſſ. *Adiutorium Altiſſimi* ab Hugone Card. in pſ. 90. *Altare animatum panis vitæ* a Method. or. de hypap. *Bonum generis humani ab Apollinari* in trag. Chriſtus patiens, *Solatium mundi* a S. Ephrem ſ. de laud. Virg. *Salus omnium hominum* a Theoſterićto or. in S. Nicetam, quæ ſanctitas, conſecrarit Ioannem, qui theſaurus gratiarum illum ditarit, quæ gaudia in eum inundarint ex MARIA Deipara, quam ipſe velut alteram Matrem, nutricem, & Magiſtram habuit, nemo pro dignitate explicare poteſt.

EXPECTATIO
Diuini partus, præſertim in itinere Bethlemico.
ANTITHETA.

ELOG. XIV.

Exijt edictum a Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis &c. Aſcendit autem & Ioſeph a Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod eſſet de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante. Lucæ 2.

Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de fæmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium. Gen. 49.

Antithetis tota conſtat
admirabilis hæc diuini VERBI deſcriptio.
Nemo præter Deum Auguſte VERBVM dicit,
quod tu edicto tuo deſcribis.
Ille vnus omnem numerum excedit,
quem tu cum populo numeras,
Vnicum VERBVM
ſuperabit totius orbis nomina.
Ambitionem etiam tuam Cæſar ſuperabit
Herodis immanitas.
Tu diuinam familiam in Iudæa deſcribis:
ille in Egyptum proſcribet.
Hoc vnum VERBVM deſcriptum
ſi orbis intelligat,
abunde ſapit.

In hoc Pater ſemper ab æterno loquutus
omnia dixit.
Abſiſte Cæſar
vniuerſum terrarum orbem deſcribere,
quando in vno rerum omniũ ſummam habes.
Vbi Europam Aſiam Aphricam luſtraueris:
vna Bethleem aliquid maius dabit,
Paruulum proferens
orbe Romano, nedum Romana vrbe maiorem.
Abdica etiam Roma mundi Domina
imperij nomen:
poſthac Dei patria erit mundi metropolis.
Illi cedere ſine dedecore potes,
cui cælum inuidet.
Initiarunt te è Lupa martis Filij
ad orbis imperium:
hanc e VIRGINE Princeps pacis.
At non humanum antithetum,
ſed diuinum paradoxum eſt
iterum homini Deum obedire.
Cum primùm Deus voci hominis obedijt,
ſol ſtetit:
ſecunda hæc obedientia Deum mouet.
Nemo miretur mobilem ſolem
humanis imperijs ſtare,
cum immobilem omnium motorem
ijſdem moueri videt.
Ibi ſoli Ieſus imperauit:
hìc maior IESVS Cæſari paret.
Abſiſte iterum Cæſar
etiam orbe terrarum deſcripto:
incircumſcriptus Deus deſcribi non poteſt.
Immenſitatem punctò claudere conaris,
cum Deum orbe terrarum.
Totus ſupra Empyreum habitat Deus,
licet

licet in virgunculæ ſinu
ſui epiciclum circumagat.
Deſcibitur tamen VERBVM productum
ad Dei immenſitatem,
quia etiam contractũ ad hominis breuitatem.
Ineffabile cum ſit definitionẽ ſcitè nõ patitur:
deſcriptionem aliquo modo admittit.
Poſt hanc deſcriptionem
ab omnibus IGNOTVS DEVS legi poterit.
Sed Auguſto Auguſtior
illuſtrius illũ MARIA, quam Cæſar deſcripſit.
Aligera hanc vota naſcituri Infantis
non peditem ad Bethlemicam rapem,
ſed volucrem rapiunt.
Eodẽ çeleris obedientię Sacramẽto initiatur,
Filius ad vitam, ad partum Mater,
& mutuum eſt Mater Filio,
Filius Matri viaticum.
Nulla leuior Sarcina eſſe poteſt,
quam Dei pondus.
Amor ille totus cum ſit, neminem premens,
alas etiam addit ferenti.
Solitudinem abſtulit Eremis ipſis
Angelorum populus itineris comes.
Deo peregrinante
nulli cælitum patria ferè placere potuit.
Infantem quoque Regẽ licet adhuc latentem
omnia ſuis tributis adorarunt.
Zephyrus, tellus, flores,
innocenti duello Pater, Mater,
filijque certarunt.
Subditura natura turbines Galilæi maris,
Iudæas auras vectigales præmittit.
Tandem Bethlemidis rupis ſpecus
currentes excipit

carcer ſimul, & meta.
Non ſine myſterio amoris
IESVS Nazarenus mori voluit:
Bethlemicus naſci.
Nimirum ver occaſui elegit, & montem,
hyemem ortui, & ſpeluncam,
vt celebrius moreretur in monte,
in ſpelunca naſceretur aſperius.
Hic cum ſaxei homines ſummo Regi
hoſpitium negarent,
humana ſpelunca pro Regia ſinum aperuit:
Anguſtijs ſuis immenſitatem excipere potuit,
quæ iam fecerat compendium Sui,
Si tamen mundo maior ſpelunca illa non eſt,
quæ Deum etiam in epitome Sui capit.

Ante Redemptoris aduentum pœnam ſuam electi omnes habuerunt, quia aſtuante deſiderio Incarnationis eius, myſterium videre cupierunt. S. Gregor. l. 9. mor. c. 15.

Quando B. Virgo habuit in ſuo vtero Solem iuſtitia, tantus fulgor exibat de eius facie, quod Ioſeph eam cognoſcere, & diſcernere non valebat, nec in eius faciem intendere poterat, donec eius vterus fuit euacuatus. Orig. in c. 2. Lucæ.

De expectatione partus præſertim in itinere Bethlemico.

CAP. XIV.

IAM in ſtellanti Abrahamicæ familiæ cælo ſupra Iudeæ montes LVCIFERO radiante, adorabatur primus *candor lucis æterna*, nimirum mox mox naſciturus diuinus

uinus SOL in AVRORA prægnante. Iam edita VOCE orbis terrarum VERBVM expectabat, & mirum videri poterat tanto interuallo VERBVM a VOCE diſtare. Iam ex magno Nuncio terra ſibi gratulari poterat venturi cæleſtis Regis maieſtatem ſummam, ac maximam. Auſpicium nimirum lectiſſimum, ac prorſus diuinum, quo in vtero virgine creſcebat corporata humani generis ſalus, potiſſimum IOANNES erat inter prodigia conceptus, inter oracula natus, in Matre tripudians, in Patre loquens, gratiæ nomine, magnitudinis titulo, quem e cælo habuerat, etiam in prima infantia totius Iudeæ ſtupor. Vtcunque Sublimes eſſent montes, in quibus fortunatiſſima Hebron magni IOANNIS patria, atque adeò pene dixerim mundi apex eminebat, ſublimiores erant montes, in quibus Dei præco ſanctitatis ſuę fundamenta poſuerat, & diuinæ vitæ altiſſima incunabula, nimirum MARIA Deipara *mons Domini in vertice montium*. In hoc Atlante, qui maiori prodigio Deum vtero, quam aſtra tergo ſuſtentabat, adhuc reptans exceptus, facili niſu humana quæque tranſcendit, & inter homines Angelus cæli faſtigium tenuit, melioribus virtutum omnium alſis coronatus. Vbi Dei Mater diuina præſentia conſecrato IOANNI, manibus ſuis, quibus obſtetricantibus miraculis ſæpius illum beauit, ad Sui Ideam primam hæroicæ ſanctimoniæ indolem finxit, & innocentiæ ſuæ quendam florem afflauit, cum magno vteri ſui hoſpite domum patriam repetijt. E montanis Iudeæ deſcendens; ſed Altiſſimum geſtans ſublimis etiam in Valli-

bus eſſe non deſijt. Ad eius præſentiam, qui & vallium, & montium Deus eſt *omnis vallis impletur, & omnis mons humiliatur*, aſſurgente in cælum excelſa humilitate, & vili ſuperbia in abyſſum dehiſcente. Nihil ferum contraxit in montibus, quæ nihil humanum ab vrbibus attulerat. Tantos hoſpites, nec magna ZACHARIÆ & ELISABETH domus, nec excelſa Hebron amplius capiebat. Eadem itaque celeritate, qua migrarat, cælo, terraque, atque vniuerſa natura famulante remigrauit MARIA Deipara, veriſſima philoſophia omnia bona ſua ſecum portans. Solem dixiſſes diuinum in domo Virginis per eandem ecclypticā amoris, & zodiacum gratiarum retrogradum. Etiam ſuis rectis erroribus diſcurrens de more cæleſtium, ſuas ſpiras agebat Deus amans peregrinus in terris. Gratulata eſt ſibi florida Nazareth ſub æſtino ſolſtitio vernantem iterum Paradiſum deliciarum in diuina familia, & in Ieſſæa virga felici prouentu germinante florem ſuum, fortunata refloruit. Ardebat interim Deipara Virgo ſub meliori ſolſtitio, quod ignea accenderant vota, & ſicuti vtero felicitatis pelagus, ita corde empyreum geſtabat amoris. Beatiſſima hæc vota ſeximeſtrem vitam conflarunt à Paranymphi IOANNIS ad IESV Sponſi natalia, & omnia prorſus horarum momenta conſecrarunt. Verum tantæ felicitatis malaciam, quam Sponſæ Virgini ſuperuenientis de cælo Sancti Spiritus pacatiſſima aura explicuerat, ſuſpicionis motus, fluctuſque turbarunt. Hac leui procella pulſata eſt IOSEPHI iuſti virtus, ſed veluti ſcopulus,

quem

quem vndæ procaces abluunt, non lædunt pertinaci etiam appulſu, ad noſtræ firmitatis æternum exemplum immotus ſtetit. Cum ex vna parte ad ſuſpicionem adulterij traheret ab vtero intumeſcente proditus fætus, ex altera ſanctitatis ſplendor in Sponſa Virgine illuſtris, & luculentus teſtis illibati candoris eum reprehenderet, inter myſterij, criminiſque cogitationem ſuſpenſus cæpit occultę dimiſſionis, quæ alioquin honeſtè, & innocenter fieri poterat, agitare conſilium. At Angelus monitor e cælo aperta virginei fætus Diuinitate iterum mentem fluctuantem pacauit, redditaque eſt cæleſti animæ ſerenitas poſt nubila vultu gratiori. Idem Sol Marianus qui attraxerat, ſtatim diſiecit ſuſpicionum nubes. Eſſe debebat MARIÆ admirabilis virginitas ſtupore, non dubitatione ſuſpecta. Apologetico ſilentio cauſam ſuam agens Verbi Mater meruit patronum e cælo Angelum oratorem. Dei intererat cauſam hanc vincere; pro domo enim ſua perorabat. Affuit tandem expectatiſſimus nonus menſis a virgineo conceptu, quo, cum indicta fuiſſet ab Auguſto Cæſare totius Romani orbis capitatio, omnium, qui eius imperio parebant nominibus deſcriptis in eo loco, qui erat originis caput, diuina familia ſe ad iter Bethlemicum accinxit. Erat ſiquidem Bethleem Dauidicis natalibus celeberrima toti Regię poſteritati, cuius MARIA, & IOSEPHVS pars nobiliſſima erat, Metropolis. Iterum admirabiliori prodigio æterni Solis peregrinantis, quam noſtri ſtantis, voci hominis Deus obedit, quaſi deſcribi in circumſcriptum numen poſſet. Nullam inter

homines lineam habemus, quæ metiri immenſitatem poſſit, ducique magnitudini diuinæ paralella. Primus Octauianus Auguſtus, Imperatoris nomen iure meruit; qui ſuæ potentiæ inſcius, non hominibus tantum, ſed Deo imperauit. Auguſti etiam, & maximi grandes titulos ſortitus eſt Cæſar, aliena potius obedientia, quam imperio ſuo. Iure etiam nunquam maior, quam ſub Auguſto Cæſare Roma fuit, Imperatoris leges ſeruante Numine, cuius omnia dicta in mundana rerum omnium Republica, edicta ſunt. Nemo miretur IESVM patibulatum in cruce obedientem fuiſſe vſque ad mortem, ſi etiam antequam naſcatur, obedit. Proh quantum parendi ſtudium fuit in Infante rerum Domino! Non adhuc natus ſpectatur obediens, & victorias loquitur. Poſt ſeptimum à molitione Mundi diem Amor archetypus quieuit: poſt ſeptimum ab eius reparatione menſem non adhuc oriatur. Ne ferietur vnquam in hominum ſalute fruens Sabbato delicato poſt hebdomadam menſium, adhuc peregrinatur. Auſpicatiſſimum iter ſibi ipſis fuerunt IOSEPHVS peregrinantis Sanctuarij cuſtos, & adorator: MARIA ditiſſima ſimul, & pauperrima, quæ Deum in vtero, non in Arca tantum, vt Iſraeliticus populus habebat, nummo carens, & plena Numine: Deus ipſe viator, totius viaticum itineris, & dulciſſima ſarcina, quæ non pondus afferret ſed alas, nec oneri eſſet ſed honori. Vbique calcata tellus à Sponſis Nazarenis, qui flores Virginum erant, in Paradiſum deliciarum vernabat, cui Bethleem gratiſſima meta fuit, & multò gratior metæ pre-

tium Deus naſcens. Ad terram tandem diuinæ promiſſionis peruentum eſt; in qua Deus ex ſuo oraculo erat naſciturus; per ſummam patientiſſimi amoris impatientiam; qui flammis ſuis, veluti alis abreptus ingentes viæ labores celeriter ſimul, conſtanterque exantlauit. Sed parua Bethleem ne dicam, an magna, certè ex diuinis natalibus oraculo teſte non futura minima in Principibus Iuda, aduentanti ſaluti ingrata ſimul,& cæca fores occluſit. Vrbanitas tamen, quam vrbs à ſe proſcripſerat, ſuburbana ſpelunca retinuit, cuius appendix erat ſtabulum ſua inſtructũ familia, & ſupellectile, iumentis, præſepi, fæno, ſtipulis. Ignobilis hæc ſpelunca Tantis Hoſpitibus domum aperuit, & incunabula poſuit Empyreo Infanti. O teathrum anguſtiſſimum ſimul, & auguſtiſſimum! Deus hoſpes: nihil auguſtius eſt. Sed quid anguſtius, cum ſpeluncam habitat. Hoſpes eſt mundo maior Rex Regum, quem cæli cælorum non capiunt: auguſtiſſimum antrum eſt. Sed Regia ſtabulum, thronus præſepe, prætoriani milites,& aulici palatini, inter domeſtica iumenta viliſſima capita Bos & Aſellus: ergo ſimul etiam anguſtiſſimum. Non aliter capi immenſa Diuinitas ne quidem in orbe terrarum potuiſſet, niſi feciſſet compendium Sui, nunquam tamen magis auguſta, quam in anguſtijs ſuis. O peruerſa Dei, hominumque officia! Verbo diuinis officijs humanum genus promerenti inhumani homines ne quidem reſpondent humanis; vnde Deus amor gelidiorem in cordium hyeme, quam in corde hyemis zonam inuenit. O rerum vices! Pannoſus Deus in ſpe-

tu habitat, iacet in ſtipula, inter iumenta ſtabulatur: coronatus latro regnat in aula, ſedet in ſolio, adoratur in purpura! Priuatę nimirum ſępius virtutis imperium latet, & induunt publica ſcelera maieſtatem.



ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis & ſcholaſticis Doctoribus de expectatione partus.

SYNOPSIS.

1 QVid nomine feſti expectationis partus veniat? 2. Intemerata virginitas B. Virginis ſtabilitur. 3. Ioſephi turbatio expenditur. 4. Circa virgineum partum vota, ipſius præſertim Beatæ Virginis aperiuntur. 5. MARIA maximè in expectatione diuini partus Dei Thronus. 6. Angeli plures cuſtodiebant B. Virginem Infantulum IESVM in vtero virgineo geſtantem. 7. Auguſti edictum occaſio itineris Bethlemici. 8. Et quomodo illud confecerit?

Quid nomine feſti expectationis partus veniat.

I.

INgens Mariana commoratio Hebrone gaudiorum, ſed regreſſus Nazareth dolorum ſeges fuit Sacerdotali familiæ; Hos explicat Euſeb. Emiſſ. his verbis. *Libet nunc intueri quantas tunc Zacharias, & quantas Eliſabeth lachrymas fuderint, quando Virgo Maria receſſit inde, quando gaudium & ſtella maris in ſuam domum reuerſa eſt.* Illud temporis ſpatium, quod inter ortum IOANNIS, & IESV interceſſit, expectationi virginei diuini partus tribuendum eſt. At peculiariter feſtum expectationis partus duo videtur complecti ex Carthag. t. 2. l. 7. hom. 1. nimirum cultum intemeratæ ſemper Marianæ virginitatis, & pia tum B. Virg. tum SS. Patrum, tum Eccleſiæ Catholicæ deſideria de Filij Dei natiuitate. Feſti huius, quod Hiſpani Dominæ noſtræ

ſtræ del'O vocant, inſtitutio primùm fuit in Hiſpania occaſione hæreſis virginitatem MARIÆ Deiparæ impugnantis. Hanc Hæreſim, quam S. Hieron. expugnarat, ac fere in inferis tumularat, ab inferis iterum poſtliminio reuocarunt ſceleſtiſſimi Hereſiarchę Elladius, & Pelagius, & ex Gallia Gothica tempore S. Hildephonſi in Hiſpaniam traduxerunt. Tunc circa an. Dom. 660. regnante Catholico Rege Reſenſuintho 17. Epiſcopi, qui cum Eugenio ad concilium Toletanum conuenerant vnanimi conſenſu, & intemeratæ ſemper Virgini Deiparę acclamarunt, & feſtum expectationis diuini partus inſtituerunt.

Intemerata Virginitas B. V. ſtabilitur.

II.

DE integerrima virginitate B. Mar. piè, & eruditè diſſerit Io. Carthag. t. 2. l. 7. ab hom. 3. vſque ad 15. Eam non ſacra tantum veteris, & noui teſtamenti oracula prædicant, æcumenica concilia, & SS. Patres vnanimi conſenſu, ſed ipſæ prophanæ ſybillæ. *Libros Græcos ſumite* (ſic Ethnicos alloquitur Clemens Alex. l. 6. Stromm.) *agnoſcite ſybillam, quomodo vnum Deum ſignificet, & ea quæ futura ſunt*. Omiſſis alijs, quarum de partu virgineo luculenta teſtimonia ſunt, de vna Erythræa ſcribit S. Auguſt. l. 18. de ciu. Dei c. 23. ſcripſiſſe multa carmina ea arte, vt primæ eorum litteræ ſimul iunctę redderent hęc verba. *Ieſus Chriſtus Filius Dei Saluator*. In lib orac. hoc etiam triſtichon eiuſdem Sybillæ legitur.

Cerno Dei Matrem, qui ſe demiſit ab alto

Vltima

Vltima felices referent cum tempora Soles
Hebraa, quem Virgo feret de ſtirpe decora.

Nauclerus, & Volaterranus, imò S. Th. 2.2. q. 2. a. 7. ad 3. dicunt, vetuſtiſſimum partus virginei monumentum repertum fuiſſe Irene Matre, & Conſtantino Imperantibus in laminis aureis, in quibus hæc erat inſcriptio. *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol ſub Irene, & Conſtantini Imperatorum temporibus iterum me videbis.*

Scio ſingulare priuilegium eſſe Mar. Deip. vnde D. Bernard. dixit. *Vnum eſt, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore. Mariæ priuilegium eſt: non dabitur alteri: ſingulare eſt.* Scio eſſe miraculum ingens, & opus nouum naturæ, vnde exclamat Gregor. Nyſſ. *O miraculum ingens! Virgo Mater fit; & virgo permanet. Vides opus nouum naturæ. Opus nouum nouorum omnium & ſolum ſub Sole nouum eſſe*, celebre dictum eſt Io. Damaſ. alludentis ad illud. Ier. 31. *Nouum fecit Dominus ſuper terram fœmina circumdabit Virum. Opus* apellat Pe. Dam. ſ. 1. de Nat. B. V. *quod ſolus Opifex ſupergreditur.* Imo totum Sacratiſſimum Myſterium ſupra naturam eſt. At *Deitas naſcentis* attendenda eſt iuxta Magni Leonis conſilium ſ. 2. de Nat Dom. *non humana conditio parientis. Humano* ait *vſu, quod credimus caret, ſed diuina poteſtate ſubnixum eſt, quod Virgo conceperit, quod Virgo pepererit, quod Virgo permanſerit. Non hic cogitetur parientis conditio, ſed naſcentis arbitrium, qui ſic homo natus eſt, quia volebat, & poterat.* Rationes mirum in modum congruas, cur Filius Dei ex

Virgine Matre naſci voluerit afferunt paſſim Patres, præſertim S. Bern. ſ. 3. in vig. nat. S. Io. Chryſ. hom. 48. in Gen. S. Anſel. l. 2. cuius titulus eſt: Cur Deus homo? S. Io. Damaſ. l. 4. de fid. c. 25. S. Hildeph. l. de perp. Virgin. & partur. Mar. S. Pet. Chryſol. ſ. 41. S. Ambroſ. ſ. 39. S. Auguſt. l. 13. de Trin. c. 18. S. Th. 3. p. q. 28. a. 1. 2. 2. loc. cit. & alij. *Ingreſſum omnium Domini* (verba Chryſoſ. ſunt) *digniorem eſſe oportet, quam noſtrum. Regius enim fuit introitus.* His conſonant Hildeph. verba reſpectu Matris. *Oportuit vt primam Genitricis integritatem naſcens incorruptio cuſtodiret, & complacitum clauſtrum pudens ſanctitatis hoſpitium virtus diuini Spiritus infuſa ſeruaret.* Nec rationes tantum, ob quas decebat Dei Matrem fœcundam Virginem eſſe, ſed illuſtriſſima elogia Marianæ virginitatis leguntur apud Patres, præcipuè S. Auguſt. ſ. 14. de Nat. Dom. & alibi paſſim S. Irenæum l. 3. c. 31. Tertullian. l. de carne Chriſ. S. Leonem Pap. ſ. 5. de nat. Dom. S. Cyprian. eloquentiſs. Martyr. l. contra Iudeos c. 9. S. Fulgent. ſ. de laud. Mar. S. Ambroſ. Epiſ. 6. S. Maxim. Taurin. hom. 3. in nat. Dom. Orig. in 23. Matth. S. Epiph. hær. 78. S. Bern. hom. 2. in miſſus eſt. ſ. 7. de verbis Apoc. ſ. 4. in Aſſ. & alibi paſſim, S. Gregor. Nazianz. multiplici Græco carm. quod in latinum tranſtulit Caniſ. & refert l. 1. de Deip. c. 4. B. Pet. Dam. l. 3. de Nat. Mar. D. Chryſoſ. in Hypap. Dom. Guarr. Abb. ſ. 2. de Annunc. & alios innumeros.

IOSE-

IOSEPHI turbatio expenditur.

III.

IOSEPHI turbatio regreſſum e montanis Iudææ conſequuta eſt, & narratur Matth. 1. Eam per luculentam hypotipoſim aureis verbis deſcribit Pet. Epiſc. Rauennas ſ. 175. IOSEPH ait *ille maritus ſolo nomine, conſcientia Sponſus, prægnantem Sponſam fluctuans, & anxius intuetur, quia neque accuſare innocentem, neque prægnantem poterat excuſare. Tacere tutum non erat: erat loqui periculum. Admittit non prodit crimina accuſator inſontis. Erat ipſe teſtimonium caſtitatis, erat cuſtos pudoris. Aliud nouerat, aliud intuebatur. Confundebat Virginis fides, actus, & vita. In biuio mens iuſta, & ſanctus animus ancipiti cogitatione torquetur. Sentit, ſed tantum non poteſt penetrare Sacramentum, quia nec accuſare poterat, & defenſare penes homines non valebat.* Inter hos æſtus *non ſolum* vt ait S. Ambroſ. in pſ. 118 *ab vltionis atrocitate, ſed etiam ab accuſationis ſeueritate perſona iuſti aliena eſt,* potiuſq; ducit ſuam remiſſionem accuſari, quod non vindicauerat, quam alienũ crimen vrgere. Inijt tamen conſilium Sanctiſs. Patriarcha de occulta dimiſſione prægnantis vxoris.

Hoc fuiſſe licitũ, quia occulta dimiſſio erat, & abſque ſcandalo affirmant S. Auguſt. epiſt. ſ. 4. & ſ. 18 de temp. Orig. hom. 1. S. Bern. hom. 2. in miſſus eſt, multi ſacrarum litterarum Interpretes, vt Maldonatus Matth. 1. Abul. Matth. 19 q. 2. & alij, multi Doct. Scholaſt., quos expendit, & ſequitur Sanchez l. 10. de matrim. d. 12. & Matthias Naueus orat. 4. de

S. Ioſ.

S. Ioſ. ac latè Marianus Victor. in indice ad tom. 9. S. Hieron. V. Mar.

Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 9. q. 4. S. IOSEPHVM de Virginis Sponſæ puritate nihil dubitaſſe affirmat, ſed in quendam ſtuporem raptum fuiſſe, & probat ex PP. præſertim S. Hieron. in c. 1. Matth. Aymone ſ. de nat. S. Bernardino Sen. t. 3. ſ. de S. Ioſ. a. 2. c. 1. Io. Gerſone 3. p. operum ſ. de Nat. Mar. Addit noluiſſe traducere eam, nimirum humillimum hominem ob timorem reuerentialem voluiſſe ab ipſa recedere. Verba Cancell. Pariſ. hæc ſunt. *Turbatus eſt ad ſtupendum tantæ nouitatis miraculum, ita vt vellet Mariam traducere, non tamen conturbatus, vel culpabiliter incredulus; ſed ſtupor quidam apprehenderat eum ſicut de Petro legimus, dum ait ad Ieſum. Exi a me Domine, quia homo peccator ſum. Ioſeph ſimiliter coniungi coniugio tam excellentiſſimæ Virginis Mariæ indignum ſe iudicabat. Propterea non ex credulitate ſuſpicioſa, ſed ex profundiſſima humilitate videtur Mariam traducere noluiſſe, ſed quaſi dixiſſe. Exi a me Domina, quia peccator ſum. Hinc Angelus ad eum. Ioſeph Fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Non dixit noli incredulus eſſe &c.* Suffragatur reuelatio facta S. Birg. l. 7. c. 75. ab ipſa B. V. in hunc modum. *Sed poſtquam conſenſi Nuncio Dei, Ioſeph videns vterum meum virtute Spiritus Sancti intumeſcere expauit vehementer non ſuſpicans contra me aliquid ſiniſtrum, ſed recordatus dicta Prophetarum prænunciantium Filium Dei naſciturum de Virgine, reputabat ſe indignum tali ſeruire Matri, donec Angelus in ſomnis præcepit ſibi non timere, ſed*

cum

cum charitate mihi miniſtrare. Eadem eſt ſententia S.Bonau.in ſpec.c.15. Auctoris imperf. in c. 1. Matth. Io.Echij ſ. de Nat. Virg. S.Bern. hom. 2. in miſſus eſt Pet. Morales l. 4. tract. 5. in c. 1. Matth. & aliorum. Seraphicus Doctor his verbis exclamat. *O ineffabilis laus Mariæ! magis credebat Ioſeph caſtitati eius, quam vtero eius, & plus gratiæ, quam naturæ &c.* Et certè ſi MARIA virgo illam intuentibus puritatem inſinuabat, quo pacto virgini Sponſo potuit ingerere adulterij ſuſpicionem? Accedit, quod Deus Virgineæ integritatis in Mar. Deip. famam ipſam ſummè adamauit, vnde vt ait S. Ambroſ. l. 1. in Lucam. *Maluit aliquos de ſua generatione, quam de Matris puritate dubitare*. Perinde deinde fuit, cum dixit Angelus *Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, ac ſi illi dixiſſet *accipere ſicut comendatum cæleſtem theſaurum* iuxta Orig. in c. 1. Matth. *Deitatis diuitias, ſicut pleniſſimam ſanctitatem, ſicut perfectam iuſtitiam*. Vnde Rich. a S. Laur. l. 5. affirmat iuſtum Ioſephum, ex quo credidit MARIAM de Spiritu Sancto concepiſſe non auſum fuiſſe præ quodam humilis reuerentiæ ſtupore, & extaſi, illius faciem contemplari, ac proinde non cognoſcebat eam. Eadem habet magnus ille diuini Verbi Præco & vitiorum profligator S. Vincentius Ferr. ſ. in Virg. nat. & concludit. *Si facies Moyſis erat ita ſplendens ex ſola Dei loquutione, quantò ergo magis facies Virg. Mariæ ex Filij Dei conceptione*. Fauent Angel. Doct. 3. p. q. 28. a. 3. S. Hilar. Nicolaus Lyran. & gloſſa ordinaria ad illa verba Matth. *Ioſeph non cognoſcebat eam*, multique recentiores,

res,

res, & fusè Io. Bap. Guarinus in ſua Hie-
rarch. c. 9.

Circa virgineum partum vota præſertim ipſius B. V. aperiuntur.

IV.

Optarunt ſæculis omnibus ab orbe nato virgineum partum Sanctiſſimi Patriarchæ votiuis clamoribus, & poſcentes enixè a Patre Filium dicebant. Emitte Domine Agnũ dominatorem terræ &c. Verum vt ait Apoſt. ad Heb. 11. *iuxta fidem defuncti ſunt omnes acceptis repromiſſionibus, ſed a longè eas accipientes, & ſalutantes.* Hæc vota ante Incar. Diu. Verbi exponit Rup. Abb. in princ. cant. canticorum ad illa verba. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, dum eundem eſſe ſenſum horum verborum aſſerit, & aliorum, quæ B. V. legationi Angelicæ aſſentiens edidit. *Fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Exorantem hoc magnum Myſterium B. Virginem inducit S. Bonau. t. 2. opuſ. 1. de vita Chriſ. c. 3. De his votis B. Virginis ſanctiſſimis agunt fusè Caniſ. l. 1. c. 13. vbi affert, quod S. Birg. fuerit reuelatum, & Ludou. de Ponte doctus, & pius vir in cant. l. 1. exhort. 23. comparans illam cum ſcala Iacob. Vnde ſæpius concludit Angelos deſcendiſſe mirabiles ei annunciantes (eiuſdem verba ſunt) reuelationes Meſſiæ iam iam terræ appropinquantis. *Qua etiam alacritate* inquit ipſe iterum *ad Deum aſcendebant cauſa virginis, ardentia deſideria reportantes.* Certè nemo ardentioribus votis Deſiderium collium æternorum, & Deſideratum cunctis gentibus e ſinu paterno in ſuum virgineum euocauit,

quam Mater, præſertim ijs diebus, quæ diuinum partum proximè præiuere. Vſurpabat fortaſſe votiua illa verba, quibus poſtea Eccleſia Catholica vſa eſt. *O ſapientia, O Adonai, O radix Ieſſe, O clauis Dauid, O oriens, O Rex gentium, O Emmanuel &c.* Illud etiam carmen maximè congruebat pſ. 129. *Sperauit Anima mea in Domino a cuſtodia matutina vſque ad noctem*, ad illam noctem omnibus diebus illuſtriorem anhelanti, qua naſciturus erat Sol iuſtitiæ Dei Filius iuxta illud orac. ſap. 18. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine de Regalibus Sedibus venit.* Certè Caſſiodorus vertit *ſperauit anima mea in Domino; qui eſt verbum Patris, & de Virgine naſci dignabitur.* Fauet huic interpretationi Paraphraſtes Chaldæus dicens. *Anima mea ardentius deſiderauit aduentum Domini, quam vigiles nocturni aduentum matutinum*: Quid ni ego quoque audeam dicere. *Veni Domine, & noli tardare relaxa facinera plebi tuæ?* Quid ni ſeruatorem ipsũ DEVM-HOMINEM inuitem, vt obſtetricantibus vndequaque miraculis, ac tota natura feſtis prodigijs naſcenti Domino ancillante in lucem prodeat, imo lux mundi prodeat, & viſitet nos ex alto *illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent*, illo tetraſticho S. Ambroſ., quod Cæleſtinus Papa in concil. Rom. aduerſus Neſtorium recitat.

Veni Redemptor Gentium,
Oſtende partum Virginis.
Miretur omne ſæculum:
Talis decet partus Deum.

Maria

Maria maximè in expectatione partus Dei thronus.

V.

IN expectatione partus B. Virgini maximè conueniunt elogia SS.Patrum, quæ illam *Dei Thronum*, illiuſque ſedem glorioſiſſimam prædicant, præſertim B.Pet. Dam. in ſ. de nat. Virg. S. Bernard. ſ. ad illa verba Apoc.4. De Throno procedebant &c. Method. orat. in Hypap. S.Athanas.ſ.relato a Surio 25.Dec. S.Epiph. de laud. Virg. S. Io. Chryſoſ.ſ.de laud.Virg. S. Auguſt. l. de Aſſ. S. Hieron. l. adu. Heluidium, S. Ephrem ſ. de laud. Virg. S. Hildeph. ſ. 3. de Aſſ. Heſichij hom. 2. de laud. Virg. And.Cret. or. 2. de dormit. Virg. S. Io. Damaſ. or.1. de eadem dormit. Georgij Nicomed. or. de oblat. Deip. Rup. Abb. l. 5. cant. S. Bonauent. in ſpec. B. V. c. 5. & aliorum. S. Iacobus Apoſt. vt reliquos omnes omittam in lithurgia, quam ſexta Synodus Vniuerſ. allegat, & habetur Cap. Iacobus de conſecrat. diſt. 1. his Verbis B.Virginem alloquitur. *Deus noſter tuum Vterum Thronum fecit*. Hinc Deifera Virgo, Deo fœta, & iam maturum partum expectans ſupra omne diuinum ſolium *Thronus Dei* glorioſiſſimus eſt, vt Euang. Propheta c. 15. oraculo ſuo prædixit. *Præparabitur in miſericordia ſolium Agno Dominatori terræ, & ſedebit ſuper illud in veritate, ſolium nimirum illud excelſum & eleuatum*, quod c. 6. deſcripſerat. Vnde S. Bonau. in ſpec. c. 7. ſic exclamat. *O verè beatiſſimum, o verè ſtabiliſſimum ſolium! Hoc ſolium excelſum eſt in intellectu, eleuatum in affectu, excelſum*

quoque

quoque inter homines, eleuatum ſuper homines. Excelſum eſt in gratia, eleuatum in gloria. In ſolio mentis MARIAE Dominus ſedet, & domus corporis MARIÆ plena erat Maieſtate eius.

Angeli plures cuſtodiebant B. Virginem Infantulum Ieſum in vtero virgineo geſtantem.

VI.

IN vtero virgineo geſtantem IESVM Infantulum B. Virg. fuiſſe a pluribus Angelis cuſtoditam, & quidem ſupremis in cæleſti curia, & cæli Magnatibus affirmat Honorius Auguſtud. & ita explicat illud cantic. 3. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Per lectulum Salomonis vterum virgineum intelligit, in quo ille plus, quam Salomon, Princeps pacis recubuit, per fortes, Angelos Primates. *Omnes cæleſtes choros ab ipſo conceptionis initio adorabundos concidiſſe non ſolum coram Filio, ſed etiam coram Matre teſtatur* Vincent. Regius in Euang. elucid. t. 1. c. 10. digreſſ. 3. quaſi mandatum acceperint iuxta illud Iſa. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem expectatricem, quia hæc dicit Dominus: quieſcam, & conſiderabo in loco meo, & deferetur in illo tempore munus ad locum nominis mei ad montem Sion.* Erat IESVS Infantulus Matri coniunctus in virgineo vtero per venam vmbilicalem, vti alij infantes, nam iuxta Apoſtolum *voluit in omnibus Fratribus aſſimilari.* Alij Infantes hoc modo Matribus iunguntur, & aluntur non ori ingeſto alimento, ſed per eandem venam vmbilicalem inſerto, vt docet Ariſtot. 2. de ortu animal. c. 4. & 5. omnibus philoſophis ſubſcribentibus. Quo-

modo hæc nutritio fiat explicat fusè Andreas Laurentius lib. 2. ſui operis anatom. q. 27. cum alijs. Fauent Tertull. de carne Chriſti, & S. Birg. in ſuis reuel. l. 7. c. 21. Certè S. Hilarius lib. 2. de Trinit. ſic vniuerſaliter loquitur. *Inenarrabilis a Deo originis vnigenitus Deus in corpuſculi humani formam Sancta Virginis vtero inſertus accreuit.* Vnica porrò alimonia fuit puriſſimus Matris Virginis ſanguis per vnicam coctionem, vt probat vniuerſaliter And. Laur. rel. q. 3. Hinc magna B. V. prægnantis gloria colligi debet, tum quia proximam materiam, quæ vnionis hypoſtaticæ ſubiectum futura erat DEO-HOMINI ſubminiſtrabat, tum quia ab alimento, quod ipſa ſuppeditabat, vita Chriſti Domini infiniti valoris pendebat.

Auguſti edictum occaſio itineris Bethlemici exponitur.

VII.

A Conceptu virgineo elabebatur iam iam nonus menſis, cum euulgatum eſt edictum Auguſti Cæſaris, tunc rerum Domini, quo iubebantur omnes Subditi Romani Imperij nomen ſuum dare in publicis tabulis conſignandũ in eo loco, a quo oriundi erant. De hoc Cæſareo edicto Romani Imperatoris, de quo ſacer Euangeliſta loquitur, præter alios ſacros, & prophanos Hiſtoricos accuratè, & fusè diſſerit Caſtro c. 7. hiſt. n. 2. Suidas in ſua hiſtoria ſcribit Auguſtum viginti homines probos miſiſſe procuratores deſcriptionis totius orbis, & cenſus ſoluendi per omnes Romani Imperij prouincias. Caſſiodorus l. 3.

epiſt.

epiſt. 52. exiſtimat huius cenſus neceſſitatem fuiſſe, & ſtimulum; vt exhauſtum ex bellis ciuilibus ærarium impleretur, quod abunde factum eſt inſtituta totius orbis Romani capitatione, & æruſcato aliquo tubuto ab illis, quorum nomina in publicis tabularijs conſignabantur. Addit Cenſorinus de die natali c. 15. luſtralem hunc cenſum ab Auguſto Cæſare inſtitutum vſque ad Veſpaſianum perſeueraſſe. Numerus hominum deſcriptorum ex Suida relato complexus eſt quadringentas decem mille myriadas, ac tredecim homines. Myrias eſt numerus decem millium apud Sigonium de iure antiquit. Italic. l. 1. c. 21. Imperium Romanum ſub Auguſto amplum, ſub Auguſtulo anguſtum eſſe cæpit, vt viderentur amplitudini, & imminutioni imperij ipſa Imperatorum nomina præludere. Imperatoris ſuperbiam, & commodum Reipublicæ Filio ſuo Deus famulari voluit; nam tunc natus eſt verus rerum Dominus Auguſtiſſimus Infans, quem omnes adorare debebant, & in cuius cenſu numerari ſumma felicitas erat. Vt pareret Auguſti edicto IOSEPH cum tota diuina familia Bethleem perexit, Dauidis, quem gentis ſuæ ſtirpem agnoſcebat, patriam. S. Athanaſ. hom. de cenſu putat Deum hac deſcriptione Filio ſuo proſpicere voluiſſe, ne a Iudæis tractaretur aliter, quam Ciuem Romanum decebat. Sed neque Chriſtus Dominus vſus eſt Ciuis Romani priuilegijs, neque omnes in cenſu Cęſareo cōnumerati facti ſunt Ciues Romani; alioquin totum Imperium, ac ferè totus orbis terrarum fuiſſet deinde Ciuium Romanorum. Illud verius quod ſupra

innui & concludit S. Io. Chryſoſt. his verbis. *Auguſtus Domino dirigente edictum hoc cenſuit, vt vnigeniti præſentiæ famularetur.*

Et quomodo illud confecerit.

VIII.

AN confecerit B. Virgo iter Bethlemicum pedes, an admiſerit iumentum, cui inſideret dubium eſt. Ex vna parte iuxta S. Bern. ſ. in ſig. mag. *Deipara Virgo Deo fata erat ſine grauamine grauida,* vt ſupra vidimus, & portabat onus leue, a quo portabatur. Imo ex S. Fulgent. ſ. de laud. Mariæ *Cum eſſet grauida B. Virgo ſalubri leuitate plaudebat,* vnde nullo vectore iumento opus erat. Ex altera parte videtur magis conſuli naturali debilitati fæminei ſexus, & cuidam modeſtæ decentiæ B. Virginis, ſi dicamus cum Suarez tract. 10. de Relig. l. 9. c. 5. aſello inſediſſe, licet Toletus in c. 2. Luc. annot. 20. aliter ſentiat. Imo addit idem Suarez adductum quoque fuiſſe bouem, vt venditus expenſas itineris, & commorationis Bethlemicæ ſuppeditaret. Sed iſta conijci poſſunt veroſimiliter, non certò definiri.

DIVI-

DIVINVS MATRIS Virginis partus in Bethlemide ſpelunca.

PRODIGIA.

ELOG. XV.

Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret. Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio. Lucæ 2.

Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis & factus eſt Principatus ſuper humerum eius & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Iſa. 8.

Adeſto ſuccenturiata humana Reſpublica:
exhibeo vnicum diuini amoris drammа;
ſed in quod prodigia omnia conſpirarunt,
ſuſpiciendum potius, quam ſpectandum.
Iure cælum nouo lumine ſoboleſcit,
& quia ſe admouere,
ac terris iungere non poteſt,
in nouo ſidere
oculum propius admouet ſpectatorem.
Antrum claudit potius teathrum, quã aperiat;
ita auguſta ſunt omnia, & anguſta.
Hic agi diuinam fabulam dicerem,
niſi eam ſumma veritas adórnaret.
Operis argumentum videbis, non audies:
elingue ſidus prologum facie.
Opus etiam VERBI cum ſit

actor tamen INFANS tacet.
Agente nimirum Deo
actus portenta, non verba componunt,
In amanti Numine nō epithaſim tantū lætam,
ſed miſeram cataſtrophen,
vt tragædiam daret beatiſſimus dolor,
poetæ amoris inuenit ingenium.
Nec nodi ſoluuntur, ſed iunguntur admirabiles
inter Deum, & hominem,
cum trahitur in terrenam ſcenam
ſine machina e cælo Deus amoris arte.
Ne quis miretur perſonatum Deum:
ſine perſona nemo illum videret.
Faciem diuinam nemo vidit coloribus ſuis,
qui alia deinde viderit,
clauſis in noctem mortalibus oculis,
vbi tantum diem ferre non poſſunt.
Vt amantius omnibus innoteſceret,
omnium ſibi perſonam admouit.
Qui verò tragædiam dare
felicitas poterat, niſi perſonata?
Canunt Paſtorum, & Cælitum chori:
prima hæc fuit cæli, ac terræ ſymphonia.
Spectatores ſunt cum Brutis Reges,
in Brutorum Regia, in Regis antro.
Coronatæ paupertati, inopi maieſtati
vileſcunt Reges, Bruta ſuperbiunt.
Ad hoc ſpectaculum cælum deſcenderet,
niſi teathralis ſaxi prohiberent anguſtiæ.
Si tamen anguſtiæ illæ ſunt,
quæ Deum capiunt etiam breuiorem.

O myſterij magnitudinem? miracula video, & Diuinitatem prædico: cerno paſſiones, & humanitatem non nego: Natura portas reſerauit Em-

manuel

manuel vt homo, ſed Virginis clauſtra non violauit, neque perrupit vt Deus. Ita enim ex vtero eſt egreſſus, ſicut per aurem ingreſſus: ita natus ſicut conceptus &c. Heſych. hom. 2. de Deip.

Illa enim ter caſtiſſima vt domus quadam circumſepta eſt. Filius, & Verbum Dei eſt, vt radius diuinus ex ſole iuſtitiæ Patre deſcendens, qui per vitream feneſtellam, aurium illius ingreſſus ſanctiſſimam domum eius illuſtrauit, & rurſus vt idem nouit exiuit non fœdata virginitate illius ne minimum quidem. Sed ſicut ante partum, etiam in partu, & poſt partum Virginem caſtam conſeruauit. Athanaſ. claſſe 3. qq. ad Antiochum in 19.

De partu virgineo.

CAP. XV.

EVndem fortunatiſſimum annum, quo adhuc adoleſcente IESVS Chriſtus Dei, & MARIÆ filius, Sancti Spiritus opera diuinitus corporatus, conceptus fuerat, cælo, terraque, & vniuerſa natura innumeris prodigijs plaudente, morientem, natiuitate ſua conſecrauit. Fuit hic MARIÆ Deiparæ 15. Olympiadis 194. tertius, vrbis conditæ 751. Imperij Romani 47. Auguſti Cæſaris 42. Herodis Regis 39. Matthiæ Pontificis 2. Iulianus 44. ab Actiaca victoria 30. Conſulibus Auguſto decimum tertium, & M. Plautio Siluano. Iam magna Puerpera Nazarena Bethlemidis ſpeluncæ hoſpita cælitus monita de diuino partu, tota inter vota ardens, &

preces, & in illuſtri amoris extaſi ſuſpenſa) ingens promiſſum humillima reuerentia flexis genibus, paſſiſque manibus prona expectabat, cum illiquò ineffabili gaudio, ſine vllo prorſus doloris ſenſu cumulata, integro, atqne illibato virginitatis honore Vnigenitum ſuum peperit, & magnum illum Regem Regum, quem genuit, ſplendore diuinitatis vndequaque circumfuſum, adorauit. Dixiſſes ex vtero Sponſæ Virginis vallato lilijs, immaculato prorſus candoris flore, lilium conuallium germinaſſe. Vſus ſiquidem corporatus æternus Sol ſubtilitatis dote, quæ beatiſſimo corpori debebatur, ſpeculum ſine macula virginei clauſtri radijs ſuis penetrauit, atque ita Sponſus lucis, & diei immortalis Pater proceſſit de thalamo ſuo. Nec extinxit natales ſplendores, abſconditue concubia nox, quam naſcens elegit, quia veluti Sol prodijt in lucem ſuam diuinam, quam ipſe orbi terrarum dabat, minimè indigus alienæ. O annum ſæculis maiorem, æternitatis parentem, annorum omnium corona omni æuo radicontem! O noctem æterno Sole dieſcentem, temporum Reginam, vtriuſque emiſphærij aſtris, totoque cælo redimitam! Sed quo ſplendore maieſtatis Rex Regum prodit? qua naſcitur in Regia? qua in purpura ardet? quo in auro fulgurat? quibus ſtellat in gemmis? qua in corona Procerum Palatinorum regnat? quo Prætorianorum militum ſatellitio ſtipatur? quibus hilaratur gaudijs? Prodit verè Deus abſconditus inter tenebras intempeſtæ noctis, obſcuri antri, pauperrimorum parentum. Regnat in ſtabulo, ſedet in præſepi, iacet in paleis: hæc Regia, ſolium, purpura,

purpura, aurum, gemmæ, & omnigenus ſplendor Sereniſſimi Infantis Empyrei. Ipſi ſtipularum aculei, panniculorum aſperitas, præſepis ruſticitas deliciæ diuinæ ſunt. Inter has iacet Animula anguſtijs omnibus preſſa, non niſi per ſuſpiria reſpirans, cor amoris igne liquatum per oculos, os doloris vi vagitibus verberatum, totum corpus tenerrimi Puſionis hyemis inclementia cruciatum. Accedunt Paſtores caulam potius Summi Principis, quã Aulam frequentates, iumentis ipſis Deo ſtabulanti in eadem menſa, conuiuis. Gratulor tamen tibi fortunatiſſima Bethleem ſupra Regum Aulas tantis ditata cunabulis! Habes quod cælo opponas, & habet cælum, quod in te veneretur. Imò tu ipſa cælum es; nam vbicunque Deus habitat, cælum etiam in terris eſt. Illi Choraulæ, & Cytharedi, qui Altiſſimo gloriam, mortalibus pacem canunt, Superum coloniæ ſunt terras cælo præhabentes. Ille magni gaudij Euangeliſtes Bethlemitis paſtoribus, e cæleſtis Aulæ caduceatoribus eſt, qui Deo ambitioſè famulatur in terris. Iam totum ferè Empyreum in vnius diuinæ ſpeluncæ anguſtias coactum eſt. Vtcunque velit IGNOTVS DEVS intempeſta nocte in obſcuro antro latere, ſuis ſe prodigijs prodit, eique tota natura litat prius ſuſpenſa ad tanti Sacramentum amoris, tum in innumera rerum laxata miracula. Hic ipſe nouus apparatus Bethlemicus, aliquid ingens, ac diuinum ſupra homines naſci docet, quod infra homines inter viliſſima Bruta ſplendidè cum maieſtate vileſcit. Non alio modo naſci debuit Deus, quam quo nullus homo voluiſſet. Æter-

nitatem oriri, immenſitatem ſtringi, vagire ſapientiam, flere gaudium, dolere beatitatem, contremiſcere fortitudinem, maieſtatem iacere, cælum deſcendere, verbum fieri, paradiſum ſtabulari, & quæ non plus vltra ſunt diuinorum myſteriorum, miſceri cum Virgine Matrem, iungi cum homine Deum, prodigia amoris omnipotentis ſunt, quæ in huius teathralis ſaxi anguſtijs exhibet, reducto ſipario perſonata diuinitas. Hæc in vnum coegit: alia miraculorum omniũ opifex omnipotentia toto orbe ſparſit prodigia, quæ VERBVM INFANS eloquenti ſilentio euulgarent, inter feſta hilaria diuini partus, cælo, ac terra de noua ſobole prodigiorum vbique certantibus. Obſcurus eſſe mi IESV non potes, ni cælum exeas: tua vbique te produnt. Iaces in ſpecu, ſed orientem nouo ſidere, tergemino Sole occidentem fæcundas, prodigijs tuis ſidera cum Sole, orientem cum occidente coniungens. Felicior tamen fuit oriens vno ſidere, quam tribus Solibus occidens. Illud Dei phoſphorus auroræ Regibus, & populis diem fidei attulit, vnde potuit oriens adorare Deum orientem: iſti multiplici die Romæ, cui radiarunt perfidiæ noctem non illuſtrarunt. At vtcunque tergemino ſole Regina rerũ ſplendidè purpurata Roma ſuperbiat, & in cælo oſtendat, tres illuſtriores Soles Bethleem Dei Regia ferè ſub terris abſcondit IESVM, MARIAM, IOSEPHVM, & magnæ Romæ parua Bethleem, ſpelunca capitolio, cænum cælo præfertur. Nimirum nouum aperit ſpelunca capitolium, in quo non Auguſti de victis hominibus, ſed de vincto Deo Auguſtiſſimus triumphat

triumphat amor. Alio quoque inſolenti prodigio, ebulliente olei fonte in meritoria taberna ad magnum Sacerdotium Roma, ad tergeminum Regnum, quo coronantur Sacrorum Chriſtianorum Reges, Summi Pontifices inaugurantur. Orbi terrarum ſanando Roma oleum, Bethleem faſcias, cælum Medicum dedit. *Oliua ſpecioſa in campis* Bethleem, Mater Virgo pacis oleum de ſaxo duriſſimo tanta largitate populis omnibus fudit, vt Romæ etiam, quæ Regina erat omnium populorum æternæ pacis auſpicia ſtagnarint. Senſit ex pacatis auſpicijs vrbs orbis Domina natū eſſe Principem pacis, Patrem ſimul futuri ſæculi, a quo ferreo ſeculo liquato aureū cuderetur; vnde clauſo Iani templo bellis aditum negauit. Et certè Mars excludi debebat a templis, poſtquam amicum Numen natus Deus, totus amor vbique in terris coli merebatur. Suis etiam prodigijs terra ſoboleuit in diuino partu, Engaddi vineis ſumma hyeme florentibus, & ſpicea corona circa Principem planetam radiante. Sed neutrum prodigium videri potuit; nam & æquinoctium iuſtitiæ Dei erat, & ſolſtititium æſtiuum amoris, Sole e domo Virginis ad Taurum progrediente, & à Tauro ad bracchia Virginis redeunte. Nec mirum videri debet hoſpitium Bethlemicum Numini defuiſſe; cum nullibi habere poſſit capacem domum. Cum primum domum voluit, mundum condidit, qui nec Deo hoſpiti fuit ſatis. Vbique habitat, & ſi extra mundum peregrinaretur ſibi patriam daret. Saxeę vrbes ſinum claudant: aperient vrbana ſaxa. Humana quoque erunt Bruta, cum homines feri.

in natura, vt duratis in ſaxa hominibus, hoſpitalia ſaxa in lachrymas eliquarit. Vt creſcerent in arbores cruculæ ſtipularum, cæpit cruciarius Infans fletibus ſuis irrigare. Eo lachrymante Spiritus Domini incubat aquis, vt cùm Deo naſcente mundus regeneretur. Ne ardens Pupulus in amoribus ſuis, periret, intempeſtiuum fontem cunabulis natura profudit, quo auctæ lachrymæ alluuione aquarum flammas temperarent, eſſetque veluti noua Lyparis amoris, vndequaque ſuo mari circundata. Senſus etiam fuit liquidiſſimus Bethlemidos terrę Regiam ſtirpem ſuorum Regum in Dauidico ſanguine agnoſcentis, conuerſis in lapides pluſquam Deucalonæos ſuis Incolis, inhoſpitalitatem Ciuium etiam inter lapides lachrymari. Ex hoc terreſtris Paradiſi fonte vniuerſam terram irrigante mare magnum ſtagnauit, quod Petri naui æternum velificante ſulcatur.

Nec minus mirum eſt, quod inter paſtores, & armenta Deus naſcens ſuaue Euangelij iugum hominibus imponit. In Regia ſua amor locauit, cum in ſtabulo Paſtorem populorum, & Agnum mundi expiatorem. Huic naſcenti, vt choreas ducat inter natalitia hilaria paſtorum chorus, totum cælum in ſaxea ſpeluncæ teſtudine ſonat, fidem tamen magis animat, quam fides, corda ferit magis, quam chordas. Quid quod occaſurus Sol æternus in meridie, intempeſta nocte oritur miraculum geminans, cum in ortu nox dieſcit, & dies noctеſcit in morte. Imo in ipſo ortu miraculum geminat, cum Sol ante Luciferum in occidente, Lucifer poſt Solem naſcitur in oriente.

te. A media nocte Dei naſcentis ad meridiem morientis chriſtianæ ephemerides non aſtronomicos tantum dies cæle ſtis ſalutis, ſed æternitatem totam metiuntur. Abundantiam conijcite Gnoſtici innocenti diuinatione diuinam: Deus *panis viuus, qui de cælo deſcendit* Bethlemites naſci voluit in domo panis. Vnio nimirum admirabilis Dei, & hominis ſub aurora ſalutis, obſtetricantibus fulgetris gratiæ, iuſtitiæ tonitruis, amoris fulminibus, conceptus in Mari MARIÆ, vt naſceretur ſortiri debuit patriam ſcopuloſam Bethlemiticæ Rupis. Naſcentis tamen Dei patriam non minus ſpeculum dicas, quam ſpecum, in cuius corde conſpirantibus in vnum punctũ cunctis ſimul omnibus Solis ęterni radijs, idem Deus factus ignis conſumens eſt. E ſaxeto Bethlemici montis lapillus pygmeus cecidit, ac paruulus, qui creſcens mundo maior giganteum quattuor Monarchiarum coloſſum tandem euertit. *Ignotus Deus* paulatim ſui ſpectaculum facit: moriturus in monte, aſcenſurus ad cælum, triumphator in nube curuli, naſcitur in ſpelunca. Sed in Dei Templum hæc hominum ſpelunca vertitur, qui ingrato deinde maleficio Dei Templum in ſpeluncam peruertent. Pater vt Maieſtatem Filio inter homines conciliaret, illum in obſcuro antro naſci voluit, omnem antris ſuperſtitionem detrahens, cum ſummam religionem inferebat. Niſi ſe in ſpeluncam condat, tuta in aperto non naſcitur veritas. In hac vinculis faſciarum adſtrictus protheus amor ipſo ſilentio ſua conſilia aperit, & patientiæ oraculis oratricem facit infantiam. In hac, miſſus in terras Dei Filius,

cum in paternæ ſubſtantiæ identitate emancipari non poſſet, e diuite tamen, quod miremur, egenus factus eſt. Nimirum partus etiam diuinus ſequitur ex lege Summi Imperatoris humanam Matrem, & ex Patre libero in cælis, atque omnium Domino, ex matre in terris ancilla, ſeruus naſcitur Dei Filius. Audite mortalis felicitatis amantes! Dei Filius in ſumma paupertate, & ſummis anguſtijs naſcens incipit pretium miſeri js facere, ambitum cruciatibus, & eodem iure poſthac erunt omnes beatitatis, quo pænarum candidati. Sed ex hac catedra Bethlemica Deus Doctor paucos habet Auditores. Non ſine prodigio etiam fuit natiuitatem eſſe mortis auſpiciū. IOANNES & IESVS naſcentes anni ſibi diuiſerunt imperium. Ille æſtiuum, hic hybernum ſolſtitium occupauit: ille decrementa dierum attulit, hic incrementa. Vtriuſque natiuitas ſequuturam mortem præſignat, capitis imminutionem, & Crucis exaltationem. Ita poſt ſeptuaginta hebdomades tandem in Bethleem Deus quieuit, æternum ſabbatum daturus gratiarum. Ita ſupra nouum Sinai in alijs lapidibus vnico Verbo noua ſcribitur lex amoris, non inter tonitrua, ac fulmina; ſed inter vagitus, ac ſuſpiria, imo inter MARIAM ac IOSEPHVM nimirum in media regione felicitatis. Sed maior erat Matri felicitas Filius. Toto corde per oculos, & labra effuſo inter amplexus & oſcula non aliunde quam a Diuino Puſione vitam exugebat. Eius reſpirabat ſuſpirijs, oculis ſpectabat, loquebatur vagitibus, viuebat corde, beabatur amoribus. O cæleſtes delicias Virginis Matris in extaſi omnium

gaudio-

gaudiorum primùm pronè adorantis iacentem diuinitatem, tum blandè contemplantis amores ſuos, dein figentis mellea baſia diuino vultui, demum inter iucundiſſimos amplexus nouum veluti corculum pectori inſerentis, & vitam reciproco nexu, mortemq; alternis æſtibus recipientis! Inſuaues erant Angelici cantus præ Infantis vagitibus: deſpiciebatur præ ſtabulo cælum.

Sed quid ego infelicibus verbis *Verbum Infans* celebro, quod eloquentiam omnem diuinam exhauſit, totumque loquentem exhibet Patrem? Hic infans deductam e cælo peregrinam Angelorum coloniam poſt breuiſſimum in diuinæ gloriæ, & humanæ pacis amebæo, genethliacon, infantem fecit, & elinguem, ſtupentemque ſuſpendit. Audeo dicere: ſi loqui poſſent cælites chori adhuc ſilere deberent. Omnis eorum eloquentia Infantia diuini Pueri eſt, & ſupra omnium loquentium harmonicas voces, ſupra omnem lyricinis cæli artem vnius Infantis inarticulati vagitus placent. Suſpicio te iterum excelſa Bethleem, ex Dei naſcentis patria initiata illiquò mundi metropolis; & ſi fas eſt dicere ſupra bacchatam æternis ſtellarũ pyropis cælitem ſapphyrum, ſereniſſimum terrenum cælum. Iacens, & pronus veneror te diuina ſpelunca ſupra radiatas æternis ſplendoribus Solis domus etiam in tuis tenebris illuſtrior æterni Solis Regia, quæ Lunam quoque iunctam patitur, & quod miremur cum lucis auctario ſine ecclypſi ſpectabilem. Amplector te ligneum præſepe ſupra ſtelligerum in cælo præſepe glorioſiſſimum. Illud Superi ex firmamento

reuulſum in terras deturbate: hoc vnicum, præſepe cælo dignum eſt. Iam ſtella orientis te illuſtrante cælo donaris, imò Deum ſuſtentans audes aliquid facere cælo maius. Hinc Romam translatum regnare incipies ſupra ſolium Auguſti, & currus triumphatoris amantis Dei, capitolium in exquilijs etiam dabis. Inuideo vobis Dei naſcentis commenſalia, iumenta, contubernales paſtores. Bos ipſe, & Aſellus poſſeſſorem ſuum agnoſcentes ingratum me clamant. Etiam ille Boreas, qui Infantem Empyrei adurit, mei pectoris hyperboream hyemem accuſat. Oſcula faſcijs figo, & cor adprimo, in candore ſuo innocentiam ferentibus. Ille immenſus veſtris amanter ligatur vinculis, qui mundo maior quinque cælum, ac terras faſcijs ligat. Et quia bracchiola in amplexus offert puellus Superum, atque hominum amor, ite in faſcias bracchia mea. Ite quoque mea ſuſpiria, & echo facta diuinis ad numerũ reſpondete, exſiccate humentes lachrymulis ocellos, algentemque fouete. Adoro paruulas, & imbelles manus non adhuc fulmen ferentes, diuinum os lacteum vagitu non tonitru ſonans. Cum *omnis caro fænum* ſit, totum te mecum tenellis membris magni Puppuli, terrarum orbis ſubſterne. At plura loqui vetat VERBVM INFANS, quod prodigia, non verba loquuntur. Ipſum tamen VERBVM prodigiorum maximum dici debet, cum *caro factum eſt*. Hoc ineffabile elogium eſt Filij naſcentis, & Matris parientis.

ELE-

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de partu Virgineo.

SYNOPSIS.

1 AVſpicia illuſtria Partus Virginei euulgantur. 2. Aetas naſcentis Domini expenditur. 3. Plenitudo temporis. 4. Syſtema cæleſte. 5. Dies natalis prope hybernum ſolſtitium. 6. Et hora prope concubiam noctem. 7. Bethlemicum hoſpitium. 8. Hoſpitalis ſpelunca, ſtabulum, ac præſæpe nobiliſſimis Sanctorum Patrum elogijs celebrantur. 9. Infantiles quoque panni, quibus inuolutus eſt Deus Infans cum laude euoluuntur. 10. Angelorum obſequia recens nato Deo. 11. Et paſtorum. 12. Sancti Ioſephi comitatus. 13. Et Aſelli ac Bouis contubernium ſtabiliuntur. 14. Noua prodigiorum ſobole naſcenti Domino natura vbique ancillatur. 15. Sed nullum maius miraculum, quam Deum naſci, & MARIAM Matrem in ipſo partu Virginem eſſe. 16. Non ſeruata tantum virginitate, ſed aucta. 17. Ablegatoque a fortunatiſſimo, & illibato partu omni genere dolorum. 18. Et ſordium. 19. Admirandæ Chriſti Domini natiuitatis modus aperitur. 20. Viſibili Filij luce, ſumma Matris pietate illuſtris. 21. Et cæleſtibus delicijs cumulatiſſimus. Hinc Maria Deipara facta eſt non Dei tantum Mater, ſed omnium viuentium, & peculiari titulo Iuſtorum, eorum, qui ſunt in Purgatorio, & Peccatorum.

Auſpicia illuſtria partus virginei euulgantur.

I.

ALiter exordiri non poſſum ea, quæ ad partum virgineum Sanctiſſimæ Deiparæ pertinent quam illis verbis Auct. ſerm. de nat. Saluatoris, qui eſt 61. apud Pet. Dam. *Non poterit explicari ſermone, quod mente con-*

cepi;

cepi; ſtupor enim miraculorum opprimit me, & dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? Ideò fit elinguis lingua, memoria immemor, inſenſibilis ſenſus. Inſueta natiuitate relucent omnia, & omnia partui Virginis obſequuntur. Fiunt mirabilia in cælo ſurſum, & in terra deorſum, & vniuerſa in naſcentis Dei obſequium iurauerunt. Auſpicia naſcituri Infantis diuini ex vtero virgineo MARIÆ, voluit Deus ſumma prouidentia, in vrbe præſertim orbis Domina publicari; nam vt referunt S. Anton. 1. p. hiſt. t. 4. c. 6. & Oroſius l. 2. c. 20. Auguſtus Cæſar neſcio quam fatidicam fæminam conſuluit, an in mundo quiſquam illo potentior futurus eſſet, & eo die, quo IESVS Chriſtus natus eſt vidit hæc noua Sibylla Romana circulum aureum iuxta Solem, in quo pulcherrima Virgo reſidebat, & in gremio ſuo ſuauiſſimum Puppulum geſtabat, ac tunc Imperatori reſpondit, iam potentiorem illo Infantem natum eſſe, auditaque fuit vox hæc *eſt ara cæli*, quo nomine nunc Romæ extat celeberrima Eccleſia, vbi olim erat Octauiani Cæſaris inſigne palatium. Cur autem ara cæli Templum Deiparæ Virginis etiam vocatum ſit colligunt aliqui ex Nicephoro l. 1. vbi ait *Auguſtum Cæſarem conſulto Pythio Apollinis celebri oraculo, & Hecatombe ſacrificata quæſiuiſſe, quis nam poſt ipſum eſſet adminiſtraturus Romanum Imperium.* Et, cum nullum ederetur reſponſum, altero ſacrificio oblato, denuò interogaſſe de oraculi taciturnitate, atque in hunc modum Apollinem Pythium reſpondiſſe.

Me

Me puer Hebræus Diuos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub orcum;
Aris ergo dehinc tacitis abſcedito noſtris.

Hoc reſponſo accepto Imperator in capitolio Aram maximam extrui iuſſit cum hac epigraphe. *Ara Primogeniti Dei*. Hæc Nicephorus, cui Suidas in Auguſto conſonat.

Ætas naſcentis Domini expenditur.

II.

ÆTate ſexta Mundi natum eſſe Chriſtum Dominum Patres communiter aſſerunt, imò ipſius initium fuiſſe, præſertim S. Auguſt. l. 1. in Gen. c. 25. & contra Fauſtum l. 2. c. 8. quem ſequuntur S. Io. Chryſoſt. hom. de Iephthe, S. Iſidorus in etymolog. & venerab. Beda de ratione temporum. Sic autem ætates Mundi diſtribuunt. Prima eſt ab Adamo vſque ad diluuium: ſecunda à diluuio ad Abrahamum: tertia ab Abrahamo ad Dauidem: quarta a Dauide ad captiuitatem Babylonicam: quinta a captiuitate Babylonica vſque ad Chriſti Domini natalem: ſexta a natali Ch. Dom. vſque ad finem Mundi. His ætatibus ſuccedet Sabbatum æternum, immortalis nimirum, & inconcuſſa Iuſtorum quies.

Plenitudo temporis.

III.

ILlud tempus, quo Deus Infans natus eſt ab Apoſt. ad Gal. 4. vocatur plenitudo temporis. *At vbi*, ait, *venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum &c.* Cur ità vocetur explicat egregiè Incognitus in pſ. 48. his verbis. Primò ait ita vocari propter plenitudinem

nem pacis, & bonorum temporalium iuxta illud. Iſa. 2. *Conflabunt gladios in vomeres &c.* & pſ.71. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Secundo propter plenitudinem gratiarum Io.1. *De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Tertio propter adimpletionem figurarum, & legalium Matth. 25. *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere.* Quartò propter plenitudinem diuinarum promiſſionum 2. Cor. 1. *Quotquot enim promiſſiones Dei in illo ſunt, imò per ipſum.* Quintò propter impletionem propheticarum viſionum Daniel. 9. *vt impleatur viſio, & prophetia.* Sextò propter impletionem temporis 1. Cor. 10. *Nos ſumus, in quos fines ſæculorum deuenerunt:* Septimò propter impletionem ruinæ Angelorum pſ. 109. *implebit ruinas.* Octauò propter plenitudinem præmiorum Iſai. 58. *Implebit ſplendoribus animam tuam &c.* Nonò propter plenitudinem vniuerſorũ ad Epheſ. 1. *Propoſuit in ipſo in diſpenſatione plenitudinis ipſius inſtaurare omnia, & quæ in cælis, & quæ in terra.*

Syſtema cæleſte.

IV.

IPſum cæli ſyſtema, quod erat tempore natalis Domini ſigno Virginis Aſcendente ex Alberto Mag. in l. cui ſpeculi titulum impoſuit, vt refert Sixtus Sen. l. 6. annot. 10. Infantem Deum ex Virgine Matre aſcendentem ſignificabat. Hæc ſunt magni Doctoris verba. *Nos autem ſcimus, quod ſub hoc Aſcendente eiuſdem Virginis natus fuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum hoc, quod æquatio motus octauæ ſphæræ*

ſphara in tempore eiuſdem fuit 8. graduum, & 30. minutorum ſecundum calculationem certiſſimam, & quod ipſa erat tunc minuenda de locis Planetarum inuentis per Canones, non quia ſubiacet ſtellarum motui, aut earum iudicio notarum deſideratiſſimus, qui creauerat ipſas ſtellas, ſed quia cum extenderet Cælum, ſicut pellem formans librum vniuerſitatis noluit litteris eiuſdem deeſſe, ex his quæ ſecundum prouidentiam ſuam in libro æternitatis deſcripta ſunt, etiam illud eleuatiſſimum a natura, quod de Virgine naſceretur, vt profectò per hoc inueniretur homo carnalis, & verus, qui non naturaliter naſcebatur, non quod cæli figura cauſa eſſet, quare naſceretur, ſed potius ſignificatio, imò verius ipſe erat cauſa, quare modus admirandæ ſuæ natiuitatis ſignificaretur per cælum. Hactenus Mag. Albertus. Excludendus eſt itaque, & ablegandus omnis influxus cæleſtium corporum. *Neque enim* vt ait Mag. Gregor. hom. 10. in Euang. *propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter hominem factæ ſunt, & ſi ſtella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur.* Hinc ſtultiſſima iudicari debet Priſcillianiſtarum, & aliorum Iudiciaria, quæ ipſum Infantem Deum cæli, ac terræ Dominum, aſtrorum Opificem, Rectoremque, ſtellæ, quæ in oriente nata eſt ipſo naſcente, tanquam Horoſcopo ſuo ſubiecit. Hæc ſacrilega inſania temerario Cardano, alijſque aſtrologis in bono lumine ſiderum omnium ſplendidè mendacibus tenebrionibus tribuitur, cum auſi fuerint formata genitura, inuento Aſcendente, ſtabilitiſque cæleſtibus domibus ipſa ſalutis noſtræ myſteria ex ipſo aſtrorũ aſpectu,

motu,

motu,ſtationeque deriuare. Sed vt docet rel. Greg. Mag. *Si Euangelij verba penſamus, quibus de eadem ſtella dicitur. Vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit; Si dici liceat non ſtella fatum Pueri, ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit Puer fuit.*

Dies natalis prope hybernum ſolſtitium.
V.

ABſque myſterio non fuit, vt notauit Venerab. Beda in l. de ratione temp. c. 23. & Lucidius inſignis mathematicus l. 7. c. 2. natalem Domini in ſolſtitium hybernum incidiſſe. Nam quemadmodum Sol eo tempore ad infimum cæli punctum deſcendit; ita Sol ille, de quo legimus, orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, ad humillimum terræ locum, nimirum ſtabulum Bethlemicæ porticus, vnde de eo loquens Apoſt. ad eph. 4. dixit. Deſcendit in inferiores partes terræ, cum tamen a ſummo cælo eſſet egreſſio eius. Aliud myſterium inuenit S. Auguſt. in pſ. 31. in augmento dierum, & conuerſione quadam benefica Solis ad nos, comparanſq; Solem noſtratem, & empyreum concludit. *Naſcente vera luce, lucis, & diei augmentatur officium.* Idem clarius explicat natiuitatem Meſſiæ comparans cum natiuitate Præcurſoris his verbis. *Natus eſt Ioannes ſicut tradit Eccleſia 8. Kal. Iulias, cum iam incipiunt minui dies. Dominus natus eſt 8. Kal. Ianuar. quando iam dies incipiunt creſcere. Audi ipſum Ioannem confitentem. Illum oportet creſcere, me autem minui, & paſſiones eorum hoc*

indicant.

indicant. Dominus in cruce exaltatus eſt: Ioannes caſo capite diminutus.

Et hora prope concubiam noctem.

VI.

HOra natalis Infantis Dei fere eſt extrà controuerſiam. A S. Auguſt. in pſ. 109. & a Tertulliano contra Mariconem c. 9. nocturnum tempus, & quidem concubia nocte conuenientiſſimum tanto myſterio aſſignatur, & defenditur. Illud dictum ſap. 18. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine de Regalibus ſedibus venit*, multi etiam de ortu Verbi æterni interpretantur. Illud verò Regij pſaltis pſ. rel. 109. *ex vtero ante Luciferum genui te* fere omnes Patres de natiuitate Meſſiæ explicant. Euocatio Paſtorum Iudæorum, cum pecus cuſtodirent ab Angelo Euangeliſta, & Regum æthnicorum aſtro ductore id etiam apertè indicant.

Bethlemicum hoſpitium.

VII.

DE patria Filij Dei naſcentis in terris dubitari non poteſt. Nam fuiſſe Bethleem olim magni Dauidis, & Regiæ familiæ natale ſolum certum eſt. Iam oraculo ſuo Micheas Propheta cap. 8. illam prædixerat, & celebrauerat dicens. *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*. Hinc parua Bethleem ſupra omnes mundi Monarchiarum vrbes principes aſſurrexit, vt exclamare liceat cum Eccleſia

Catho-

Catholica pij Prudentij tetraſticho.

O ſola magnarum Vrbium
Maior Bethlem, cui contigit
Ducem ſalutis cælitus
Incorporatum gignere!

Hanc ob cauſam illam quoque S. Greg. Nazianz. *mundi metropolim vocat*, & magnifico hoc elogio mellifluus Doctor ſ. 1. de natiu. Salutat. *O Bethleem parua, ſed magnificata a Domino! Magnificat te qui factus eſt in te paruus ex magno. Quæ tibi ciuitas non inuideat pretioſiſſimum illud ſtabulum, & illius Præſaris gloriam? In vniuerſa ſiquidem terra iam celebre eſt nomen tuum, & beatam te dicent omnes generationes. Vbique glorioſa dicuntur de te Ciuitas Dei*. Nec myſterio vocat nominis etymologia. Iure optimo Bethleem *domum panis* ſonat, cum protulerit *panem viuum, qui de cælo deſcendit*. Vnde inſignis, & eloquens Doctor Hieron. in comm. in Mich. ait. *Cuius nam telluris fæcunditas cum Bethleem vbertate conferri poteſt? Cætera regiones frumentum ferunt, vinum, oleum, fructuumque copiam aliorum; at Bethleem panem cæli protulit*. Illud dolendum, quod prophani idolorum cultores, vt refert Niceph. l. 8. c. 8. cupientes abolere tam pij, ac ſancti loci memoriam, vti in Caluario venerabili Venerem per ſummum nefas, ita in ſacerrimo Bethlemico antro Adonidem ſtatuerunt. Hanc impietatem, quæ ab Adriano Imperatore vſque ad magnum Conſtantinum 180. annos ſtetit in loco ſancto, abhominatur S. Hieron. epiſt. 13. his verbis. *Vbi quondam Chriſtus paruulus vagijt Veneris Amaſius plangebatur*. Erat Bethleem

ad longum collis ſita, cuius vltima pars rupes quædam ſuburbana excauata, & in ea ſpelunca natalis virginei partus, diuinique ortus thalamus. Ita S. Hieron. diu huius terreſtris Paradiſi incola, cuius elogium nobiliſſimum de Bethlemico diuino hoſpicio omittere non poſſum, ſupra Romanum capitolium aſſurgente. *Ecce* ait in epiſt. ad Marcell. *in hoc paruo terræ foramine cælorum Conditor natus eſt! Hic inuolutus pannis: hic viſus a paſtoribus: hic demonſtratus a ſtella: hic adoratus a Magis. Et hic puto locus ſanctior eſt Tarpeia rupe, quæ de cælo ſæpius fulminata oſtendit, quod cælo diſpliceat.* De hoc Bethlemico hoſpitio non Scriptores tantum Eccleſiaſtici, ſed omnes Topographi deſcriptores terræ ſanctæ fusè loquuntur, præſertim Franciſcus Quareſmus tom. 2. ſuæ elucid. l. 6. c. 2. ac 3. per. 2.. Ibi duplicem Eccleſiam a pijs fidelibus ædificatam fuiſſe aſſerit. De minori Eccleſia hæc habet. *Sub Eccleſia Maiori S. Mariæ alia parua Baſilica eſt, in cuius ſuperiori parte, & orientali locus eſt vbi B. Virgo Infantem diuinum peperit, & natum ſupplex adorauit.* In illius medio ſtella ſculpta eſt, & in ea porphyreticus lapis hac inſcriptione litteratus ſpectatur. *Hic de Virgine Maria Ieſus Chriſtus natus eſt.* Alia deinde duo loca deſcribit reclinationi in præſepio, & Magorū adorationi dicata. Hæc omnia S. Birgittæ reuelationibus l. 7. c. 21. 22. & 23. confirmantur.

Hoſpitalis ſpelunca, ſtabulum, ac præſepe nobiliſſimis SS. Patrum elogijs celebrantur.

VIII.

ACceſſimus Bethleem, nunc ſacra hoſpitalis ſpelunca tot myſteriorum teſtis, & conſcia

conſcia breuiter introſpicienda eſt. Cum non eſſet propter confertam peregrinorum multitudinem, qui Bethleem ad profitendum conuenerant locus in hoſpitij meritorij cubiculis, coactus eſt S. IOSEPHVS cum Sponſa Virgiue, de qua maximè ſolíicitus erat, in porticum ſubterraneam ſecedere, iure ſpeluncam dictam, cuius appendix ſtabulum erat, domeſticis iumentis, aliaque ignobili ſupellectile inſtructum. Hoc pacto conciliantur Patres, quorum aliqui locum natalem Filij Dei ſtabulum vocant, aliqui ſpeluncam. Non fuit ergo ſolùm ſtabulum, vt videtur opinari Toletus in c. 2. Lucæ, Tran. Lucas ibidem Iac. Salianus an. mundi 4053. Chriſti 1. & alij; Sed ſimul etiam ſpelunca vt docet Caſtro c. 7. hiſt. Deip. n. 4. & Baronius an. Ch. 1.

Afferunt congruas rationes SS. Patres, cur Dei Filius in ſtabulo naſci voluerit, præſertim S. Bern. ſ. 35. in cant. Heſychius or. 2. de Deip. & alij. *In præſepio* ait S. Athanaſ. hom. de cenſu *reclinatur, vt humani generis brutalitatem emendaret, & duorum animalium cibus fieret. Quorum verò animalium? Æthnici, Iudaicique populi, de quibus ſcriptum eſt. In medio duorum animalium cognoſceris*. Inferius tamen in hoc ſtabulo Bethlemico Eccleſiam agnoſcit, cuius *altare eſt præſepe, Vicarius Ioſeph, Diaconi paſtores, Sacerdotes Angeli, ſummus Sacerdos ipſe Dominus*. Amplificauit in immenſum amorem ſuum Dei Filius in his anguſtijs iuxta Bernardum ſ. 22. Omnes ille mortales his verbis alloquitur. *Quanti te fecit Deus ex his, quæ pro te paſſus eſt agnoſce, vt appareat tibi benignitas eius in humanitate! Quantò enim*

minorem ſe fecit in humanitate, tantò ſe maiorem exhibuit in bonitate, & quantò pro me vilior, tantò mihi charior. Aduerte homo, quia limus es & non ſis ſuperbus, & quia Deo iunctus, & non ſis ingratus. Ex ortu Filij Dei inter iumenta in Bethlemide ſpelunca ſtabulantis, prouenientia bona enumerat eloquentiſs. Theolog. Greg. Nazianz. or. in nat. Dom. S. Epiph. or. de laud. Deip. CÆLVM dicendum eſſe Bethlemicum ſtabulum contendit. S. Io. Chryſ. hom. 2. in Lucam luteum hoc Bethlemicum argenteo, quod poſtea Conſtantinopoli conſtructum eſt, pretioſiſſimo præfert. Imo præfert ipſi Paradiſo terreſtri, nouumque meliorem locum deliciarum inuenit in Bethlemico antro. *Illhic* inquit aureus Doctor *probro affectus fuerat Paradiſus: hic ſpelunca facta eſt glorioſa. Illhic duo Adam, & Eua expulſi ſunt à peccato: hic fines orbis terræ educti ad gratiam*. Non inficior in ſumma rerũ omnium inopianatum eſſe Regem Regum; quem natalem apparatum pauperrimum deſcribit S. Cyprian. ſiue apud ipſum auctor ſerm. de nat. Dom. his verbis: *Veniunt in Bethleem paſtores, quem prædicit Gabriel, inuenitur Emmanuel. Ciuitas parua, domus paupercula, ſupellex exigua: Nulla domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo, Mater in fæno, Filius in præſepio. Tale elegit fabricator Mundi hoſpitium: huiuſmodi habuit delicias ſacra Virginis puerperium. Panniculi pro purpura: pro byſſo in ornatu regio lachrimæ congeruntur. Genitrix eſt & obſtetrix, & deuotam dilectæ ſobolı exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, iungit oſcula, porrigit mammam. Totum negotium plenum gaudio, nullus ... dolor,*

dolor; nulla naturæ contumelia in puerperio. At fatetur idem eloquentiſs. Martyr, quod ſi fuiſſent quælibet ſplendida ornamenta, intenti in paruulum Deum oculi, prælibato ſpiranti illo Paradiſo, omnia alia repudiaſſent. *Ornamenta* inquit or. de nat. Dom. *quæ deerant ſi adeſſent non haberent oculos inſpectores, quia præſentia Paruuli ſic eorum, qui aderant oculos occupauerat; ſic illuminauerat animos, ſic corda illexerat, vt in hoc ſummo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus eſſet mendicari per partes, quod ſimul in ſe vna fidelibus omnipotens Infantia præſentabat.* Venit tanquã bonus venator Deus ſine vllo apparatu tonitruum, ac fulminum, Angelicique exercitus, præter illum muſicum, cuius melos auditum eſt in ſpelunca, abſconditus, ne venationem effugaret, & nos ſcrutatores Maieſtatis opprimeremur à gloria. *Propterea venit*, inquit Theodotus or. in nat. Chriſti, *non cum imperiali faſtigio, nec obſequium deduxit Angelorum, non mouit Archangelorum exercitum; Sed venit omnium Dominus in tenui forma paupertate circumamictus, vt venationem non effugaret. Ipſa tamen paupertate* vt idem ait *diuitiæ eius diuites oſtenduntur*. Hinc potuit dicere naſcenti Domino Heſich. or. 2. de Virg. Mar. *Surge Domine in requiem tuam, quam ſuper terram præſcripſiſti, & in Bethleem conſtituiſti, vt pote ſtabulum, præſepe, & faſcias. Iſte in excelſis habitabit* legimus de Mundi Seruatore apud Euang. Prophetam c. 33. *munimenta ſaxorum ſublimitas eius erit*. Hunc locum ſeptuaginta vertunt. *Hic in excelſa petra fortis ſpelunca habitabit*. Et certè nihil humillimo Bethle-

mico antro ſublimius eſt. Cælum ipſum ſuperat: Dei Regia,& humile Empyreum videtur in terris. *Si tibi panni* ait S. Maximus ſ. de nat. Ch. *fortaſſe vileſcunt, Angelos collaudantes admirare. Si præſepe deſpicis erige parumper oculos, & nouam in cælo ſtellam proteſtantem Mundo natiuitatem Dominicam contuere. Si credis vilia: crede mirifica. Si de his, quæ vilia ſunt diſputas, quæ alta ſunt & cæleſtia venerare.* Imò quæ videntur vilia, nec verè vilia ſunt, ſed ſublima,& ſplendida. *Ipſi panni Saluatoris* inquit S. Bern. ſ. 4. de nat. *diuitiæ noſtræ ſunt pretioſiores omni purpura, & glorioſius hoc præſepe Regum ſolijs deauratis, ditior denique Chriſti paupertas cunctis opibus.* Vnde exclamare libet cum Theodoto loc. rel. *Vides paupertatem tantarum diuitiarum Matrem! Opus eſt* ex Io. Damaſc. l. 2. de fid. c. 3. tota Filij Dei natiuitas *nouum, nouorum maximum, & quod ſolum ſub Sole nouum eſt, per quod infinita Dei apparet virtus. Ecce iacentem in præſepio* inquit S. Hilar. hom. 1. de Epiph. *pertimeſcit armatus, contremiſcit humilem Rex ſuperbus, & abiectam infantiam, & vagientem expaueſcit ætatem!* Paruulus quidem natus eſt nobis, ſed Deus fortis, ipſique Magno Regi, ſiue potius Tyranno dominanti Herodi Aſcalonitæ formidandus. *Venit humilis* (verba S. Greg. ſunt l. 2. mor. c. 17. *quem & ſuperbus hoſtis admiretur, quatenus qui fortia Diuinitatis eius deſpexerit, etiam humanitatis eius infirma pertimeſcat. Venit* ſiquidem vt inquit S. Eucherius Lugdun. hom. 2. de nat. Dom. *Verbum caro in mundum non depoſita, ſed repoſita Maieſtate perfectus Deus, & verus homo.* Imo nec repoſuit Diuini-

tas Maieſtatem; nam *pellucebat* vt ait Mag. Baſil. hom. de nat. *in Infante Deo Diuinitas per humanum corpus perinde, ac lux quadam per vitream capſulam illos illuminans, qui cordis oculos mundos habebant*. Itaque concludendum eſt cum Theologorum Principe Auguſt. ſ. 3. *quod iſta natiuitas potentiam Diuinitatis honorauit*.

Infantiles quoque panni, quibus inuolutus eſt Deus infans, cum laude euoluuntur.

IX.

SI ſpelunca natalis fuit cælo illuſtrior, quid de faſcijs infantilibus dicemus, quibus Mater Virgo Puerum inuoluit, & in præſepio reclinauit, *ex quibus* vt loquitur S. Auguſt. ſ. 17. de temp. *facta ſunt emplaſtra natura?* SS. Patres panniculos iſtos ſupra Regum purpuras, Imperatorum paludamenta, & palmatas ipſorum Triumphatorum celebrarunt pręſertim S. German. Euthym. apud Lyppomanum 31. Aug. S. Cyprian. or. de Nat. S. Bern. ſ. 4. de natiu. & alibi, Vener. Beda in c. 2. Lucæ S. Max. Taurin. ſ. de nat. Ch. & alij. Melliflui Bern. verba dulciſſima, & plena myſticæ pietatis omittere non poſſum. *Neque enim* ait *ſine certa ratione myſterij pannis Saluator obuoluitur, & ponitur in præſepio, quando id manifeſtè in ſignum nobis commendatur ab Angelo. Hoc inquit vobis ſignum. Inuenietis Infantem pannis inuolutum. In ſignum poſiti ſunt panni tui Domine Ieſu, ſed in ſignum cui a multis vſque hodie contradicitur; multi quippe vocati, ſed non multi electi, ideò nec ſignati. Agnoſco certè, agnoſco Ieſum magnum ſordidis opertum*

veſtibus, dum altercaretur cum Diabolo. S. Germanus ait c. 7. has auguſtiſſimas faſcias ſuis manibus B. Virg. confeciſſe. Odore thuris ſuauiſſimo fragrantes piè meditatus eſt Rup. Abb. l. 3. in cant. Adhibuiſſe etiam velum ſui capitis B. Virg. vt Puerum inuolueret refert ex quadam reuel. Seraphic. Doctor in medit. vitæ Ch. c. 7. Hæ pretioſiſſimæ ſimul, & pauperinę faſcię illatę ſunt, vteſtatur Euthym. ab Arcadio Cæſ. in ſacram ædem Conſtantinopolitanam 31. Aug., quæ dies apud Græcos erat anni vltima. Illa faſcia venerabilis, quæ ſumma religione colitur Mediolani in Eccleſia S. Mar. Braydenſis Coll. Societ. Ieſu, & innumeris perennibus miraculis illuſtratur, non fuit inuolucrum Dei recens nati in ſpelunca Bethlemide, ſed e collo B. V. ſuſpenſa ex Egypto Infantem diuinum in Iudæam retulit. Ille faſciæ, quæ acceptæ ſunt ab Eudoxia Auguſta per Iuuenalem Epiſ. Hieroſolym. atque tranſmiſſæ ad Pulcheriam, collocatæque in Templo viæ Ducum, vt notauit Card. Baron. an. Ch. 453. ex Niceph. l. 14. c. 2. fuere quidem Dominicæ, non tamen natales, & infantiles, ſed ſepulchrales.

Angelorum obſequia recens nato Deo.

X.

O *Beata exclamat* Gillib. Abb. ſ. 20. *hac in terris nouitas temporalis, qua antiquam illam, & æternam nouitatem Angelicis in aſpectibus amplius innouauit!* Præter exercitum Angelorum pleno choragio canticum diuinæ gloriæ, & humanæ pacis canentium, & alium AngelumEuangeliſtam, qui paſtoribus bonum

nuncium

nuncium de natiu. Infantis Dei euulgauit; alios in magno numero Angelos ſeruitio Matris, & Filij deſtinatos affuiſſe, & re vera famulatos fuiſſe affirmat auctor ſermon. apud S. Cyprian. cum alijs. Hoc quoque voluit Rup. Abb. ſ. 3. in cant. cum dixit Angelos obſtetricum more in ſpelunca ſanctiſſimam Deiparam Virginem circumſtetiſſe, cui ſubſcribit Suarez t. 2. in 3. p. d. 13. aſſerens Angelorum miniſterio puerum IESVM ſuſceptum fuiſſe in ſua natiuitate, & in manibus B.V. collocatum. Certè Apoſt. ad Heb. 1. ex pſ. 96. v. 8. *Adorate eum omnes Angeli eius* ait *& cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit & adorent eum omnes Angeli Dei.* Piè credi poteſt effuſam eſſe in vile ſtabulum, ſed ipſo Empyreo glorioſius, totam ferè Cælitum curiam. Ibi cælum eſt, vbi Deus. *Quomodo* ait Arnold. Abb. in laud. Virg. *illud diuinum puerperium eloquar, quod ab Angelis in Bethleem celebratum eſt?* Angelis cæleſtibus ſubſtitutos fuiſſe Virgines in terris, Dei Filij famulatui peculiariter mancipatos aſſerit S. Hieron. magnus Virginitatis encomiaſtes ad Euſtoch. de Virg. his verbis. *Statim vt Filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælis, haberet Angelos, & in terris.* Et iure nam vti Angeli, Virgines Cælites ſunt, ita Virgines Angeli terreni, vnde S. Bern. ſcribens ad Fratres de Monte Dei dicebat. *Altiſſima eſt profeſſio veſtra, cælos tranſit, par Angelis eſt, Angelicæ ſimilis puritati.*

Et paſtorum.

XI.

EVocatos fuiſſe Paſtores aliquot Bethlemitas ad adorandum natum Saluatorem Mundi, tranſiſſe vſque Bethleem, & vidiſſe *verbum quoſt factum eſt*, inueniſſeque *puerum Ieſum cum Maria Matre eius dubitare* non ſinit Euangelica hiſtoria. Locus vnde paſtores Angelo gaudium magnum nati Domini Euangelizante euocati ſunt ex D. Hieron. in epitaph. Paulæ fuit Turris Ader, ideſt gregis, iuxta quã Iacob Patriarcha pauit gregem ſuum. De eodem loco ait Beda de loc. ſanct. c. 8. *Ad orientem in Turre Ader, ideſt gregis mille paſſus à Ciuitate Bethleem ſegregata eſt Eccleſia, trium paſtorum diuinæ natiuitatis conſciorum, monumenta continens.* Aymon cum eodem vener. Doctore in c. 2. Lucæ illa verba Mich. 4. *Et tu Turris gregis nebuloſa filia Sion vſque ad te veniet. Et veniet poteſtas prima regnum Filiæ Hieruſalem* de hoc loco explicat. Adhuc extat pagus, quem villam paſtorum indigitant teſte Fr. Quareſmo l. 6. c. 4 per. 3. ex quo, vt fert illorum Incolarum traditio, oriundi erant paſtores Infantis Dei adoratores. In hoc pago ciſterna eſt, quam B. Mar. Virginis vocant, aiuntq; vſque ad os ciſternæ aquam aſcendiſſe, vt tranſeunti Deiparæ, acſitienti facilem potum præberet. An hæc vera ſint, an apocrypha incertum eſt. Eſt etiam Eccleſia ad honorem SS. Angelorum ædificata, & nunc *locus paſtorum* apellatur, quia hic Angelus Euangeliſta bonum ſuum nuncium aperuit. Hanc Eccleſiam conſtruxit Helena Auguſta,

vt

vt tradit Niceph. l. 8. c. 8. ſed nunc infra terram ſæpulta ferè tota latet. In hac Eccleſia eſſe ſepulchra trium paſtorum (in hoc numero etiam eos recenſet venerab. Beda cum alijs) quibus reuelata fuit præcone Angelo IESV Chriſti natiuitas, teſtatur Adamnanus l. 2. de loc. ſanctis c. 5. Cur prætulerit in ſui adoratione Deus Infans vicinæ Turris paſtores non ſolum Regibus orientis, ſed Iudeæ proceribus, & admiſerit prius ad oſcula pedum, & manuum, egregiè reſpondet S. Cyprian. ſer. de nat. Dom. his verbis. *Electa eſt perſonarum humilium ſimplicitas, vt poneretur regula, & indiſſolubilis daretur forma, quod niſi pauperibus Spiritu, Chriſti pateret humanitas, nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſit admittere veritas.*

S. Ioſephi comitatus.
XII.

A Spelunca Bethlemide tempore diuini partus nullo modo abfuiſſe S. IOSEPHVM dicendum eſt, licet de eo in ſacro Euangelio mentio non habeatur. Ille in extaſi ſtuporis, in angulo ſpeluncæ remotus myſterij admirabilis contemplationi vacauit, non ita tamen, quin totus ſeruitio Matris, & Filij eſſet addictus. Audiamus auct. ſerm. 62. apud Pet. Dam. qui ſic per egregiam hypotipoſim piè loquitur. *O Bethleem Ciuitas Dei ſummi, & in te, & in ſuburbijs tuis viſa ſunt mirabilia hodie! Deus pendet ab vberibus, ponitur in præſepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis faſciolis felices manus, & ſancta bracchiola per cunarum paruitatem expandit. Alludit Virgini Matri, arridet, & blandientes ocu-*

los ad Mariam intorquet ; Stat perterrita tantis miraculis Regina Cælorum, confert in corde ſuo ſalutationem Archangeli, conceptionem Dei, natiuitatem Pueri, & miratur quod ille, qui ſic potuit ad nos venire ſic voluit ſubuenire. Adeſt & Ioſeph, ſed ab vtroque remotus, & in exceſſu mentis miratur, & mirari ſatis non poteſt, qualiter ſit ad tantæ dignationis admiſſus arcanum.

Et Aſelli, ac Bouis contubernium ſtabiliuntur.
XIII.

AB antro Bethlemico Aſellum, & Bouem proſcribit impius Hereſiarcha Caluinus, imo perpetuus PP. ſubſannator irridet, quæ de contubernio iſtorum iumentorum in venerabili illo ſtabulo Patres dicunt, quos referunt Caſtrus in hiſt. Deip. & Leo Caſtrius in c. 1. Iſ. cum alijs. Eraſmus etiam Rhoterod. ad hym. Pruden. de Nat. Dom. hæc iumenta contubernalia videtur reijcere, ſed perperam. S. Ambroſ. in c. 2. Luc. S. Greg. Niſſ. or. de Nat. Ch. & Origen. hom. 13. affirmant impletam tunc fuiſſe prophetiam Hab. 3. Vbi enim vulgatus interpres legit *in medio annorum viuificat illud*, ſeptuaginta vertunt. *In medio duorum animalium cognoſceris.* Illhic *Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui* (quæ ſunt verba Iſ. c. 1.) *circumciſio ſcilicet, & præputium cohærendo lapidi angulari, quorum primitiæ fuerunt paſtores.* Aliud inuenit myſterium Greg. Nyſſ. l. iam rel. *Medius* inquit *inter Bouem, & Aſinum in præſepio vtriuſque Dominus eſt, vt ſoluto interſtitio ſæpis ambos in ſe ſe creet in vnum nouum hominem, & ab hoc graue legis iugum auferat,*

&

& illum ſimulacrorum cultus onere leuet. Non eſt ergo figmentum Catholicorum, ſed veritas SS. Patrum teſtimonio, & perpetua traditione comprobata Aſellum & Bouem IESV naſcenti contubernales fuiſſe, vt patet etiam ex vetuſtiſſimis picturis, quæ ſunt ſcripturæ laicorum, vt ex S. Bonau. ait Molanus l. 3. de imagin. c. 57.

Noua prodigiorum Sobole naſcenti Domino natura vbique ancillatur.

XIV.

IDem *vagit in cunis* vt notat Cyrill. Hieroſ. de occ. Dom. *& mundo vitam, gaudiumque impertijt*, tota nimirum natura naſcenti Domino, qui alioquin formam ſerui induerat, feſtis prodigijs famulante. Princeps prodigiũ fuit eadem nocte natali noui ſideris ortus Regibus Orientis, de quo infra fuſius. *Abſcondebatur in ſtabulo* ait S. Auguſ. ſ. 2. de Epiph. *& agnoſcebatur in cælo, vt agnitus in cælo manifeſtaretur in ſtabulo*. Et iure vt idem notat *nouam ſtellam creauit natus, qui antiquum Solem obſcurauit occiſus*. S. Th. 3. p. q. 36. a. 3. ex Plinio l. 2. c. 31. memorat eo tempore tres in Hiſpania Soles apparuiſſe, qui poſtea in vnum coiuerunt, quaſi diuinitatem, animam, & corpus, quæ vnam Perſonam IESV Chriſti conſtituunt, præſignarent. Addit Lucas Tudenſis in hiſt. Hiſp. ea nocte in Hiſpania nubem tanto ſplendore coruſcantem radiaſſe, vt inſtar diei noctem illuminauerit. Imo S. Ambroſ. ſ. 16. de natiu. aſſerit Solem ſolito illuſtriorem ad compenſandam Ecclypſim paſſionis anticipata aurora præluxiſſe. *Si Sol* in-

quit

quit *obſcuratur cum Chriſtus patitur, neceſſe eſt illum ſplendidius lucere cum naſcitur*. Et ibidem. *Si Sol ad Ieſu Naue orationem defixus ſtetit, cur non ad Chriſti Natiuitatem feſtinus promoueret in noctem?*

Hæc fuere cæleſtia prodigia. Suis etiam hic infimus orbis coruſcauit. Engaddi vineas floruiſſe, ſæuiente ne quidquam hyberno ſolſtitio, præter innumeros alios tradit S.Bonau. in opuſc. de feſtiu. pueri IESV. Olei fontem in Regione tranſtyberina Romæ ſtagnaſſe plures narrant Euſeb. Cæſar. in Chron. temp. Eutropius in hiſt. Roman. Platina in vitis Rom. Pont. & Paulus Oroſius. S. Auguſtini diſcipulus l. 6. c. 18. & 20. Ingens illud, & celeberrimum pacis Templum corruiſſe memorant S. Anton. 4. p. t. 15. c. 30. §. 2. & c. 6. §. 14. Pet. Dam. hom. de Nat. a Lippom. allegata, Niceph. l. 1. c. 17. S. Bonau. l. iam relato. De eius perpetuitate Apollo cōſultus reſponderat perſeueraturum, donec Virgo illibato virginitatis flore, Mater eſſet. Audito hoc oraculo Romani putantes fieri nõn poſſe, vt virgo pareret, hanc epigraphem ſuo pacis Templo adſcripſerunt. *Templum perpetuum.* Sed naſcente e Matre Virgine Dei Filio, ſimulque Templo corruente, magnæ Deiparæ prodigioſam virginitatem agnoſcere potuerunt, & conteſtari, cum præſertim vti Magiſtram venerarentur Sibyllam Tyburtinam, inter cuius oracula hoc etiam eſt. *Naſcetur Chriſtus in Bethleem: felix Mater cuius vbera lactabit.* In omnium pſeudodeorum ſilentio natum eſſe diuinum VERBVM, per quod omnia non dicta modo ſunt, ſed facta, teſtatur Niceph.

ceph. in ſua hiſt. cum alijs. Addit Dorotheus Martyr in Synopſi Hieremiam Prophetam Egyptijs Sacerdotibus prædixiſſe omnium inanium ſuorum Deorum ruinam pro ſigno naſcentis Domini, & ab eo tempore illos coluiſſe imaginem pulcherrimæ Virginis Puſionem inter bracchia ſtringētis. Vener. Beda, cui multi alij ſuffragantur c.8. de loc. ſanctis affirmat fontem limpidiſſimum ea nocte natali in porticu Bethlemica exilijſſe ad inopis illius diuinæ familiæ commoditatem.

Sed nullum maius miraculum, quam Deum naſci, & Matrem in ipſo partu Virginem eſſe.

XV.

F*Iunt mirabilia* vt ait Auctor ſ. de Nat. Dom. apud Pet. Dam. *in cælo ſurſum, & in terra deorſum, & vniuerſa in naſcentis Dei obſequium iurauerunt*; Sed vnum pro cunctis in ſtuporem rapit, Virgo Mater. Ad hoc iure exclamat S. Eccleſia *O ineffabile cõmercium! Creator generis humani de Virgine naſci dignatus eſt!* Conſonant ſimilibus exclamationibus Patres, Heſychius hom. 2. de Deip. *O miraculi magnitudinem! &c.* Proclus in calce ſ. de nat. Dom. *O myſterij magnitudinem! &c.* & Bonau. in ſpec. c. 2. *O quam magnum, & omnibus ſæculis inauditum priuilegium, quod Virgo in vtero concep t, & Filium Altiſſimi peperit!* Eadem habent S. Hilar. 2. de Trinit. S. Auguſt. ſ. 15. de temp. S. Pet. Chryſol. ſ. 142. S. Bern. de natiu. Dom. & alij omnes. In partu Virgineo non fuiſſe violatam Virginitatem Mar. Deip. Eccleſia definiuit vt notat Suarez t. 2. in 3. p. d. 5. ſ. 2.

5. ſ. 2. & multis PP. teſtimonijs probat iuxtà illud Ezech. 24. *Porta hæc clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa Principi*. Hunc locum de B. V. communiter explicant PP. præſertim S. Hieron. l. 2. contra Pelag. S. Ambroſ. epiſt. 81. & in Virg. inſtit. c. 7. & 8. B. Pet. Dam. ſ. 3. de natiu. S. Germ. or. de nat. B. V. Heſichius hom. 2. de Deip. Amedus Lauſan. hom. 4. Rup. Abb. l. 1. in Matth. & alij apud Benzonium in pſ. 86. c. 40. trad. 28. *Hoc docemur* inquit Goffridus Vindocinenſis ſ. 4. de natiu. *fide catholica, & chriſtiana doctrina contrarium execratur. Nunquam itaque aperta, ſed clauſa ſemper, & ſigillata fuit vteri Matris Saluatoris noſtri ianua, per quam exiuit Deus homo tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo*. Sit ergo ratum, & certum B. V. ſemper fuiſſe Virginem ante partum, in partu, poſt partum, vnde vt obſeruat S. Epiph. hær. 78. *Nemo vnquam ab omni æuo chriſtiano B. Mariam nominauit, quin etiamſi non rogatus addiderit epithetum Virginis*, quod ſimpliciter dici non poſſet, ſi etiam in partu Virgo Virginum non fuiſſet. Ingens Diuinitatis argumentum in filio fuit, ſeruata in partu Matris illibata Virginitas, vt notat alleg. Pet. Chryſol. his verbis. *Qui ingreditur, & egreditur, & introitus ſui, & exitus nulla relinquit veſtigia, diuinus habitator eſt, non humanus*.

Non ſeruata tantum virginitate, ſed aucta.

XVI.

AVctam fuiſſe in partu virgineo virginitatem innuunt aliqui Patres, vt Ambroſ.

Anſ. in conc. de Purif. S. Cyrill. Catech. 12. & S. Auguſt. ſ. 15. de temp. his verbis. *Creuit in eius partu integritas corporis potius, quam decreuit, & virginitas ampliata eſt potius, quam fugata*. Sed clarius adhuc loquitur tom. 10. in nat. Dom. ſ. 22. cum ait. *Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit. Virgo partu ſuo nupſit, virginitatem dum pareret, duplicauit*. Huic conſonat aureis verbis Pet. Chriſol. ſ. 142. ſic B. V. alloquens. *In tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta eſt caſtitas, integritas roborata*. At quomodo aucta eſt virginitas, quæ videtur eſſe negatio quædam in indiuiſibili conſtituta? Dicendum B. Virg. per Chriſti Domini ortum, ſacrumque cõtactum, excitatam fuiſſe ad amorem virginitatis, nouoque titulo, ſe, ac vinculo ad illam in æuum ſeruandam obligaſſe.

Ablegatoque a fortunatiſſimo. & illibato partu omni genere dolorum.

XVII.

HOC apertè teſtantur omnes Patres, pręcipuè S. Io. Damaſc. l. 4. de fid. c. 15. S. Greg. Nazianz. in trag. Ch. patiens S. Greg. Nyſſ. or. de Reſurr. S. Auguſt. ſ. 14. de Natiu. S. Bern. in miſſus eſt & ſ. 4. in vig. nat. Io. Geometra hym. 2. S. Paulinus epiſt. 37. S. Hildeph. de perp. Virgin. Mar. S. Cyprian. ſ. de Natiu. Amed. Lauſan. hom. 3. & 4. Arnol. Carnot. de laud. Mar. & alij innumeri, ac tandem S. Th. Theolog. Princeps cum omnibus Doctoribus ſcholaſticis 3. p. q. 35. a. 6. Itaque veriſſimũm eſt iuxta S. Bern. ſolam B. V. *fuiſſe ſine dolore puerperam*. Sed eius mellea verba

audienda

audienda ſunt ſ. 4. in vig. Nat. *Cui poterit* inquit *Chriſtus aſper, aut durus videri, qui nec ipſi Matri in natiuitate quicquam aſperitatis, quicquam intulit læſionis? O noua verè miracula! conceptus fuit ſine pudore, partus ſine dolore. Mutata eſt in Virgine noſtra maledictio Euæ; peperit enim Filium ſine dolore. Mutata eſt inquam maledictio in benedictionem, & ſicut prædictum eſt per Angelum Gabrielem. Benedicta tu in mulieribus. O beata ſola inter mulieres benedicta, & non maledicta: ſola a generali maledicto libera, & a dolore parturientium aliena!* Similia habet Ricch. Victor. l. 1. de Emman. c. 10. facta antitheſi Euæ peccatricis, & innocentis. Natiuitatem ſecundi Adami cæleſtis cum primi terreni fictione, vt excludat omnem parientis Deiparæ dolorem comparat S. Io. Damaſc. loc. cit. Parallella Dei Filij ex vtero virgineo prodeuntis, & Solis puriſſimam chryſtallũ permeantis inueniuntur apud S. Athanaſ. claſſe 3. qq. ad Antioch. & alios Patres. *Vltro* inquit S. Cyprianus or. 1. de Nat. Chriſti, *maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt, nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat.* Nec minus egregia ratio eſt S. Fulgent. ſ. de laud. Virg. cum ait. *Nulla fieri grauedo poterit concipienti, nulla triſtitia parienti; qui enim venerat triſte lætificare ſæculum, Ventris non contriſtauit hoſpitium.* Non videbatur e iuſtitia eſſe, vt philoſophatur auctor ſ. de Nat. apud S. Cypri. & Amed. Lauſan. hom. 4. de Deip. MARIAM innoxiam ſubiacere doloribus in reatum peccati primæ mulieri indictis. Alias rationes ſolidas, ac theologicas adducit Angel. Doctor. 1. p. q. 39. a. 6. Pijs etiam, &

ſacris

ſacris carminibus luſerunt Ricch. a S. Laur. l. 10. de Deip. Actius Sincerus Sannazar. de Virgin. partu, & alij. Fatendum eſt ergo cum Eccleſia Catholica de Deipara Virgine, quod *neſciens virum peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum.*

Et Sordium.

XVIII.

ETiam ſordes omnes proſcribendæ ſunt a partu virgineo. *Vnde ſordes in Virgine* clamat Auguſt. vel vt alijs placet Pet. Chryſol. l. de v. hæres. *Matre, vbi non eſt concubitus cum homine patre?* Similia habent S. Hieron. adu. Heluid. c. 2. S. Greg. Nazianz. in Trag. S. Cyprian. ſ. de Nat. Ch. S. Epiph. l. 3. contra hær. in fine S. Bern. ſ. 3. de Purif. S. Zeno Veron. ſ. 2. de Nat. Dom. S. Athan. ſ. de Nat. Dom. ſiue hom. de cenſu, Arnol. Abb. de laud. Deip. & alij. Hinc contra tam conſtantem SS Patrum conſenſum aſſentiri non poſſum aliquibus Doctoribus de hoc nitore virginei partus dubitantibus, inter quos videntur eſſe Abulenſ. in c. 12. Leuit. q. 10. & Caiet. 3. p. q. 35. a. 6. Multò minus aſſentior Tol. in c. 2. Lucæ deſcribenti inter miniſteria a Matre puello Numini exhibita lotionem ad detergẽdas ſordes. Hic non eguit, vti nec obſtetrice, vt notat S. Th. 3. p. q. 35. a. 6 ex S. Cyprian. ſ. de Nat. Ch. qui ſic ait *Maria genitrix, & obſtetrix: nullus dolor, nulla natura contumelia in hoc partu.* Multos Patres in hanc ſententiam congerunt Maldonatus in c. 2. Lucæ, & Ferreolus Locrius l. 5. Mar. Aug. c. 14. Vnde meritò reprehenduntur a S. Anton. p. 3. t. 8. c. 48.

c. 48. Pictores hiſtoriæ virginei partus obſte-tricem appingentes. Non eſt tamen reijcienda obſtetrix ratione paupertatis, vt videtur ſenti-re creditus Bernardus ſ. 46. de modo benè viuendi, ſed ratione ſuperfluitatis. Quid enim opus erat obſtetrice Deiparæ Matri ſine dolo-re parienti Filium nitela ipſa nitidiorem? Vni-co verbo non opus erat, quia erat partus di-uinus, vt canit Apollinaris in Trag. de Ch. pati. apud S. Greg. Nazianz. his verſiculis.

Matrem abſque Sponſo ſcimus, & viro: ſuas
Hic nulla partes, & ſuam manum obſtetrix
Depradicauit: partus hic diuinus eſt.

Hunc Filij Dei nitorem, cum ex Virgine vtero prodijt miratur Sedulius lib. 2. Paſcha-tis, ſed egregijs prorſus verbis celebrat Zeno Veron. loco iam laudato. MARIÆ inquit *ſuperbus emicat Venter, non munere coniugali, ſed fide, verbo, non ſemine. Decem menſium fa-ſtidia neſcit, vtpote qua in ſe Creatorem mundi concipit: parturit non dolore, ſed gaudio. Mira res! Exultans exponit Infantem totius natura antiquitate maiorem. Interea rudis non gemit fata: mundum non vt aſſolet Infans fuſis in-grediens ſponte vita reptantis prauijs lacbrymis auſpicatur. Non mater eius tanti partus pon-dere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſce-ribus: non Filius Matris aut ſuis eſt vllis ſordi-bus delibutus. Neque enim reuera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundatu-rus.* Eandem rationem reddit Guarr. Abb. ſ. 1. de Nat. vnde concludit excluſiſſe ſordes, *quia per Spiritum Sanctum immaculatus naſcens de immaculata, vitia noſtra originis emendabat,*

atque

atque ſecunda natiuitatis nobis Sacramenta dedicabat. De hac immunitate ab omni ſordium illuuie extat illuſtris reuelatio facta S. Birgittę l. 7. c. 21. Hinc Syn. Trullana a diuino partu can. 79. ipſas ſecundinas excluſit. Licet autem illa Syn. vt notauit Bellarminus l. 1. de concil. c. 7. & l. 2. de Pontif. c. 18. vtpote a Græcis deprauata a Sergio Papa admiſſa non fuerit, in hac tamen re non fuit reprehenſa. Habet alioquin magnam authoritatem, cum ad illam conuenerint 220. Patres, quorum doctrina approbatur in 7. Syn. act. 7. can. 1. & in præſenti materia defenditur a Suarez t. 2. 3. p. d. 13. ſ. 2. Delrio polem. 1. Salazar. l. de conc. c. 28. §. 4. & alijs paſſim. Concludendũ eſt ergo magni Leonis magnificis verbis ſ. 2. de Nat. Dom. *Noua* inquit *natiuitate eſt genitus conceptus a Virgine; natus ex Virgine ſine paterna carnis concupiſcentia, ſine materna integritatis iniuria, quia futurum hominum Saluatorem talis ortus decebat, qui & in ſe haberet humanæ ſubſtantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta neſciret*. Non eſt ergo mirum teſte Mag. Gregor. quod Dei Filius natus de Virgine *Matris integritatem non minuit, ſed ſacrauit*. In hoc ſenſu loquuti ſunt S. Auguſt. ſ. 15. de temp. S. Fulg. or. de laud. Mar. S. Anſel. alloq. cæl. 23. S. Hildeph. ſ. 3. de Aſſ. & alij. Innouat vocem Amed. Lauſan. hom. 4. de Deip. & ait Deiparam Virginem (barbarè ſi ſtilum inſpicias, piè ſi animum) ex hoc puerperio factam eſſe *Virginiorem*.

Admiranda Chriſti Domini natiuitatis modus aperitur.

XIX.

EXplicant modum admirabilis natiuitatis integro virginitatis illibatæ clauſtro SS. Patres, præſertim S. Greg. hom. 26. in Euang. Thedoretus dial. 2. S. Maxim. Taurin. hom. de natiu. Dom. S. Auguſt. ſ. 138. de temp. & l. 22. de Ciu. Dei c. 8., alijque multi. Non eſt dicendum cum Mayronio ſupra relato, & reiecto Chriſti Domini corpuſculum fuiſſe definitiuè in vtero Matris, & hoc pacto prodijſſe in lucem virgineo clauſtro illæſo. Neque placet ſententia Maioris in cap. 2. Matt. dub. 7. dicentis exiſſe Chriſtum Dominum e materno vtero ſine tranſitu per medium. Impoſſibilem putant hunc tranſitum ab extremo ad extremum ſine medio Leſſius de ſummo bono l. 3. n. 8. Molina 1. p. q. 53. a. 2. & alij. Sed certè, quidquid ſit de hoc poterat Deus non cõſeruare amplius præſentiam corporis Chriſti Domini in vtero Matris, & nouam extra vterum producere ſine vlla implicantia; Hoc tamen deſtrueret rationem propriam humanę natiuitatis, quæ videtur requirere verũ egreſſum ex vtero materno per motum localem. Imò hinc amplificant iure merito PP. Chriſti Domini humilitatem, quod voluerit ſubire tam vilem modum humani ortus. Dicendum eſt ex gloria animæ Chriſti Domini naſcentis, Deo volente reſultaſſe dotem ſubtilitatis in infantili corpuſculo ad eum ſolum effectum, vt ſine vlla læſione virginei clauſtri facta penetratione cum Matris corpore, prodiret. Ita Theo-

Theophilus Raynaudus l. 4. de Chriſto Mol. in Coſm. d. 29. & alij. Patres in Trullo congregati in can. 29. aſſerunt non licere ex communibus, & ijs, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem Virginis partum, quæ ſupra mentem, & ſermonem Verbum peperit, definire, metiri, ac deſcribere. *Inenarrabilis* inquit S. Hilar. 2. de Trinit. *adeo originis vnus vnigenitus Deus in corpuſculi humani formam S. Virginis vtero inſertus accreſcit*. Hic vnicus fuit fons omnium prodigiorum. Infantem Deum decuiſſe ita in lucem venire, & B. Virginem ita DEVM-HOMINEM parere docet egregiè S. Bern. hom. 2. in Miſſus eſt. Hic pro clauſula iterare lubet mellei Ambroſij mellitiſſimum cantum.

Veni Redemptor omnium:
Oſtende partum Virginis.
Miretur omne ſæculum:
Talis decet partus Deum.

Viſibili Filij luce, ſumma Matris pietate illuſtris.

XX.

VTrunque habemus ex S. Birgittæ reuelationibus. Primum aſſerit l. 7. ſuarum reu. c. 21. his verbis. *Tanta lux, & tam ineffabilis ſplendor exibat, quod Sol non eſſet ei comparabilis*. In eo mirum eſſe non debet cuius nomen oriens, & de quo legitur. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitia, & ſanitas in pennis eius*. Alterum eodem cap. ſic deſcribit. *Tunc Virgo genuflexa eſt cum magna reuerentia ponens ſe ad orationem, & dorſum verſum præſepe tenebat, faciem verò ad cælum leuatam verſus orientem. Erectis*

igitur

igitur manibus & oculis in cælum intentis ſtabat quaſi in extaſi contemplationis ſuſpenſa, inebriata diuina dulcedine &c. & ibidem *Cum igitur virgo ſenſit ſe iam peperiſſe ſtatim inclinato capite, & iunctis manibus cum magna honeſtate, & reuerentia adorauit Puerum, & dixit illi. Bene veneris Deus meus, Dominus meus, & Filius meus. Et tunc Puer plorans, & quaſi tremens, præ frigore, & duritie pauimenti, vbi iacebat voluebat ſe paululũ & extendebat membra quærens inuenire refrigerium, & Matris fauorem; quem tunc Mater ſuſcepit in manibus, & ſtrinxit eum ad pectus ſuum.*

Et cæleſtibus delicijs cumulatiſſimus.
XXI.

DE cæleſtibus delicijs, iucundiſſimis amplexibus, & melleis baſijs Deip. Matris puſionem Deũ miris modis ſuauiantis nemo cum dignitate loqui poteſt. *O beata infantia* exclamat S. Auguſt. ſ. 9. de temp. *per quam noſtri generis vita eſt reparata! O gratiſſimi, delectabileſque vagitus, per quos ſtridores dentium, æternoſque ploratus euaſimus! O felices panni, quibus peccatorum ſordes extersimus! O præſepe ſplendidum, in quo non ſolum iacuit fænum animalium, ſed cibus increatus eſt Angelorum!* Vnica Verbi diuini Mater ſuorum gaudiorum naſcente Filio oratrix eſſe poteſt, quæ Verbum edidit, in quo omnia Pater dixit. Quis audeat palmari calamo abyſſum penetrare gaudiorum, quis explicare Paradiſum iucunditatis humanis verbis? *Multoculam* effectam fuiſſe Dei Matrem, cum puſionem Deum intueretur dicit S. Epiph. or. de laud. Deip.

Deip. adderem ego inter amplexus *centimanam*. Si Paradiſus Deus eſt, & ſumma felicitas ſeruis intuentibus? quid fuit Matri alloquenti, oſculanti, amplectenti, ac tot ſuauiſſimis modis attrectanti? Ex SS. Patrum ſpe ad expectationem gentium anhelantium gaudijs, ad gaudia Matris totum præſentem haurientis argumentatur, & iure Guarr. Abb. ſ. de Annunc. Iure etiam ex rerum omnium gaudio argumentatur Amed. Lauſan. hom. 4. de Deip. his verbis. *Si autem illo naſcente cuncta lætata ſunt: Mater eius qualiter lætabatur? Si cuncta gaudebant: illa quanto gaudio fruebatur? Aut quæ erat in Genitrice lætitia, ſi ita gaudebant omnia? Ipſi egredienti* (ſic de Chriſto Domino naſcente loquitur Arnold. Carnot. de laud. Mar.) *nullum exigens tormenti vectigal, vltrò natura ianuas reſerabat.* Imò *negotium totum plenum gaudij* virgineum partum vocat S. Cypri. ſ. de Nat. Chriſti. Omnes ferè PP. qui dolorem a virgineo partu ablegant, gaudium ſingulare adſcribunt. Vnde ad Virginem parientem plures traducunt illud Iſ. oraculum c. 33. *Germinans germinabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda, & gaudens. Et* aliud c. 66. *Antequam parturiret peperit*, ſiue vt ſeptuaginta legunt *Antequam veniat dolor parturientium peperit.* Ineffabilem ſuæ lætitiæ vim ſic expreſſit ipſa MARIA Deipara S. Birgittæ l. 1. reu. c. 10. *Sine dolore peperi eum & concepi cum tanta exultatione, quod pedes mei præ exultatione non ſentiebant terram vbi ſtabant: & ſicut in omnia membra mea cum gaudio totius animæ meæ intrauit, ſic cum gaudio omnium membrorum exultante anima mea ineffabili gau-*

 dio

dio ſine leſione virginitatis mea exiuit. Cumque inſpicerem, & conſiderarem pulchritudinem eius, anima mea quaſi rorem pra gaudio ſtillabat ſciens me indignam ad talem Filium. Sed *Generationem eius quis enarrabit?* Ineffabilis prorſus fuit etiam ratione materni gaudij, vnde vt ait Amed. Lauſan. hom. 4. de Deip. *lingua balbutit, cor refugit, ſenſus expaueſcit ad pondus tanti gaudij*. O *admirandum* exclamat Ambroſ. Ansbertus ſ. de Purif. *ſpectaculum, ad quod non ſolum humana, verum etiam Angelica ſtupeſcit natura!* Ea tamen, quæ potuit dicere B. Virgo in tanto gaudiorum euripo naufraga, nobili proſopopeia S. Baſilius Seleuci. exprimit. *Vt igitur* inquit *diuinum Infantem contemplata eſt, deſiderijs reuerentia plenis, vt reor, deuincta, hac ſola cum ſolo agitabat colloquia. Quam tibi Fili congruam apellationem inueniam? hominis? at conceptio tua diuina eſt; Dei? at humanam carnem ſortitus es. Quid ergo mihi tecum faciendum? Lacte nutricabor, an Deum conſiderabo? curabo vt Mater, an adorabo vt ancilla? circumplectar vt Filium, an adorabo vt Deum? Lac indam, an tymiama inferam? Quodnam hoc maximum, & inenarrabile miraculum? Cælum tibi ſedes, & te ſinus meus geſtitat? Totus præſto es terram habitantibus, & non a Cælitibus prorſus abiunctus?* Oppreſſa fuiſſet B. Virgo mole gaudiorum, niſi peculiari virtute eam Deus Filius ſuſtentaſſet. *Ille*, vt obſeruat ſupra relatus Amed. Lauſan. hom. 4. *dabat ſufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præſtabat, & quam gloria maieſtatis replebat ineffabili abundantia, virtus Diuinitatis mirabili potentia continebat*. An viſionem

beatam in ipſo virgineo partu Deipara Virgo habuerit infra definietur, cum vtraque pars grauiſſimis Patronis non careat.

Hinc facta eſt non Dei tantum Mater, ſed omnium viuentium & peculiari titulo iuſtorum, ſanctorum qui ſunt in purgatorio, & peccatorum.

XXII.

IPſa eſt iuxta S. Bern. de Nat. Dom. *Virginis naturæ gloria ſingularis, & excellens prærogatiua, quod Filium vnum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Similia habent S. Leo Mag. in epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam, S. Anſel. de excell. Virg. c. 3. & alij Patres omnes. Vnde B. V. iure dicere potuit cum æterno Patre. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Magnum hæreditatis myſterium* exclamat Eccleſia *Templum Dei factus eſt vterus neſciens virum!* cui conſonat Zeno Veron. ſ. 3. de Natiu. *O noua ratio! Amore imaginis ſuæ coactus in Infantem vagit Deus, patiturque ſe pannis illigari, qui totius mundi debita venerat ſoluturus &c.* At non Dei tantum Mater eſt, ſed omnium viuentium. Eua innocens, quæ cum Filio ſuo mundum reparauit, quem nocens Eua perdiderat. S. Hildeph. ſ. 4. de Aſſump. vocat B. Virginem *Reparationem Euæ, introitum vitæ, ianuam cæli.* Eadem habent turmatim alij Patres, præſertim S. Irenæus l. 5. adu. hær. Tertullianus in l. de carne Chriſti S. Athanaſ. ſ. de Deip. Sophronius ſ. de Aſſumpt. S. Auguſt. ſ. 17. in Nat. Dom. S. Pet. Chryſol. ſ. 140. S. Bern. hom. 2. in miſſus eſt, & latè Chryſip-

pus or. de Deip. Omiſſis Patribus Aratorem poetam in acta Apoſt. canentem audiamus.

Porta Dei genitrix intacta creantis
A nato formata ſuo: mala criminis Eua
Virgo ſecunda fugat; nulla eſt iniuria ſexus.
Reſtituit quod prima tulit.

His S. Eccleſia in pio illo hymno concinit.

Quod Eua triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine.

Nec viuentium tantum omnium Mater eſt Dei Mater, ſed peculiari titulo iuſtorum. Suffragantur huic Marianæ appellationi S. Hieron. epiſt. 23. ad Paulam de obitu Bleſillæ filiæ eius S. Auguſt. l. de S. Virginit. c. 6. S. Hildeph. ſ. 8. de Aſſumpt. Sophronius ſ. de eadem Aſſumpt. S. Io. Damaſc. or. 2. de dormit. Deip. S. Pet. Chryſol. ſ. 146. Origen. t. 1. in Ioannem in ipſa præfatione, S. Bonau. in ſpec. c. 8. S. Bernardinus Senenſis t. 3. ſ. 6. a. 2. c. 2. S. Anton. 4. p. t. 15. c. 2. & alij. Inſtitutam præcipuè fuiſſe Sanctorũ Matrem MARIAM Deiparam, cum eandem Matrem Virginem Filius crucifixus Ioanni Virgini commendauit, diſertè tradunt Origenes loco iam alleg. & S. Antoninus; inter recentiores verò Alphonſus Salmeron tom. 10. tract. 41. Et Card. Tol. in Io. 19. ad illud *Mulier ecce Filius tuus*. His verbis piè philoſophatur Origenes. *Etenim quiſquis perfectus eſt non amplius viuit ipſe, ſed in ipſo viuit Chriſtus, cumque in ipſo viuat Chriſtus dicitur de eo Maria. Ecce Filius tuus Chriſtus*. Imò *Mater diuinæ gratiæ* dicitur B. V. in litanijs Lauretanis, & Eccleſ. 24. *Mater pulchra dilectionis & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* At quomodò gratiam, & alia chariſmata

cæleſtia per MARIAM habeamus explicat S. Bonau. in ſpec. c. 6. MARIA ait *gratulabunda dicere poteſt illud Eccleſiaſtici. In me omnis gratia vitæ, & veritatis, quæ Mater eſt eius, quem legimus plenum gratiæ, & veritatis.* Ibi quoque Seraph. Doctor ad illud Iſa. 11. *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendes, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini &c.* ſubiungit. *Quicunque ſeptiformem S. Spiritus gratiam adipiſci deſiderat, ipſum florem Spiritus Sancti in Virga quærat. Per Virgam enim ad florem, per florem ad ſpiritum in eo requieſcentem peruenimus. Per Mariam ad Christum accedimus: per Christum gratiam Spiritus Sancti inuenimus.* Hinc S. Bern. his mellifluis verbis Dei Matrem alloquitur. *Per te acceſſum habeamus ad Filium o benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis, vt per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis.* Hanc doctrinam cuicunque fideli inſinuat Angelicus Doctor opuſc. 8. dicens. In omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium, & ideò dicit Eccleſ. 24. *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.*

Nec ſolum Dei Mater eſt *Mater iuſtorum* tum in cælo triumphantium, tum in terris pugnantium, ſed etiam eorum, qui purgatorijs ignibus cruciantur, imo omnium peccatorũ, quos ipſa ſuo patrocinio iuuat. *Sum etiam* (ipſius Deiparæ verba ſunt S. Birgittæ in oratione vigilanti dicta l. 4. c. 138.) *Mater omniũ, qui ſunt in purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ſuis in qualibet hora propter preces meas quodamodo mitigantur.* Ita placet Deo, vt aliqua ex his pœnis, quæ debentur eis de rigore iuſtitiæ diuinæ, minuatur.

Ego etiam (paulò poſt ſubiungit) *quaſi ſum Mater omnium peccatorum ſe volentium emendare, & habentium voluntatem in Deũ ampliùs non peccare, & ſum voluntaria ipſum peccatorem in meam defenſionem accipere, ſicuti charitatiua Mater dum videret filium nudum ab inimicis acutos gladios habentibus ſibi occurrentem. Nonne tunc ipſa opponeret ſe periculis viriliter, vt filium ſuum de manibus inimicorum ſuorum liberaret, & eriperet, & in ſinu ſuo gaudenter conſeruaret. Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus miſericordiam meam a Filio meo petentibus ſub mera contritione, & diuina dilectione.* Quid hac Matre amantiſſima amabilius? Dicite Superi! In ſenſibus allatis benè dicitur MARIA Deipara nõ ſolum *Mater Dei, digna digni, formoſa pulchri, munda incorrupti, excelſa Altiſſimi, Sponſa Regis æterni*; ab Hugone Victor. ſ. de Aſſumpt. ſed *Mater vitæ*, qua viuunt vniuerſi a Guarrico Abb. ſ. de Aſſ. *Mater electorum* ab Ambroſ. Anſ. ſ. de Purific. *Mater totius gratiæ* a S. Anſelmo alloq. cel. 25. *Mater totius veniæ* ab eodem alloq. cæl. 23. ac tandem vt in altert. Synag. & Eccleſ. c. 11.

Mater Matrum, & Virgo Virginum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5-3-3